PLANTAE JAVANICAE

RARIORES

ADJECTIS NONNULLIS EXOTICIS, IN JAVAE HORTIS CULTIS

DESCRIPTAE,

AUCTORE

J. K. HASSKARL.

BEROLINI.

SUMPTIBUS A. FOERSTNER.

MDCCCXLVIII.

PLANTAE JAVANICAE

RARIORES

ADJECTIS NONNULLIS EXOTICIS, IN JAVAE HORTIS CULTIS

DESCRIPTAE,

AUCTORE

J. K. HASSKARL.

BEROLINI.

SUMPTIBUS A. FOERSTNER.

MDCCCXLVIII.

VIRIS DOCTISSIMIS

DE RE HERBARIA OPTIME MERITIS

C. G. NEES AB ESENBECK

ET

C. L. TREVIRANUS

PRAECEPTORIBUS MIHI MAXUME COLENDIS

ANIMI SUI GRATI DOCUMENTUM OFFERT



AUCTOR.

L. B.

Pauca tantum sunt, quae praefationis instar dicam! Quae spectant ad descriptiones, in schedulis sequentibus contentas, has omnes secundum specimina viva confeci, indeque saepe occasiones mihi fuere, varias formas in loco observandi, quas plantae, diversis viribus externis compulsae, adipiscuntur, e herbariis rarius tantum conspiciendas. E Java patriam reversus descriptiones meas denuo cum libris inde editis, quantum eos adtingere potui, comparavi, quod et cum speciminibus siccis fecissem, si herbarium ad usum proprium mecum portare concessum fuisset. Nunc autem incommodum hoc pari modo sine ira ferre necesse est, quo muneris mei in horto bot. Bogoriensi damnum patior, quod actioni autocraticae gubernatoris indici nederlandici debeo, adnuente ministro summo rerum coloniarum.

Partem observationum mearum et adnotationum priorum jam diu in diario ratisbonensi, quod vulgo dicunt: „*Flora*" et in altero diario, cui nomen „Tydschrift voor natuurlyke Geschiedenis en Physiologie uitgegeven door van der Hoeven en de Vriese" publicas feci, partem et aliis locis et in propriis libris, quas omnes hisce citavi abbreviationibus:

Over de ontwikkeling der warmte in planten Batav. 1837 in: Verhandelingen van het Bataviasche Ge-

nootschap v. kunsten en wetenschappen. 1838. T. XVII. — Observationes hae breviter sunt laudatae in Tydschr. etc. T. V. p. 230—32, dein: in Verslag van de Onderzoekingen van den heer J. K. Hassk. aangaande de warmte-ontwikkeling by de Aroïdeae door *J. H. Molkenboer*, allgemeene kunst en letterbode, 1842, No. 40 et 41; postremo in Flora, 1847, p. 463—69.

Waarnemingen uit's lands plantentuin te Buitenzorg in Tydschr. voor Nederl. Indië. 1840. III. II. p. 146—54.

Hsskl. Dec. = Plantarum rariorum horti bogoriensis decades I—VIII in Tydschr. etc. V. 255—271 (1838) et ibid. IX (1842) p. 115—180.

Hsskl. Diagn. nov. = Plantarum genera et species novae aut reformatae javenses in Flora, 1842. Beibl. II. p. 1—56.

Hsskl. Legum. = Leguminosarum quarundam javensium descriptiones novae aut emendatae, in Flora 1842. Beibl. II. 57—114.

Hsskl. Adnot. = Adnotationes de plantis quibusdam javanicis nonnullisque japonicis haud rite cognitis e Catalogo horti bogoriensis excerptae; accedunt nonnullae species novae; in Tydschr. etc. X. (1843) p. 115—150.

Hsskl. Pugill. = Plantarum rariorum vel minus cognitarum horti bogor. pugillus novus in Tydschr. etc. XI. (1844) p. 178—208.

Hsskl. Papil. = Papilionacearum quarundam javanicarum descriptiones acuratiores, in Tydschr. etc. XI. (1844) p. 49—112; reiteratae in Natuur en Geneeskundig Archief voor Neërlands Indië II. p. 58—71; p. 183—199; p. 341—361.

Hsskl. Cat. = Catalogus plantarum in horto Bot. Bogoriensi cultarum. Batav. 1844.

Hsskl. Adumbr. = Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes; in Flora

1844 p. 583—595; p. 599—609; p. 615—626. Flora 1845 p. 225—237; p. 241—249; p. 260—269.*)

Hsskl. over het nut = Aantekeningen over het nut door de bewoners van Java aan eenige planten van dat eiland toegeschreven, uit berigten der inlanders zamengesteld. Amsterdam J. Müller. 1845.

Hsskl. Glumac. = Eenige aanmerkingen over de waarde der bloembekledselen van de Glumaceae, en over de verdeeling van deze klasse van gewassen; in Nat. et Gen. Arch. Batav. 1846. III. p. 185—194.

Novas nonnullas ex illo inde tempore observationes facere, opportunitas mihi fuit et saepius mihi contigit, jam dudum factas meas cum novis aliorum auctorum confrontare; ea ratione quoque ordinem plantarum, quas descripturus sum, saepius in mente revolvi. Primo eas omnes eodem ordine, uti et in horto bogoriensi ejusque catalogo feci, secundum opus summae laudis dignum *Endlicheri* celeberrimi „*Genera plantarum*" disposueram, sed, ad plantas dicotyledoneas progressus, divisio harum in greges tres hasce: „*Apetalae, Monopetalae et Polypetalae*" nullo modo mihi sufficere potuit et persuasum me habui, principium divisionis haud a defectu aut praesentia, nec a majori aut minori symphysi petalorum sumi posse, eo minus, cum et in monocotyledoneis pariter hujus principii rationem habuerimus. Eam ob causam in disponendis plantis dicotyledoneis secutus sum opinionem *Schleidenii* celeberrimi, qui majoris pretii habet divisionis principium organorum fructificationis in flore et florum in inflorescentia successivam coarctationem; uti ipse jam egregie demonstravit (in Grundz. ed. secnd.

) cf. dein p. 300.

T. II. p. 216 et 357). Cum autem hanc rationem in monocotyledoneis haud adhibuerim, certe harmonia inter partem operis utramque quodam modo est perturbata; ast haud plane convictum me habere potui, seriem monocotyledonearum, quam *Schleiden* clbrr. (l. c.) proposuit, totam naturalem esse et praeprimis *Gramineis* tam altum inter eas locum haud vindicare possum, quam *Compositis* inter dicotyledoneas plantas. Pari modo theoriam fructificationis Schleidenii clbrri haud longius defendere licet et inde schema divisionum suarum principalium paullo mutandum erit, quod proponam sequens, vocibus tamen: „*Angiosporae et Gymnosporae*" aliae substituendae erint, quia haud omnes ad Angiosporas ductae plantae sporas, integumento externo velatas, gerunt. Plantae igitur omnes sunt:

AGAMAE. (Cryptogamae, Acotyledoneae, Exembryonatae, Sporiferae.)

Angiosporae. (Algae, Fungi, Lichenes.)

Gymnosporae.

Arhizae. (Hepaticae, Musci.)

Radicatae. (Lycopodiaceae, Filices, Equisetaceae.)

GAMICAE. (Phanerogamae, Cotyledoneae, Embryonatae, Seminiferae.)

Athalamicae. (Rhizocarpeae.)

Thalamicae.

Gymnospermae.

Angiospermae.

Monocotyledoneae.

Dicotyledoneae.

Düsseldorpiae die 6a Dec. 1847.

J. K. Hasskarl.

INDEX SYSTEMATICUS.

(Numeri antepositi ordinem, postpositi paginam indicant.)

AGAMAE GYMNOSPORAE RADICATAE.

EQUISETACEAE DC.

1. EQUISESUM VIRGATUM BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 601. Msn. Gen. 429. Comm. 329.
Char. Spec. cf. Bl. Enum. 274. Hsskl. Pugill. 11. *E. aquaticum* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 74.?

Descriptio. Herbae subscandentes, in paludosis montosis et sylvis humidis diversa supra mare altitudine, ramosissimae 3—10 ped. altae, fruticum herbarumque vicinorum ramos obtegentes; *rami* primarii digiti minimi fere crassitie 2—3-fariam striati, secundarii tenuiores 11—15-fariam striati, summi fructificantes striis 18—20, adscendentes asperi fragiles articulati; *articuli* 1—3 poll. longi, virides; *vaginae* apicem versus latiores, primariae saepe 0,5 poll. longae, dentatae; *dentes* totidem ac ramorum striae ad margines nigri, membrana hyalina diaphana, mox decidua, connati acuti; *ramuli* irregulariter erumpentes, plerumque 4, nunc cruciati, nunc 1-laterales, saepe 3—2-ni aut solitarii, longissimi, hinc inde ramulum unum alterumve solitarium emittentes, valde debiles, apicem versus saepe filiformes; *fructificationes* terminales et in ramis primariis et in secundariis, rarius in ternariis 1,0 poll. longae, primo strobiliformes, dein squamis centrifugaliter dehiscentibus apertae, basi involucro duplici lutescenti (vagi-

nis valde approximatis) cinctae; *involucrum* inferius e dentibus rameis mutatis, superius e squamis fructificationis abortivis; *squamae* fructiferae peltatae nigrae ad latera virides; *sporidia* atroviridia, jam nudo oculo ab elateribus distinguenda, quasi lanam glaucescentem, punctulis saturatioribus intermixtam, referentibus. — Per totum annum fructificantem vidi 1838—43.

GAMICAE ATHALAMICAE.

SALVINIACEAE BRTL.

2. AZOLLA PINNATA R. BR.

Char. Gen. cf. R. Br. Prdr. Nov. Holl. I. 166. (22.) Endl. Gen. 688. Msn. Gen. 436. Comm. 338. 5. Flora, Bot. Zeit. 1846 p. 481 etc. T. VI.

Char. Spec. cf. R. Br. l. c. 167. (23.) Hsskl. Adnot. et Catal. 49.ª 1 p. 293 cum Kaulf. Filic. 273. *A. microphylla.*

Descrpt. Herbulae minutae, circumscriptione triangulari, natantes, densae et aquas stagnantes prope *Bataviam* (sepulcra Chinensium et in horto prope Weltevreden) pariter ac prope *Tjipannas*, altitudine 3450 ped. supra mare elatum locum tegmento primo laete viridi, dein rubro obducentes; *radices* solitariae teretes, pollicem longae, ubique fibrillis tenuissimis nudo oculo invisibilibus obtectae; *fibrillae* hyalinae teretes unicellulosae, globulos minutissimos sub lente acuto tantum conspiciendos hyalinos, praeprimis versus apicem congestos foventes, superiore parte patentes, inferiore pendulae, radici parallelae; in radicibus junioribus intra membranam vaginalem radici parallele adpositae; membrana dein evanida liberae, horizontaliter expansae, infimo apice tantum intra vaginam conicam (*spongiolam*) adhuc receptae; *circulatio succi* haud cognoscenda nec in ipsis radicibus, nec in fibrillis;

caules teretes 0,2 — 0,3 poll. longi, pinnatim ramosi; *foliola* superiora crassa papulosa subcubica, margine superiore (anteriore) subfalcata; apicalia (summa) hemisphaerica concava supra viridia (juvenilia laete-, seniora atro-,) postremo rubra tesselatim elevato-punctata; — inferiora (paginae inferioris) hyalina semiorbicularia, versus centrum rosea; *fructificatio* mihi haud obviam venit mens. Januar. — April. 1846.

GAMICAE THALAMICAE ANGIOSPERMAE.

MONOCOTYLEDONEAE.

GRAMINEAE JSS.

3. ORYZA SATIVA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 729. Msn. Gen. 414. Comm. 317.

Char. Spec. cf. Schlt. Syst. Veg. VII. 1363. Hsskl. Diagn. nov. 2. Catal. 58. 1. Decad. 1. Formae innumerae, in horto bot. Bogoriensi olim cultae, haud constantes perstitere; signa e praesentia aut defectu aristarum earumque colore sumpta in se transeunt et ne varietates quidem constituere possunt. Huc pertinent sine dubio *O. pubescens* Dsv.; *O. rubribarbis* Dsv. (Páddi mêra); *O. elongata* Dsv.; *O. sorghoides* Dsv.; *mutica* Lour. (Páddi gûndil); *O. communissima* Lour.; *O. montana* Lour.; *glutinosa* Lour. (Rmph. amb. V. 201. Ketàn.) — Formam, quae vulgo *P. djámbang* dicitur, hoc loco fusius describam, ea quidem ratione, ut descriptionem optimam *Neesii* clssi. ad *O. subulatum* subjiciam et differentias tantum, quas nostra praebet, sim adnotaturus (cf. Schlt. l. spr. cit.)

Descrpt. Herbae annuae; *caulis descendens* obliquus, radicis fibrosae fibris semipedalibus aut pedem fere longis, in diversa ejus altitudine ex ipso progredientibus, tenuioribus fuscis fibrillosis obtectis; *adscendens* simplex, post anthesin saepe basin ramosus subteres, 4,0—6,5 ped. altus, versus basin cum vaginis 0,5 poll. crassus (in uberioribus), rectus strictus laevis, totus vaginatus; *vaginae* inferiores distichae compressiusculae, versus apicem dorso crassiusculo carinatae, infimae tantum emarcidae et pallidae, reliquae omnes virides glabrae, vix scabriusculae, versus apicem tantum hiantes, infimae fere totae hiantes, 13—16 poll. longae; *lingulae* exsertae 0,3—0,7 poll. longae, inaequaliter ad basin fere bifidae; *laciniae* inaequales, utraque lanceolata acuta, in vaginae margines decurrens,

basi latere utroque auricula falcata horizontali, pilis longis horizontalibus ciliata, in foliis summis saepe abortiva cinctae, lividae; *folia* linearia stricta patentia, apice nutantia acuminatissima, basi cum vagina quasi nodoso-articulata, — nodo versus margines latiori, — infima paullo minora 24—30 poll. longa, 0,7 — 1,2 poll. lata, culmea summa et infima subaequilonga, plerumque 11-nervia, costa subtus prominente crassa triquetra obtuse carinata, utrinque, praeprimis autem supra antrorsum scaberrima, margine e aculeolis serratis minimis acutissimis secantia; *panicula* contracta 6—12 poll. longa, primo semiinclusa in vagina suprema, dein plus minus longiter exserta erecta, apice nutans; *rachis* 6 poll. longa angularis vix trigona; *rami* basi subverticillati, superne oppositi aut alterni, infimi ad insertionem sericeo-villosi 4—6 poll. longi, acute triquetri, rigidi, compresso-trigoni scabri, apice post lapsum spiculae margine submembranaceo bipartito, laciniis rotundatis minutis erectis, papillam mediam cingente coronati; *spicula* nodo solubili inserta, 3-bracteata, bracteolis collateralibus connatis ad inferiores bracteas nullis; *bracteae inferiores* binae perbreves lucidae, *inferior* paullo major, 0,1 poll. longa, supra medium utrinque unidentata, lineari-lanceolata, acuminata, basi 3-nervis, apice 1-nervis, margine minutissime serrulata; *superior* (secunda) vix ab inferiore diversa, nisi apice saepe bifido et basi latiori; *summa* (tertia) 0,2 poll. longa, 0,1 poll. lata, dimidiato-obovata compressa, dein subtrigona (antice fornicata) carinata, pallide viridis 5-nervis, nervis binis marginalibus, binis intermediis, quinto mediano carinato; carina ciliis erectis rigidis, caeterum plus minus adpressis, mutica i. e. mucrone minuto calloso ad apicem praedita; *bracteolae collaterales* in unam, bractea vix breviorem, 0,05 poll. latam connatae, compressam carinatam, in fructu concavam, pariter pilosam et muticam; *perigonii foliola* bina membranacea magna, germen cingentia, apice truncata; *filamenta* ante anthesin capillaria albida, longitudine antheras vix excedentia, erecta, 0,12 poll. longa, glaberrima lucida, ad germinis imam basin inserta; *antherae* oblongo-lineares (pallide) luteae 2-loculatae; *loculi*

basi et apice paulo disjuncti; *germen* viride glaberrimum lucidum, utrinque attenuatum 0,05 poll. longum; *stylus* hyalinus ad basin fere bipartitus; *rami* divaricati hyalini curvati, antherarum basin attingentes; *stigmata* plumosa, styli ramos aequantia albida; *fructus* 0,2—0,3 poll. longi, mutici in bractea summa trigona cum bracteolis connatis concavis gilvis scabriusculis muticis pubescentibus arcte inclusi, oblongi, subtrigono-compressi, longitudinaliter sulcati, basi ad dorsum impressione candida opaca nótati, caeterum hyalino-rubentes glaberrimi lucidi; *seminis* albumen in sectione rubenti-albidum. Nomen malaicum: *Páddi*, sudense: *Páreh*.

Liceat nunc mihi addere signa differentiae, quibus formae nonnullae distingui possent, si cultura persisterent. —

b. Páreh rhôgol. *Bractea secunda* acuminata; ciliae *bracteae tertiae* ad carinam minus a pilis reliquis distinctae, *mucro* apicalis subnullus aut (in eodem ramulo ejusdem inflorescentiae!) 0,05—0,7 poll. longus, in aristam rectam elongatus glaberrimam albidam, in fructu saepissime deciduam; *bracteolae* connatae mucrone subnullo, semper breviori, quam illo bracteae summae, praeditae; *filamenta* bracteam summam aequantia; *antherae* exsertae; *stigmata* filamenta dimidia vix attingentia; bractea summa cum bracteolis in *fructu* saturatius tincta, mutica (an semper?); *fructus* praeter impressionem dorsali-basalem candidam et in dorso macula albida farinosa instructi, minus rubentes. —

c. P. gûndil; — *Bracteae binae inferiores* supra medium bidentatae, dein acuminatae aut integerrimae; *summa* cum *bracteolis* apice (et in fructu) atrosanguineo-mucronata, nec aristata, subaequaliter adpresse pilosa; fructificans intensius fulva, quam *b.*; *fructus* crassiores, nec hyalini sed albidi, intus toti lactei; impressio dorsali-basalis colore haud distincta. — *Oryza mutica* Lour.?

d. P. májang púti (alba). *Lingulae* 2-3-partitae, apice lacerae (saepe, nec semper), auriculo paulo latiores; *panicula* patens; *bracteae* binae inferiores infra apicem bidentatae, subtrinerves, summa et bracteolae connatae adpresse et mi-

nute puberae, dorso vix ciliatae; *mucro* brevis, in parte inferiore primo albidus, dein roseus; *stigma* atropurpureum lateraliter exsertum.

e. P. májang búrüm (rubra). *Lingulae* 0,5—1,2 poll. longae, auriculae saepe subnullae; *panicula* contracta; *bracteae* inferiores saepe sub apice bidentatae acuminatae, summa mucronulata et collaterales subaequaliter adpresso-puberulae, fructiferae pallidae; *mucro* ad apicem rami et praeprimis inflorescentiae saepe elongatus in aristam flavescentem rectam, aut supra basin paulo flexuosam 0,2—1,5 poll. longam persistentem; *stigmata* albida; *fructus* laevis lucidi rufi, impressio basali-dorsalis fulva; *semen* intus subroseo-hyalinum.

f. P. ángsâna (Oryza Pterocarpi). *Bractea* ima utrinque 1—2-dentata acuminata, superior vix dentata, summa et bracteolae connatae subaequaliter adpresse puberae; *bractea summa* apice atrosanguinea in aristam flexuosam, basi albidam, versus medium rubentem, dein ad apicem atrosanguineam, 0,5—2,5 poll. longam, demum totam atrosanguineam prolongata; *stigmata* albida; bractea *fructigera* pallida, arista atrosanguinea; fructus antecedentis intus ad dorsum candidus.

g. P. sýngul. — *Bracteae* inferiores sub apice bidentatae, ima nunc 4-dentatae; tertia cum bracteolis connatis subaequaliter puberula, in carina vix ciliata, apice atrosanguinea, *bracteae summae* arista primo basi albida, medio rosea, dein basi sanguinea, flexuosa 1—3 poll. longa; *stigmata* cf. *d.*; bractea *fructigera* pallida, arista lurido-rubra; *fructus* rubiginoso-rufi; impressio basali-dorsalis ferruginea; macula dorsalis rufa; *semen* intus roseo-hyalinum ad dorsum candidum.

h. P. sálak. — *Lingulae* acuminatae; *bracteae inferiores* apice bidentatae virides, dein fuscae, postremo atrosanguineae, in fructu pallescentes plus minus fuscae, *summa* et bracteolae connatae subaequaliter puberulae, vix in carina ciliatae, apice sanguineae atrovirides, in fructu intensius coloratae ferrugineo-fulvae; bracteae *arista* alba apice rosea, dein omnino atrosanguinea, flexuosa 1,0—2,5 poll. longa; *stigmata* antecedentis; fructus *b.*

i. P. matáram. — *Lingulae* acuminatae, 0,9—1,3 poll.

longae, *bracteae inferiores* bidentatae, pallide virides, *summa* et *bracteolae* minutissime et adpresse puberae; *arista* bracteae summae 1,0—2,5 poll. longa, flavescens flexuosa; *stigmata* albida; *fructus*?? —

k. P. lándung. — *Panicula* ad 15 poll. longa; *bracteae* inferiores bidentatae; *summa* et *bracteolae* puberulae vix ciliatae; *arista* pallide-flavescens, 2—3 poll. longa; *stigmata* albida; *fructus*?? —

4. PASPALUM SCROBICULATUM L. β. KORA Wld.

Char. Gen. cf. Knth. Enum. I. 40. Endl. Gen. 761. Msn. Gen. 417. Comm. 319. 64; — spiculae 3-bracteatae, 1-florae; bracteae binae inferiores vacuae, inferior interior superiori exteriori subaequilonga, tertia fertilis bracteolis connatis subaequalis.

Char. Spec. cf. Knth. Enum. I. 53. 89 β., Sppl. Tab. IX. fig. 3 plane congrua. — *P. coromandelinum* Lam. Knth. l. c. 55. 99 vix diversum et *P. Walterianum* Schlt. Knth. l. c. 41. 3 e diagnosi haud distinguendum.

Descrpt. Herbae perennes, in stagnantibus prope *Weltevreden* copiosae; *caulis* prorepens, apice adscendens, ramosus; *rami* erecti, aut e basi adscendenti-erecti 8—14 poll. longi, basi ramo uno alterove praediti, teretes; *vaginae* subcompressae 1,8—4,0 poll. longae, 0,12 poll. latae, glabrae; *lingula* truncata brevissima ciliata; *folia* lineari-lanceolata brevia, acuta, 2,8—4,0 poll. longa, 0,6 poll. lata, glabra margine tantum scabriuscula, plana, siccando convoluta; *spicae* 2—3 alternae, 1—2 poll. longae, 0,1 poll. latae; *pedunculus* communis latus membranaceus, dorso planus, glaberrimus, antice nervo medio prominulo percursus ibique spiculas gerens et eas obtegens; *spiculae* nervo huic insidentes, breviter pedicellatae, densae, secundae, 25—40 biseriatim dispositae eique arcte adpressae, 3-bracteatae, bractea summa tantum fertili; *bracteae inferiores* binae vacuae steriles laxae, subrotundae acutae, membranaceae albidae, margine viridi cinctae; *inferior* interior, pedunculo communi adpressa, 1-nervia, nervo viridi, concava; *superior* exterior, planiuscula 3-nervia, nervis lateralibus apicem vix attingentibus; *bractea summa* (3tia) rigida chartacea, semiorbicularis nitida, laete viridis, obtusa, concava,

marginibus inflexis, subenervis; *bracteolae collaterales* in unam superiorem connatae paulo minorem, a bractea summa amplexam eique subaequalem concavo-planam, basi ad margines hyalinam, tenerrimam, inflexam, biauriculatam; *auricula* deltoidea repando-denticulata; *perigonii foliola* bina truncato-lacera; *germen* subglobosum apice paulo attenuatum; *styli* longi tenues a basi divergentes; *stigmata* plumosa denticulata, hyacinthina, longe ex bracteae summae apice exserta; *filamenta* tenerrima albida flexuosa; *antherae* exsertae oblongae versatiles, medio insertae utrinque bifidae. — Januar 1846.

5. PANICUM BRIZAEFORME Prsl.

Char. Gen. cf. Knth. Enum. I. 75. Endl. Gen. 770. Msn. Gen. 418. Comm. 319. 72.

Char. Spec. cf. Knth. l. c. 78. 18, sed bractea infima acuta nec truncata, dum Sppl. Tab. X. 2 nostram plane quadrat. *P. brizoides Jcq.* Knth. l. c. 17 vix diversum habendum; *P. flavidum* Knth. l. c. 20. e diagnosi differt: bracteis binis infimis obtusis earumque magnitudine grandiore, e descriptione (Knth. l. c. Sppl. 60. 108) autem et foliis et spicis minoribus, spiculis solummodo 3—5 nec 7—15, flore inferiore neutro et ejus bractea bracteolisque connatis obtusis; *P. brizoides L.*, quod *Roxburgh* (Flor. Ind. ed. Wll. I. 296) a *P. flaccido L.* (ex opinione *Koenig*) haud diversum habet, certe huc pertinet, nostris speciminibus descriptionem ibidem datam plane quadrantibus.

Descrpt. Herbae perennes humiles in apricis, gramiminosis et ad lacuum margines copiosae; *caules* subterranei prorepentes; *rami* fertiles basi ramosi complanati repentes, supra basin adscendentes erecti, stricti, 6—20 poll. longi, apice teretiusculi glaberrimi; *vaginae* complanatae acutissime carinatae, 1,5—2,5 poll. longae, in ramis sterilibus longiores 4 poll. attingentes, 0,1—0,2 poll. latae; *lingula* brevissima subciliata; *folia* ramorum *fertilium* patenti-erecta, rigida nunc lineari-lanceolata nunc linearia, acuta, basi carinata, carina subtus prominula, subcordata, lobis baseos in pilos singulos laceratis, 3—5 poll. longa, 0,2—0,3 poll. lata; ramorum *sterilium* laxiora erecta, linearia, acuminata, longiora 5—8 poll. longa; *omnia* subtus glaberrima, supra in margine rubenti minutissime serrulata et inde antrorsum scabra; *pedunculus communis* 2—9

poll. longus, racemosim spicas 2—7 erecto-adpressas gerens, supra spicas excavatus, canaliculatus, dorso convexus; *spicae* distantes, 0,4—1,0 poll. longae, e spiculis 7—15 sessilibus distichis congestae; *pedicellus communis* dorso planus, antice carinatus, carina flexuosa alternatim exsculpta, in margine cartilagineo minutissime serrulatus; *spiculae* ovoideae acutae, biflorae 4-bracteatae, summae tabescentes; *flos* inferior staminiger, superior hermaphroditus; *bracteae* binae *inferiores* vacuae tenuiores membranaceae glabrae concavae, *inferior* exterior minor, ovato-subrotunda 3-nervis acuta hyalina, apice nunc rubens nervis viridibus; *superior* interior exteriori conformi 3-plo major, extus nitida, pallide viridis, basi hyalina, apice sanguinea, nervis 5—7 viridibus percursa, 0,06 poll. longa; *bractea tertia* florem staminigerum fovens, rigida chartacea, oblonga acuta planiuscula, marginibus inflexis bracteolas connatas amplectens, 3-nervis, basi hyalina, apice purpurascens, caeterum laete viridis; *bracteolae collaterales* in unicam connatae hyalinam, ovato-oblongam acutam planam, marginibus inflexis ad marginem 2-nerviam, ibidem rigidiorem viridem, 0,1 poll. longam, bractea vix breviorem, 0,05 poll. latam; *perigonii foliola* 2(?) minuta suborbiculata lacera(?); *filamenta* 3 elongata tenuissima flexuosa; *antherae* exsertae versatiles aurantiacae oblongae, utrinque bifidae, lobis dein divergentibus; *pollen* luteum globosum; *bractea 4ta* pedicello communi adpressa, florem superiorem hermaphroditum fovens, rigidissima, reticulato-punctata, oviformis, facie complanata, acuta, marginibus inflexis, sub angulis acutis, bracteolas connatas amplectens, enervis aut tenuissime 3-nervis; *bracteolae* in unicam superiorem connatae minorem, extus dein complanatam, marginibus hyalinis inflexis, ovatam, acutam, tenuissime 2-nervem; *perigonii foliola* 2 dolabriformia truncata; *filamenta* 3, dein elongata; *antherae* exsertae, jam descriptis consimiles; *germen* ovoideum; *styli* longissimi; *stigmata* plumosa exserta flavescentia, pilis longis vix denticulatis obsessa; *fructus* bractea et bracteolis connatis dein induratis arcte inclusus, a dorso compressus indehiscens. — Januar 1846.

Observ. In eodem sed magis umbroso loco eodem mensi ac sequentibus specimina reperi maxima hisce dimensionibus: *Caules* ad nodos 5 inferiores ramosi adscendenti-erecti, basi 12 poll. longa, parte erecta 18—22 poll. longa; *rami* superiores omnes fertiles; rami inevoluti (absque foliis) 3—4 poll. longi, 0,3 poll. lati; *vaginae* 2—3 poll. longae, 0,2—0,25 poll. latae; *folia* 5—10 poll. longa, 0,3—0,4 poll. lata linearia, subtus glaberrima carinata, supra et praeprimis in marginibus serrulato-spinulosis scabra; pili baseos foliorum longi patentes; *pedunculi* solitarii hinc gemini, elongati stricti, 12 poll. longi; *spicae* 0,5—1,0 poll. longae; *spiculae* 11—17, basi paulo distantes.

6. PANICUM BICORNE Knth.

Char. Gen. Msn. Gen. 418. Comm. 319. 72, Endl. Gen. 770, ubi false spiculae 2-florae laudantur, quae binae collaterales sunt. — Magnopere accedit ad *Spartinam* Schreb. (Endl. Gen. 846. Msn. Gen. 421. Comm. 322. 131) ita, ut hoc genus vix a *Panico* sejungi liceat.

Char. Spec. cf. Knth. En. I. 83. 48. — *Spartina geniculata* Beauv. Knth. l. c. 279. 15 huc certe pertinet. Icon *Gynerii* Knth. l. c. p. 251. nostram speciem sufficienter refert. An huc pertinent: *P. timorense* Knth. l. c. 83. 52; *P. didactylum* Knth. l. c. 84. 58 et *P. ornithopus* Trin. Knth. l. c. 85. 63? cf. *Urochloa cimicina* Knth. l. c. 74. 5. Rxb. Ind. ed. Wll. I. 295. 17. — *Panicum adscendens* Hmb. Knth. l. c. Sppl. 63. 113 valde affine videtur, sed spicae 9—10, 2—4-pollicares et flos sessilis neuter, bracteolae connatae nullae, bractea tertia ciliata.

Descrpt. Herba repens vilissima in viis ruderatisque prope *Bataviam* et *Bogor*, ad nodum quemque fibrillas 4—5 rubentes emittens, apice florifero adscendente; *caulis* tenuis teres laevissimus lucidus geniculatus, ad nodum quemque ramum adscendentem proferens; *rami floriferi* 1—2-articulati 4—12 poll. longi; *vaginae* inferiores complanatae, 0,5—1,5 poll. longae glaberrimae; *lingulae* in stolonibus brevissimae, in pilos plurimos elongatos solutae et inde *vaginae* orificium longiter ciliatum, in ramis adscendentibus 0,1 poll. longae, truncato-abscissae, basi margine pilis singulis longis, in lingulis summis plane deficientibus instructae; *folia* lineari-lanceolata, acuminata, 1,5—2,5 poll. longa, 0,2—0,3 poll. lata, supra et

margine scabriuscula e aculeolis serrulatis minutis, sub lente tantum cognoscendis; *spicae* 2—3, rarius 4—5 digitatim confertae, primo in anthesi incipiente erectae, pedunculi communis dorsis sibi adpositis, dein patentissimae, graciles, 2,0—3,5 poll. longae; *pedunculus communis* complanatus, postice viridis glaberrimus, antice subcarinatus; *spiculae* secundae biseriatim alterne dispositae, plerumque geminae, altera pedicellata; *spicula inferior* subsessilis; *bracteae* binae *infimae* vacuae, *inferior* interior minima hyalina, nervis 3 viridi-flavescentibus percursa, ovata, acuta, ciliis longis, ipsi bracteae aequilongis praedita; *superior* externa oblongo-lanceolata acuminata 3-nervis, pariter longe ciliato-lanata, inferiore 4—6-plo longior, bracteam floriferam cum bracteolis includens, navicularis, carinata; *bractea tertia* bracteolas connatas involvens, iisdem paulo longior, tenera sed chartacea, oblongo-lanceolata, nervo unico, ad apicem percurrente, viridi percursa, margine nec denticulata, nec fimbriata, apice tantum vix 2-denticulata; *bracteolae* in unicam superiorem connatae, bracteae fere conformem, ad apicem tantum subtruncatam et leviter binerviam et bicarinatam; *perigonii foliola* truncata, subemarginata; *filamenta* primo brevia, dein exserta; *antherae* oblongo-lineares, apiculatae, basi bifidae, lobis acutis; *germen* oblongum; *styli* bini discreti, longi, filiformes; *stigmata* exserta plumosa kermesina, pilis crenulatis; *fructus* bracteolis adhaerens; — *pedicellus* spiculae *alterae* spiculam sessilem dimidiam paulo excedens, superiorem subaequans, anceps subalatus, margine serrato-aculeolatus; *spicula* pedicellata sessili plane conformis. — Mens. Januar. 1846.

7. PANICUM UMBROSUM Rtz.

Char. Gen cf. Knth. En. I. 75. Endl. Gen. 770. Msn. Gen. 418. Comm. 319. 72; — an *Stenotaphrum* Trin. Knth. l. c. 137. Endl. Gen. 774 sufficienter a *Panico* distinctum? an potius *Panici* sectioni: „spica solitaria" adscribendum? Haec nostra intermedia videtur inter genus utrumque.

Char Spec. cf. Knth. En. I. 90. 99. Sppl. 68. 121, sed germen subglobosum nec oblongum! *Roxburghii* (Ind. I. 300. 27) citatum, jam a Kunthio cl ss. dubiose huc relatum, differt: spiculis basi pilis cinctis,

braeteisque infimis pilosis! — *P. prostratum* Lam. Knth. l. c. 89, 97 et Sppl. 68. 120 vix nisi spicis (7—9) pluribus diversum videtur.

Dscrpt. Herba annua ramosissima, gracilis, basi procumbens, repens, in hortis prope *Bataviam* sat frequens, (nec culta!); *caulis* nodoso-articulatus, geniculatus, a basi ramosissimus; *rami* radiatim divergentes repentes, apice floriger adscendentes; *radices* ad quemque nodum 2—5 albidae, solum petentes 1,0—1,5 poll. longae, fibrillis capillaribus tectae; *internodia* laete viridia, lucida glabra 0,3—1,0 poll. longa, ad nodos incrassata, ramorum florigerorum 6—12 poll. longorum sensim longiora, terminale longissimum 3—5 poll. longum, basi vaginatum, apice atro-, imoque rubenti-viride; *vaginae* subcompressae nunc ancipites, longitudinaliter tenuiter nervosae, antice fissae, margine purpureae et eleganter ciliatae, virides, striis intensius coloratis; *ciliae* basi immersae tenuissimae acutissimae, haud articulatae 0,01 poll. longae; *lingula* brevis membranacea tenuissima hyalina, in ciliae membrana ipsa ter longiores soluta; *ciliae* hae jam descriptis conformes 0,03 poll. longae; *folia* amplexicaulia, basi subauriculata, oblongo-lanceolata, acuminatissima, patentia, margine subundulata et acutissime minutissimeque serrulato-aculeolata imoque secantia, aculeolis antrorsum subadpressis, rigidis, hyalinis, basi latis, laete viridia, summa dein margine purpureo, postremo tota purpureo-viridia, subtus subcarinata, utrinque glabra, ima basi tantum ciliata, ciliis 0,05 poll. longis, basi a cellulis minutis, tuberculum prominulum constituentibus, circumvallatis, tenuissime parallelo-nervosa; infima minora, summa plerumque maxima, nunc folium altius maximum, 0,8—2,0 poll. longa, 0,2—0,4 poll. lata; *spicae* 5—6 in racemum terminalem erectum congestae, primo confertae virides, dein patentissimae purpurascentes, inferiores longiores 0,8—1,3 poll. longae, summae abbreviatae 0,5—0,2 poll. longae; *pedunculus communis* angularis exsculptus, subalatus, ad angulos minutissime serrulato-scaber; *spicarum secundarius* anceps, leviter flexuosus, dorso convexo-planus, atropurpureus, primo viridis, marginibus densissime ac minutissime serrulato-aculeolatus; antice laete

viridis, carinata; *carina* flexuosa alternatim 2—3-fariam dextrorsum ac sinistrorsum spiculifera; *spiculae* secundae, plerumque binae, conformes, altera sessilis, altera pedicellata; *inferiores* saepe in ramulo brevi ternae, alternae, binae sessiles, terminalis pedicellata; *spiculae* ovato-oblongae acutae plano-convexae, 1-florae (2-florae, flore altero inferiore sterili Autor.); *bracteae* 3 infimae vacuae steriles, summa (4ta) fertilis; *infima* interna pedunculo communi secundario adpressa, minuta, late ovata acuta, tenerrima, plerumque purpurascens, 0,01 poll. longa; *secunda* externa concava, 5-nervis oblongo-ovata acuta, nervis viridibus, inter nervos albida, sub lente hyalina; *tertia* secundae aequilonga, ovato-oblonga plana enervis, extra nervos tenuissimos albido-membranacea, inflexa et quartam bracteam cum bracteolis amplectens; *utraque* (2da et 3tia) membranacea tenuis, persistens, dein purpurascens, glaberrima, sublucida; *quarta* florem hermaphroditum sustinens, concava acuta obtusa concava obsolete 3-nervis, margine toto inflexo *bracteolas* amplectens in unicam superiorem oppositam connatas, paulo minorem, planiusculam, acutiusculam, obsolete 2-nervem, margine inflexo, *utraque* straminea, primo coriacea, dein indurata subcrustacea glabra, extus tuberculis albidis obsessa, sublucida, transverse rugosa, fructus dein arcte includens; *perigonii foliola* bina minuta hyalina collateralia, cuneato-dolabriformia, apice truncata, subemarginata; bracteae fertili opposita; *stamina* 3; *filamenta* dein elongata, capillaria, tenuissima, vix complanata albida flexuosa; *antherae* flavae, dein exsertae, versatiles, oblongo-lineares utrinque acutae, postremo utrinque bifidae et polline effoeto curvatae, biloculatae; *loculi* angusto-lineares, medio connectivo angustissimo albido interstincti, paralleli, longitudinaliter dehiscentes, utrinque acuti; *pollen* flavum globosum laeve, sat magnum, fovilla copiosa foetum; *germen* sessile subglobosum albidum lucidum uniloculatum; *gemmula* unica sessilis, germen implens; *styli* a basi divergentes, ibique horizontales, dein adscendentes, filiformes, germine 3-plo longiores, albidi; *stigmata* e bractea summa exserta, atropurpurea penicillata; *laciniae*

stylo dimidio longiores, plures (18—24) filiformes acuminatae minutissime adpresseque repando-denticulatae; *fructus* indehiscens a bractea summa et bracteolis arcte inclusus, a bracteis inferioribus, excepta infima, tectus, cum iis deciduus, convexo-planus; *semen* conforme albuminosum; *embryo* basalis lateralis; *albumen* farinosum candidum, e granulis minutis globosis regularibus, admissa Jodii tinctura lilacinis, compositum. — Mens. Februar. et Mart. 1846.

8. PANICUM PALUDOSUM Rxb.

Char. Gen. cf. Knth. En. I. 75. Endl. Gen. 770. Msn. Gen. 418. Comm. 319. 72; bracteae autem inferiores vacuae subaequales, bracteolae ad bracteam tertiam *sterilem* aut florem staminigerum gerentem nullae.

Char. Spec. cf. Rxb. Ind. I. 310. 43. Knth. En. I. 126. 352, e foliationis habitu sequentes species valde similes: *P. canescens* Nees et *glaucescens* Hmb. Knth. En. I. 110. 238 et 240. *P. accrescens* Trin. Knth. l. c. 116. 279, *P. Phragmites* Nees. Knth. l. c. 124. 334, *P. leucophaeum* Hmb. Knth. l. c. 336. Sppl. 93. 164.

Variates caulibus et toto habitu robustioribus aut debilioribus ex eodem loco stagnante dempsi.

Descrpt. Herbae in stagnantibus prope *Bataviam* uberrimae, longe prorepentes; *stolones* nunc crassitie pennae anserinae, nunc tenuiores teretes glaberrimae; *internodia* 3—7 poll. longa, 0,2 poll. crassa, a basi ad medium et ultra vaginis obtecta; *rami fertiles* adscendentes erecti glaberrimi una cum vaginis lucidi, 12—18 poll. longi, *vaginae* 2—3 poll. longae, pallide virides, striatae; *lingulae* brevissimae in cilias plurimas solutae; *folia* patentissima lineari-lanceolata acuminata nunc 6,5 nunc 2,5 poll. longa, nunc 0,3—0,4, nunc 0,15 poll. lata, primo visu utrinque glabra, tactu autem retrorsum scabra e pilis minutissimis, nudo oculo vix conspicuis, glaucescentia, margine angustissime albido-, dein puniceo-colorata et antrorsum aculeolato-scabra; *panicula* terminalis 7 poll. alta et lata, composita, patens; *pedunculus communis* ejusque *rami* angulati scabri glaucescentes, rami *inferiores* 4—5 poll. longi ramosi; *ramuli* iterum ramulos 3—5 gerentes; *spiculae* minutae pedunculatae, ejusdem rami contractae, spicam secundariam simulantes, in pedicello 0,2 poll. longo terminales, biflorae,

flore inferiore staminigero, nunc neutro, superiore hermaphrodito; *bracteae binae infimae* vacuae, subaequales oblongo-lanceolatae acutae, muticae 5-nerviae, membranaceae, nervis viridibus percursae; *bractea tertia* nunc florem nullum nunc staminigerum sustinens, hyalina tenerrima, nervis binis notata, apice acuta ovato-oblonga; bractea *summa* et *bracteolae* chartaceae subaequales, naviculares, laevissimae, nitidae, bracteis vacuis infimis minores, ovato-oblongae acutae; *bractea ipsa* sub-3-nervia; *bracteolae* in unicam connatae superiorem, oppositam, genitalia foventem, obsolete binerviam; *perigonii foliola* 2 truncata, uno latere producta; *stamina* 3; *filamenta* tenerrima; *antherae* sat magnae aurantiacae, dein exsertae kermesinae, lineari-oblongae utrinque bifidae infra medium insertae versatiles; *pollen* globosum, *germen* oblongum; *styli* bini longi albidi; *stigmata* plumosa purpurea exserta, pilis denticulatis; *fructus* indehiscens intra bracteam et bracteolas inclusus. — Mens. Januario 1846.

9. PANICUM SARMENTOSUM Rxb.

Char. Gen. cf. Knth. En. I. 75. Endl. Gen. 770. Msn. Gen. 418. Comm. 379. 72, flos inferior staminiger, perigonium 3-phyllum!

Char. Spec. cf. Rxb. Ind. I. 311. 45. Knth. En. I. 126. 354, post pag. 120. 308 ponenda species, quae e diagnosi differt solummodo: spiculis solitariis et flore altero neutro; cujus descriptio diversa: caule pubescenti (?), foliis ensiformibus (?) (dimensiones congruunt!), paniculaeque ramis glabris. — *P. tuberculatum* Prsl. Knth. l. c. 120. 308 differt: caule erecto, vaginis tuberculato-setosis, paniculae ramis infimis haud ramosis, flore inferiore neutro, bractea florem pistilligerum gerente laevissima! an sat distincta species? — *P. scopuliferum* Trin. Knth. l. c. 99. 158 differt: spicis tantum 5, bracteis dense pilosis! — *P. purpurascens* Raddi Knth. l. c. 104. 191 differt: caule erecto, nodis hirsutis, foliis ensiformibus(?) basi pubescentibus; — *P. jumentorum* Prs. Knth. l. c. 101. 174 differt: nodis sericeis, foliis linearibus, panicula ramosissima, spiculis acuminatis, flore inferiore neutro; ex Knth. l. c. Sppl. 80. 140 dein: panicula contracta virgata diversum. — *P. asperrimum* Lagasc. Knth. l. c. 105. 199 differt: bractea summa acuminata!

Descrpt. Herbae perennes in paludosis stagnantibus prope *Weltevreden* una cum *P. aurito* Prsl. vulgares et a Malais: *Rúmput Maléla* dictae, inflorescentiam 3—4 pedes

supra aquae stagnantis superficiem extollentes; *caulis* basi procumbens 6—10 ped. longus, submersus glaberrimus, laevis, nodoso-articulatus geniculatus, ad nodos deorsum radicibus albidis divergentibus 2—5 poll. longis, fibrillis tenuibus densis obtectis praeditus; *internodia* hinc basi vaginarum emarcidarum residuis cincta plerumque tota nuda, ad nodos crassa, rore glaucescenti obtecta, inferiora 2—3 poll. longa, 0,12—0,15 poll. crassa compressiuscula, versus apicem adscendentem sensim majora et crassiora, 4—6 poll. longa, 0,20—0,27 poll. crassa, omnia fistulosa; *cellulae epidermidis* lineares truncatae, marginibus valde crassis crispatulis; *stomata* nulla; *caulis* dein *adscendens*, superiore parte et *rami* erecti, stricti, ramosi, vaginis tecti et inde valde incrassati; *internodia* 4,0—5,0 poll. longa, 0,2 poll. crassa, glaberrima, rore glaucescenti obtecta, si solis radiis exponantur rubentia, fistulosa, vaginis plerumque breviora aut eis vix longiora; *cellulae epidermidis* conformes sed paullo latiores et margo crassior undulato-crispatus; *stomata* nulla; *vaginae* robustae convolutae, intense virides, basi articulatione albescenti-viridiuscula 0,35—0,40 poll. longa et crassa tumida, nodum cingenti suffultae, 5—6 poll. longae, 0,3—0,25 poll. crassae, versus basin densissime pilis cavis capillaribns albidis acutissimis aequabilibus, haud basi incrassatis subretrorsis, supra basin vaginae patentibus et altius minus densis hirsutae; apicem versus dein glabratae et nunc uti et vaginae ramulorum inferiores intra caulis aut rami vaginam reconditae, glaberrimae laeves, longitudinaliter parallele nervoso-striatae; *cellulae epidermidis* iis caulis aërei conformes; *stomata* juxta nervos utrinque 1—2-seriata ovato-oblonga, suam longitudinem simplicem aut duplam inter se distincta, e cellulis binis linearibus curvatis utrinque obtusis, rimam linearem crassiusculam cingentibus; *lingula* brevis 0,07 poll. alta truncata tenuissime membranacea hyalina apice ciliato-lacera; *ciliae* acutissimae strictae cavae inarticulatae tenuissimae; *folia* ope articulationis cartilagineae 3-angularis dorso 0,07, antice 0,2 poll. latae albescentis vaginis inserta, ibique minutissime et tenuissime ciliolata, patentia, apice cer-

nua aut pendula plana lineari-lanceolata, longiter acuminata, basi contracta auriculato-subcordata, dorso ad medium obtuse carinata e nervo medio subtus viridi, supra albescenti, 5—9 poll. longa, 0,5—0,8 poll. lata, utrinque glaberrima, *margine* cartilagineo scaberrimo secantia ex *aculeolis* antrorsis cavis acutissimis validis rectis, basi latissimis et minimis interjectis curvatis, hinc crispato-undulata, longitudinaliter parallelo-nervosa, striata; *cellulae epidermidis* faciei *superioris* sat magnae subquadratae, rectangulares aut oblongae utrinque obtuse truncatae, nunc juxta nervos paullo elongatae subrhomboideae acutiusculae, margine tenuissimo omnes integerrimae; *stomata* rara, seriata juxta nervos utrinque et serie unica mediana inter nervos, parva, cellulis epidermidis multo minora ovalia, jam supra descriptis subconformia; *inferioris* paginae *cellulae epid.* lineares, utrinque truncatae, nunc hinc inde attenuatae, margine crassiusculo crispato-undulatae; *stomata* conformia, nunc utrinque subattenuata, crebra, seriata; *panicula* terminalis pedunculo (rami aut caulis apice) 8—13 poll. longo, basi vaginato tereti glaberrimo suffulta, 7—10 poll. alta, patens 6—7 poll. lata, erecta stricta; *axis* paniculae teres basi glabra, supra insertionem rami cujusque canaliculata et e canaliculis pluribus supra subangulata, summo apice triquetra, in angulis pilis patentibus, iis vaginarum conformibus sed minoribus et granulis minutis plus minus foetis acutissimis ciliata, subflexuosa, laete viridis; *folia floralia* bracteaeformia, basi amplexicaulia, *infimum* lineari-lanceolatum acutum, margine ciliolatum 0,4—0,1 poll. longum, ramo adpressum longitudinaliter striatum, flavescenti-viride; *secundum* et *superiora* plus minus rudimentaria et secundo excepto vix cognoscenda; *rami* paniculae sparsi nunc suboppositi 12—18, inferiores ramosi, primo erecti, dein patentes et patentissimi secundi, basi articulato-nodosi; inferiores basi nudi 3,5—4,0 poll. longi, superiores a basi racemulis spiculiferis in pagina solum spectante obtecti 1,0—1,5 poll. longi, ancipites, dorso plani, flexuosi, intense virides, aculeolis minutissimis scabri, subtus linea mediana carinati et in carina uti margine scabri

et juxta carinam alternatim sinistrorsum et dextrorsum racemulos gerentes; *racemuli* ramorum inferiorum in ramulis 0,8—0,5 poll. longis congesti, superiores 6—3-stachyi, plurimi, ramorum superiorum 3—2-stachyi, spicula altera subsessili, altera 1—2 plus minus pedicellata, versus ramorum apicem monostachyi; *ramuli* et *pedicelli* sub-3-quetri ad angulos minutissime serrulato-scabri, pilis singulis patentibus longis albidis, iis ramorum baseos conformibus, sed plerumque robustioribus et granulis praeprimis versus basin copiosis foetis obsiti; *spiculae* ellipticae utrinque acutae glabrae lucidulae virides, dorso purpurascentes et stigmatibus atropurpureis versus apicem exsertis tristes, 0,12—0,15 poll. longae, 0,05 poll. latae, in anthesi apertae, apice 0,1 poll. latae 2-florae; *bracteae* 4 distiche imbricatae 2 inferiores vacuae, binae superiores floriferae et bracteolis collateralibus praeditae; *infima* minuta exterior, spiculam sustinens, hyalina late ovata acuta apice ciliata, nervo medio viridi tenui percursa, versus margines dein rosea 0,02 poll. longa; *secunda* interior membranacea tenuis concava 4-tam arcte includens, ovato-oblonga acuta, minutissime mucronulata, ciliolata, 5-nervia, nervis apice confluentibus viridibus, inter nervos hyalina, 0,12 poll. longa, 0,07 poll. lata; *utraque* e cellulis longitudinaliter seriatis linearibus utrinque truncatis, margine crispato-undulatis constans; *tertia* infimae anteposita et cum secunda spiculam totam includens, ejus formam externam constituens ideoque iisdem cum hac dimensionibus, membranacea tenuis, medio hyalina planiuscula, versus margines paullo rigidior 3-, sub-5-nervia, ad margines subinvoluto-concava, florem staminigerum gerens; *bracteolae collaterales* binae uninerviae in unicam, tertiae oppositam, eaque paullo longiorem et altius insertam 2-nerviam, nervis viridibus tenuibus, oblongam acutam, marginibus inflexam connatae, tenuissime membranaceae, hyalinae albidae, e cellulis linearibus elongatis, margine minute pinnatifido-incisis, utrinque subtruncatis; *flos staminiger: perigonii foliola* 3, cuneata ad basin staminum truncata emarginata subbiloba, lobo altero productiore angustiore, hyalina, e cellulis

iis bracteolarum conformibus, sed multo tenuioribus et minoribus conformata; *stamina* 3, e basi communi divergentia; *filamenta* primo valde abbreviata dein elongata, basi paullo incrassata erecta, teretia, versus apicem complanata tenuissima capillaria exserta pendula; *antherae* primo lineares flavescentes utrinque acutae, paullo supra basin insertae, dein utrinque bifidae, lobis divergentibus, lilacinae pendulae x-formes 0,07 poll. longae, 2-loculatae; *loculi* longitudinaliter dehiscentes, medio contigui, ad apicem utrumque divergentes, e cellulis lineari-oblongis utrinque attenuatis eleganter minutissime reticulati; *pollen* albidum globosum, laeve sat magnum; *membrana* externa hyalina aequabilis; *fovilla* granula minuta ovalia hyalina fovens; *bractea summa* (4-ta) caeteris structura et habitu difformis, late ovata acuta 3-nervia, nervis tenuibus intensius viridibus, navicularis, 0,09 poll. longa concava, marginibus inflexis et inde oblongo-ovatam formam simulans, indurata, chartacea, e cellularum stratis pluribus, ubique tuberculis subglobosis minutissime verruculata longitudinaliter seriatis copiosissimis, fructum dein arcte includens; *cellulae* lineares, iis bractearum inferiorum latiores et profunde inciso-pinnatifidae, laciniis acutissimis; *bracteolae collaterales* in unicam 4-tae oppositam et ab ejus marginibus inflexis amplexam connatae, eique consimilem, sed planam ovato-oblongam binerviam, marginibus inflexis florem et dein fructum amplectentem, acutiusculam, eadem cum 4-ta structura et pariter chartaceo-duram, paullo minorem et vix angustiorem, dorso planam; *flos* hermaphroditus; *perigonium* nullum; *stamina* 3 jam supra descriptis conformia, praecocia; *filamenta* persistentia dein fructum cingentia tenuissima; *germen* ovato-oblongum, versus apicem attenuatum, lagenaeforme, uniloculare, albidum minutum glaberrimum lucidulum; *gemmula* basalis erecta, suboblique adscendens, obovata, altero margine subsinuata; *styli* bini basi lobulo brevi, obsolete bilobo interstincti, a basi divergentes albidi, teretiusculi, apicem versus purpurascentes, germine paullo longiores, tres quartas partes bracteae summae longi; *stigmata* supra bracteam hanc mediam

lateraliter exserta atropurpurea plumosa, pilis copiosissimis purpureis subverticillatis acutissimis tenuibus, minute adpresse serrulatis, serraturis apice subrecurvis; fructus desiderantur! — Mense Mart. 1846.

10. PANICUM AURITUM PRSL.

Char. Gen. cf. Knth. En. I. 40. et 75 Endl. Gen. 770. et Sppl. III. p. 82; Msn. Gen. 410. et 418. Comm. 379. 72; sed bractea summa cum collateralibus connatis in nostris speciminibus semper tenuis, hyalina, indeque species haec valde ad *Andropagoneas* accedit et pariter affinitas quaedam ad *Festucaceas* adparet.

Char. Spec. cf. Knth. En. I. 113. 259 solo „*flore neutro bivalvi*" opponente; — valde affine *P. uliginosum* Rxb. Ind. I. 310. 44, Knth. l. c. 126. 353.

D e s c r p t. Herbae basi repentes adscendentes ramosissimae, in paludibus et stagnantibus prope *Bataviam* ubique frequentissimae, una cum *P. sarmentoso* consociatae et ante anthesin huic habitu simillimae, ab incolis malaicis: *Djúkut djudjúluk* et *Dj. súmbu* (sumbu = ellychnium; djukut = herba) dictae, quia medulla caulium ad ellychnia ubique adhibeatur, et pari modo pabulo equorum et buffalorum usae; *caulis* in fossis longe prorepens, immerso-subnatans 3—6 ped. longus nodosus, ramosus, ad nodos verticillum radicum patentium expansarum 1—4 poll. longarum fibrillis patentibus densis totarum tectarum gerens; *internodia* 3—5 poll. longa, 0,3—0,4 poll. crassa, subteretia, plerumque nuda, basi crassiora albescentia, versus apicem viridescentia, paulo tenuiora, intus medulla spongiosa candida foeta, quam styli ope facillime exprimere possumus; *medulla* haec constat e tela cellulosa stellari valde regulari*); *cellulae* plerumque sunt 5-radiatae, nonnullae 6—7-radiatae et hae videntur binae dimidiae in unum connatae, quae nunc interstitia formant quadrangularia, subquadrata aut magis irregularia; *caulis apex* et *rami* basi adscendentes, dein erecti 4—5 ped. alti, crassi glabri, vaginis ad maximam partem tecti nodosi; *internodia* 4—7 poll. longa, basi paullo incrassata 0,3 poll. crassa, sensim versus apicem

*) cf. Schleid. Grndz. wiss. Bot. I. p. 236. fig. 41 ubi interstitia triangularia ratione cellularum minora et magis regularia sunt, quam in nostra.

paullo attenuata, 0,25 poll. crassa, summo apice tantum saepe nec semper vaginis denudata, intus pari modo medulla copiosa spongiosa e cellulis plerumque 6—7-, rarius 5-radiatis constante farcta; *cellulae epidermidis* angustae rectangulares, lineares utrinque truncatae, margine sat crasso undulato-crispatae, hinc punctulis minutis elevatis (silicii) conspersae; *vaginae* teretes antice fissae convolutae, supra hiantes longitudinaliter parallele nervoso-striatae, prima juventute pilis sparsis ciliis conformibus patentibus tenuissimis conspersae, dein glabratae ad marginem e *lingula* brevi 0,07 poll. alta tenuissima membranaceo-hyalina membranaceae hyalinae, intra marginem tenuissime ciliatae; *ciliae* basi tuberculo subgloboso suffultae tenuissimae, 0,07 poll. longae capillari-subulatae acutissimae solitariae nunc geminae ex eodem tuberculo minute multi-celluloso, unicellulatae *), dein deciduae, tubercula albida relinquentes et inde *vaginae* margine asperatae 4—5 poll. longae pistacinae, dein marcescentes fulvae, in submersa caulis parte hyalinae, emarcido-evanidae; *folia* patentia, apice nutantia, plana, elongato-lineari-lanceolata, basi auriculato-cordata, apice acuminata, 9—15 poll. longa, 0,7—0,8 poll. lata, nervo medio subtus obtuso concolore versus apicem vix prominulo percursa, nervis collateralibus parallelis utrinque 5, *juniora* flavo-virentia, *seniora* pistacina, marcescentia fulva, subtus glaberrima laevia, supra pilis minutis tenuissimis patentibus hirsuto-pubera, dein hirta, versus apicem striguloso-scabra, dein glabrata; *pili* vaginarum ciliis conformes; *cellulae epidermidis* juxta nervos paginae *superioris* iis caulis conformes, solummodo latiores et breviores et stomatibus sat magnis interspersae, in marginibus magis profunde undulato-crispatae; in interstitiis inter nervos magis dilatae, a facie visae plus minus regulariter hexagonae, pariter inciso-undulatae; *stomata* seriata, nunc dupla, nunc dimidia sua longitudine a se interstincta, subrhomboideo-ovalia, e cellulis binis utrinque attenuatis, rimam sat latam linearem cingentibus; *paginae*

---

*) Schleid. l. c. p. 267. f. 83.b.

inferioris omnes iis superioris juxta nervos conformes et stomatibus plurimis conformibus interspersae; *foliorum margo* cartilagineus basi ciliis, iis vaginarum conformibus sed robustioribus, raris obsitus, tuberculis baseos sat magnis post cilias deciduas persistentibus; et inter haec minutissime arguteque antrorsum aculeolato-serrulatus, aculeolis in superiore foliorum parte validis antrorsis, intus cavis, acutissimis et inde scabro-secans, versus apicem plerumque densioribus et saepe geminatis; *panicula* terminalis, valde contracta spicaeformis cylindrica, flavo-virens, 6—12 poll. longa, 0,3—0,4 poll. crassa, breviter pedunculata, nunc basi vix e vagina summa rite evoluta, multiflora; *flores* centrifugaliter ab apice basin versus sese aperientes; *pedunculus communis* intense viridis subtrigono-teres glaber, nunc hinc leviter sulcatus; *bracteae* ad basin ramorum plerumque abortivae subnullae; *rami* inferiores elongati, pedunculati, pedunculo 0,5 poll. longo complanato ancipiti viridi glabro, 1,5—1,2 poll. longi, superiores sensim breviores subsessiles 0,5 poll. longi, summi sensim diminuti, ramosi glomerato-densi, spiciformes subsecundi; *axis ramea* complanata, dorso axi communi arcte adpressa et inde sulcato-canaliculata, flavescenti-virens, margine tenuissima, minute serrulato-aculeolata, aspera, antice alternatim ramos spiculiferos gerens; *rami secundarii* undique spiculiferi *axis* triquetra angulis acutissimis tenuissimis membranaceis serrulato-scabriusculis; *spiculae* lineari-lanceolatae laete virides lucidae distiche 4-bracteatae, floribus inferioribus tabescentibus 1-florae hermaphroditae; *bracteae* 3 *inferiores* vacuae, *infima* extrorsa minima tenuissima hyalina 0,03 poll. longa, 0,02 poll. lata subrotundo-ovata subconcava, nervo medio viridiusculo versus apicem sensim incrassato, dorso aculeolis 3—4 antrorsis acutissimis munito, excurrente in mucronem brevissimum subuliformem; nervis lateralibus binis tenuibus viridiusculis, medio evanidis; cellulae longitudinaliter seriatae, iis caulis conformes; stomata nulla; summi apicis elongatae, margine subintegrae; *secunda* superior introrsa ovato-lanceolata acuminata, nervo medio excurrente mucronulata, concava, 0,12

poll. longa, 0,03 poll. lata 3-, aut obsolete 5-nervia, nervis candidis et subtus prominulis, carinata, lateralibus paullo infra apicem evanidis et omnibus antrorsum serrulato-aculeolatis, intus glaberrima, lucida, juxta nervos viridis et inter strias virides praeprimis autem basi diaphana, hyalina, apicem versus viridis; cellularum structura eadem ac bracteae infimae; *tertia* infimae opposita aut potius anteposita, longissima 0,17 poll. longa, 0,03 poll. lata, concava oblongo-lanceolata acuminatissima subaristata, nervis lateralibus ad apicem in subulam aristaeformem percurrentibus, caeterum eadem ac secunda structura; *quarta* florem hermaphroditum sustinens, a marginibus tertiae amplexa, eaque multo minor et tenuior, membranacea, hyalina, plana, oblongo-lanceolata, acuminata, marginibus subinflexis, obsolete 3-nervia, nervis hyalinis tenuissimis, versus apicem vix flavescentibus, 0,1 poll. longa, 0,03 poll. lata, summo apice dorso minutissime aculeolata, e cellulis angustissimis elongatis margine crispato-undulatis conformata; *bracteolae collaterales* binae in unicam connatae bracteam summam aequantem paullo altius insertam, eique conformem, hyalinam obsolete 2-nerviam, nervis versus apicem flavescentibus infra apicem desinentibus, totis inermibus, tenuissimam, acutam; *perigonii foliola* bina brevissima cuneato-truncata, subbiloba, angulis rotundatis; *stamina* 3 hypogyna; *filamenta* primo abbreviata, dein elongata complanata tenuissima ex apice bracteae summae exserta, apice subulato-attenuata albida, e cellulis elongatis angustis integerrimis, vasa spiralia eleganter torta vestientibus; *antherae* primo lutescentes, dein exsertae violaceae versatiles, medio insertae 2-loculatae, deciduae; *loculi* ad medium connectivo subquadrato brevissimo conjuncti, caeterum toti liberi paralleli anguste lineares, utrinque obtusiusculi, longitudinaliter dehiscentes, effoeti aperti hiantes; *pollen* flavescens globosum laeve sat magnum, minutissime reticulatum, fovilla copiosa foetum; *germen* subgloboso-ovatum flavescens minutum 1-loculatum; *styli* bini a basi divergentes, erecti, longiter persistentes, albidi, germen decies superantes; *stigmata* plumosa candida,

decidua, e media bractea summa lateraliter exserta; pilis subverticillatis patentibus appressis serrulatis acuminatis, e serraturis adnatis subangulatis; *fructus* antice sulcatus, indehiscens, compressus oblongus, bracteam summam subaequans et ab hac cum collateralibus inclusus et cum tota spicula deciduus, candidus glaber lucidulus, stylorum rudimentis persistentibus coronatus, semiadnatus; *semen* conforme albuminosum; *embryo* lateralis ad sulcum positus erectus; *albumen* farinosum e granulis subglobosis minutis, tinctura Jodii ope caeruleis constans copiosum candidum. — Mense Martio 1846.

11. AGROSTIS SCABERRIMA Hsskl.

Char. Gen. cf. Knth. En. I. 217. Endl. Gen. 810.a. Msn. Gen. 419. Comm. 321. 99; bracteae infimae vacuae autem inaequales et summa mutica!

Char. Spec. Diagn.: Repens, ramis fertilibus adscendentibus, foliis planis utrinque et vaginis scaberrimis, lingula brevi truncata ciliata, panicula simplici brevi patenti; bracteis infimis vacuis inaequalibus, inferiore acuminata 9-nervia hispido-scabra, florem superantibus, summa et collateralibus connatis muticis, hisce minimis. — Affin. *A. pulchellae* Knth. En. I. 223. 38. — Habitu magnopere accedit ad *A. vulgarem* With. Knth. l. c. 220. 18. — *A. stoloniferam* L. Knth. l. c. 219. 12, quae differt autem bracteis infimis aequalibus, floribusque congestis; et *Deyeuxiam* (Agrostis R. Br.) Knth. l. c. 245. 39., quae differt: spiculis bifloris, bracteae summae arista et bracteolarum basi externa barbata!

Descrpt. Herbae perennes in stagnantibus prope *Bataviam* longissime prorepentes, apice geniculatim adscendentes; pars emersa 6—8 poll. longa; caulis anceps glaberrimus lucidus, ad nodos pilis albidis retrorsis hirtus; *internodia* inferiora 2,0—2,5 poll. longa, partis adscendentis vix 1,0 poll. excedentia, summum elongatum 3—5 poll. longum; *vaginae* complanatae subcarinatae 1,5—2,0 poll. longae, 0,15 poll. latae pilis retrorsis minimis, praeprimis in carina scabrae; *lingula* brevis truncata ciliata; *folia* patentia subdisticha glauca lineari-lanceolata acuminata 1,5—2,0 poll. lata, supra antrorsum, subtus retrorsum scabra, in margine cartilagineo spinuloso-serrata; *panicula* brevis patens ovata, 2 poll. alta et basi lata; *rami* alterni simplices flexuosi, inferiores spiculas 6—7, superiores 3—4 alternas distantes ramo adpressas gerentes, ancipites utrinque margine cartilagineo spinuloso-serrato scabri;

spiculae oblongo-lanceolatae acuminatae deciduae, convexo-planae, pilis singulis albidis erectis dein patentibus obsessae, 3 bracteatae uniflorae; *bracteae* binae *inferiores* vacuae, *infima* pedunculo communi adpressa, interna, oblongo-lanceolata, 0,17 poll. longa, 0,05 poll. lata, longiter acuminata 9-nervia, in nervis extus pilis longis singulis obsessa, margine et in nervis hinc inde ad apicem usque spinuloso-serrata; *pili* rigidi nunc unicellulosi; *secunda* externa 0,12 poll. longa, basi lata albida diaphana e cellulis chlorophyllo destitutis, apice viridis e cellulis omnibus chlorophyllo foetis, oblonga acuminata, acumine obtusiusculo, extus punctulis asperula, 3-nervia; *summa* (3-tia) membranacea tenuissima, navicularis oblonga acuta, marginibus inflexis bracteolas connatas fovens, 0,08 poll. longa, hyalina, integerrima enervis; *bracteolae* collaterales connatae ejusdem cum bractea summa structura et forma, eaque tertiam partem minor navicularis oblonga acuta, genitalia fovens, versus apicem kermesina; *perigonii foliola* . . . . . (truncata connata?) . . ; *filamenta* elongata filiformia; *antherae* ex apice spiculae exsertae versatiles purpureae utrinque et praeprimis basi bifidae, 2-loculatae; *loculi* oppositi dein ad extremitates divaricati; *pollen* album globosum granulis verruculosum; *germen* oblongum acutum bracteolis connatis tertiam partem brevius; *styli* teretes a basi divergentes albidi; *stigmata* plumosa exserta lilacina, pilis simplicibus denticulatis. — Mense Januario 1846.

12. DACTYLOCTENIUM AEGYQTIACUM Wld.

Char. Gen. cf. Knth. Enum. I. 261. Endl. Gen. 837. Msn. Gen. 422. Comm. 323. 145.

Char. Spec. cf. Knth. l. c. 1 Sppl. 205. 416. *Eleusine* Rxb. Ind. I. 345. 3. Rmph. amb. VI 9. t. 4. 1; sed folia juvenilia tota pilosa; secundum *Rumphium* herba ad lavandum capillitium adhibetur, dum radicis decoctum propinatum diarrhoeas sistere dicitur.

Descrpt. Herbae perennes, in hortis et ad vias prope *Bataviam* vulgatissimae; *radices* fibrosae, e nodis stolonum horizontaliter radiatim progredientium erumpentes; *caules fertiles* 3—5 e nodo quoque adscendenti-erecti, florentes 6—18 poll. longi, geniculati, ex internodiis 3—5 rarius pluribus conformati;

juveniles in basi caulis vaginati ancipites, *seniores* ultra medium e foliorum vaginis progressi teretes laeves glaberrimi, pariter ac stolones horizontales vaginis celeriter delapsis denudati; *internodia* 1—6 poll. longa; *vaginae* inferiores ancipiti-compressae glabrae 1—2 poll. longae, 0,1—0,2 poll. latae, superiores subteretes ad 3 poll. longae; *lingula* brevis truncata lacero-ciliata vix 0,1 poll. alta hyalina; *folia* patentia plana, apice haud convoluta 2—6 (summa vix 1) poll. longa, 0,2—0,4 poll. lata, juvenilia utrinque rare patenti-pilosa, seniora in margine tantum et carina ciliata; *pili* solitarii nunc gemini, unicellulares elongati simplices laeves, basi cellula epidermoidali hemisphaerica apice depressa circumvallati*), 0,04 poll. longi; *spicae* terminales 3—5 digitato-confertae, patentissimae dein divaricatae; *pedunculi communes* basi ad spicularum insertiones puberulae, apice mucronatae, spiculas 60—100 biseriatim secundas, solum spectantes gerentes, 0,8—1,5 poll. longi, 0,3 poll. lati; *spiculae* 0,15 poll. longae, 0,1 poll. latae, 2—4-florae, distiche 4—6-bracteatae; *bracteae* binae *infimae* vacuae carinato-compressae; *infima* interna tenuis, brevior, hyalina lanceolata acuta, carina antrorsum serrulato-mucronata, juxta carinam utrinque stria saturate-viridi ad apicem percurrente notata; *secunda* robustior versus marginem hyalina, 0,15 poll. longa, 0,03 poll. lata ovato-oblonga, (a latere visa), apice mucrone subuliformi patenti viridi munita; carina et mucrone serrulato-mucronulatis; *bracteae reliquae* hyalinae**) 0,14 poll. longae, cum mucrone 0,05 poll. longo, 0,05 poll. latae, ovato-oblongae acutato-mucronatae, in carina et mucrone viridi serrulato-mucronulatae; *bracteolae collaterales* in unicam connatae 0,1 poll. longam, 0,05 poll. latam, bicarinatam, in carinis mucronulatam; *filamenta* bracteis longiora; *styli* germen plus quadruplum superantes, bracteas excedentes; *stigmata* alba; *perigonii foliola* parva cuneata truncata subretusa; *fructus* indehiscens globoso-oblongus fulvus rugosus verruculosus. — Mens. Januario 1846.

---

*) cf. Schld. l. c. fig. 83 et 88.

**) cf. Knth. En. I. Sppl. 204. 416.

13. CHLORIS BARBATA Sw.

Char. Trib. Ob flores summos plerumque tabescentes et omnes basi pilis longis cinctos et partim obsitos *Arundinaceis* Knth. En. I. 236, Msn. Gen. 410, Endl. Gen. p. 90. VI valde affine gramen, habitu tantum diversum, etsi altero latere *Chlorideis* Knth. l. c. 258, Msn. l. c. Endl. l. c. p. 92. VIII adnumerandum.

Char. Gen. Inter *Arundinaceas Deyeuxiae* ob bracteas superiores aristatas valde accedens; — inter *Chlorideas* optime *Chloridem* Sw. Knth. l. c. 263. Msn. l. c. 422. Endl. l. c. 839 quadrat, sed germen stipitatum (haud sessile Msn. Endl.)! et inde *Diplachne* Palis. Msn. l. c. 421, quam Endl. l. c. 840 *Leptochloae* adjunxit, cf. Knth. l. c. 268, qui ipse a *Chloridis* sectione quinta nonnisi inflorescentia racemosa, floribusque plerumque muticis diversum habet genus hocce; an *Ctenium* Panz. Knth. l. c. 274. Msn. 421. Endl. l. c. 843 ob flores inferiores binos steriles flori completo simile, et terminales muticos, spicamque solitariam sufficienter diversum, valde dubito?

Char. Spec. cf. Endl. l. c. *b.* Knth. l. c. 264. 8, Rxb. Ind. I. 331. 3. An *Ch. polystachya* Rxb. l. c 332. 4, Knth. l. c. 265. 9 sufficienter diversa? — annon *Linnaeus* divus hanc speciem jure *Ch. polydactylae* Sw. Knth. l. c. 264. 5 adjunxit? cf. Knth. l. c Sppl. 208. 424 et 209. 425, mea opinione vix nisi signis pauci ac minoris momenti distinctae.

Descrpt. Herba perennis basi repens, in graminosis, foris publicis et ad vias prope *Bataviam* et *Bidara Tjina* (in tota Java occidentali a littore ad 1000 et ultra pedes supra maris superficiem altitudinem) vulgatissima elegans; *caulis* horizontalis articulatus nodosus, compressus, vaginis plerumque emarcidis plus minus tectus, laevissimus lucidulus, viridis aut solis radiis plus minus purpureo-tinctus, ad nodos deorsum radices fibrosas albidas flexuosas, et antrorsum ramos emittens; *internodia* 1,0—1,5 poll. longa, 0,1 poll. crassa; *rami* (et apex caulis) nunc basi ad nodum primum pariter radices emittentes, geniculato-adscendentes, nunc a basi erecti, dein floriferi, 12—24 poll. longi, debiles glabri laete virides luciduli; *internodia* teretia, basi ad nodos sat incrassata pallide viridia, nunc plus minus purpureo-tincta, versus apicem (infra nodum superiorem) paullo attenuata 1,5—1,0 poll. longa, inferiora minora, subcompressa vaginis tota tecta, superiora plerumque sensim maxima tenuissima, basi tantum vaginata, rarius abbreviata, vix e vaginis exserta; *vaginae* inferiores compressissimae, dorso acutissimae, in ramis non-

dum plane evolutis oppositae et ramum ancipitem, 0,3 poll. latum resemblantes, 1,0—2,0 poll. longae, 0,12 poll. latae; *superiores* subtereti-convolutae, dorso vix carinatae 2,0—4,5 poll. longae; *summae* saepe inflatae, inflorescentiam inevolutam foventes; *omnes* laete virides, nervis tenuissimis crebris longitudinaliter parallelis intensius coloratis percursae, glaberrimae laeves, margine tenuissimae hyalinae, articulatione cartilaginea albida folio junctae; *lingula* brevissima tenuissima lucida hyalina subtruncata, margine integerrima dein lacerato-ciliolata; *folia* lineari-lanceolata acuminatissima, patentia, *inferiora* subdisticha, 4—9 poll. longa, 0,2 poll. lata, acute carinata, marginibus conniventibus canaliculata, parallelo-multinervia, basi dense et hinc inde ad et ultra medium pilis raris tenuissimis patentissimis 0,2 poll. longis albidis unicellulosis intus cavis ciliata, supra viridia, e aculeolis minutissimis nervis insidentibus antrorsum scabra, in margine et carina subtus supra medium aculeolis majoribus serrulato-scaberrima secantia, subtus glaucescentia glabriuscula; *folium summum* plerumque abbreviatum 1—2 poll. longum, lineare ab inflorescentia plerumque remotum (transitum in folia floralia aliorum graminum praebens); *inflorescentia* plerumque longe exserta, nunc vix exserta, jam ante evolutionem e vagina superiore perfectam apice florifera centripeta umbellato-digitata; *spicae* 7—13 primo erectae dein patentes, postremo fructiferae erectae, apice subconniventes, extrorsum secundae 1,7—2,0 poll. longae, eleganter purpureo-barbatae, primo viridiusculae dein purpurascentes; *pedunculus communis* tenuissimus viridis trigonus, dorso acutus, aculeolis minutis acutissimis antrorsis scaberrimus et ad insertionem spicularum pilis patentissimis tenuissimis raris obsitus, supra insertionem paullo canaliculato-exsculptus, fructibus delapsis spicularum bracteas binas infimas vacuas persistentes gerens; *spiculae* subtus imbricatim distichae erectae pedunculo communi adpressae obovato-cuneatae albidae viridi-marginatae, 0,07 poll. longae, aristis 3-bus, spicula longioribus erectis divergentibus purpureis obvelatae, lucidae 3-florae, 5-bracteatae; *bracteae*

basi, praeprimis intermedia, pilis erectis longis cinctae, omnes inaequales et difformes; *infimae* binae distichae vacuae, collateralibus nullis, *reliquae superiores* spiraliter dispositae, *binae summae* absque bracteolis collateralibus rarius florem staminigerum gerentes aut plerumque vacuae; *intermedia* florem hermaphroditum completum gerens; *inferiores* compressae ovato-oblongae acuminatae submucronatae hyalinae, nervo medio viridi valido carinatae et dorso carina antrorsum serrulato-aculeatae, *infima* interior, *superior* exterior infima tertiam partem longior, apicem bractearum superiorum attingens (gluma superior exterior spiculam aequans) 0,1 poll. longa; *bractea tertia* sub-3-gono-navicularis obovato-oblonga, expansa obcordata-subrotunda, lucida 0,07 poll. longa, 0,05 poll. lata, albido-hyalina, eleganter minute reticulata, nervo medio et submarginalibus apice fere confluentibus viridibus, basi tenuioribus percursa, dorso juxta nervum medium pilis paucis erectis longis obsessa, in nervis submarginalibus superne ad medium pilis bracteam ipsam longitudine aequantibus densissimis albidis acutissimis iis foliorum baseos simillimis barbata; *nervus medius* dorso infra apicem acutum in aristam, respectu bracteae longissimam productus; *arista* 0,2 poll. longa erecta stricta, sensim attenuata acutissima tota pilis albidis antrorsum strigoso-scabriuscula, primo albida, mox purpurea, in bractea fructifera dein tortilis patentissima; *bracteolae collaterales* in unicam superiorem, intermediae aequilongam, ab eaque amplexam bicarinatam hyalinam obovato-cuneatam acutam bimucronatam connatae, *carina* utraque basi viridis versus apicem persicina tota eleganter et minute ciliata, extra carinam membranaceae et ciliato-barbatae, infra apicem in mucronem (aristae rudimentum) persicinam subrecurvam ciliolatam inaequilongam, altera dimidio breviore, acutam percurrentes; *flos hermaphroditus* triander; *perigonium* diphyllum; *foliola* brevia, germinis stipiti adpressa, oblique truncato-cuneata, sub-3-loba glabra hyalina membranacea; *stamina* 3 imae basi stipitis pistilliferi inserta; *filamenta* ima basi connata, stipitem cingentia tenuissima complanata capil-

laria flexuosa ex apice bractearum exserta albida; *antherae* longe exsertae lineari-oblongae utrinque bifidae, pallide stramineae, laciniis acutis; *connectivum* tenuissimum; loculi contigui paralleli, apice inaequales, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* flavescens globosum parvum glabrum, *fovilla* copiosa foetum; *germen* breve stipite suffultum, glabrum, apice stylis binis evolutis et tertio mammaeformi rudimentario coronatum, uniloculatum; *gemmula* unica sessilis; *styli* divaricati divergentes, e bractearum latere exserti albidi; *stigmata* plumosa purpurea, pilis patentibus minute adpresseque denticulato-serrulata; *fructus* indehiscens, bracteis inclusus, lineari-oblongus lucidus stramineus basi attenuatus; *semen* adnatum albuminosum; *embryo* sat magnus basalis, albumini lateraliter adpressus, ejusque tertiam partem longus; *albumen* farinale e granulis subglobosis minutissimis tincturae Jodii ope lilacinis constans; — *pedicellus communis* 0,02 poll. vix longus subtrigonus, apice paullo incrassatus, viridiusculus; *bracteae* binae superiores subaequales 0,04 poll. longae, altera paullo altius inserta, hyalinae, conniventes bullato-hemisphaericae cupuliformes, basi attenuatae, interne antice hiantes, apice truncatae purpureo-marginatae, 3-nerviae, nervis laete viridibus, lateralibus submarginalibus, basi marginalibus, apicem fere attingentibus, medio infra apicem in aristam ei bracteolae intermediae plane conformem excurrente, nunc flores staminigeros gerentes, plerumque vacuae; *bracteolae* collaterales connatae nullae, *perigonium* nullum; *stamina* 1 — 3 simultanea, iis floris hermaphroditi conformia; *antherae* exsertae, *pistilli* rudimentum nullum.

Observatio. Obviam mihi venere plantae *caule* a basi erecto nunc pumilo 4 — 8 poll. longo, nunc ad fossarum margines giganteo 40—45 poll. alto, strictiusculo, supra basin infra medium ramoso, foliorum *vaginis* inferioribus 2,5 — 3,0 poll. longis, 0,2 poll. latis, summis ad 6 poll. longitudinem elongatis; *foliis* praeprimis inferioribus 7—14 poll. longis, 0,25 poll. latis, *umbella* 15 — 17-spicata aut potius composita, *spicis* 18 — 10, circa pedunculum 0,2 — 0,3 poll.

longum, umbelliferum, 5-spicatum dispositis, 3,0—3,5 poll. longis. — Flores fructusque gerens obviam venit species haecce mensibus Februario ad Majum 1846.

14. ELEUSINE INDICA GRTN.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 421, Endl. Gen. 841, Knth. En. I. 272, foliis basi falcato-complicatis habitu *Harpochloae* Knth. l. c. 274, Endl. Gen. 842, Msn. l. c. affinis. — *Leptochloa* Palis. Msn. Gen. 421, Endl. Gen. 840, Knth. l. c. 268 differt: bracteolis collateralibus connatis in unicam aristatam, fructu glabro et (ex Endl.) perigonii foliolis integris, cf. autem Knth. l. c. Sppl. t. XVI. 5.[b]; — *Cynodon* Rch. Msn. l. c. 422, Endl. l. c. 836, Knth. l. c. 259 differt spiculis unifloris et bracteis infimis subaequalibus foliisque planis.

Char. Spec. cf. Knth. En. I. 272. 1 e diagnosi autem a *E. caracana* Grtn. haud distinguenda (Knth. l. c. 273. 4). Icon Knth. l. c. Sppl. t. XVI. 4 genitalia juvenilia repraesentat, nostra plane iconem *Leptochloae* Knth. l. c. 5 resemblat et solummodo stylis a basi divergentibus patentissimis ab icone diversa; descriptio perigonii foliolorum Knth. l. c. Sppl. 224. 451 et 225. 452 utraque nostram haud congruit, attamen prior potius huc referenda, etsi magnitudo contradicat. — *E. rigida* Sprg. Knth. l. c. 273. 8 vix diversa! — *E. caracana* Grtn. Rxb. Ind. I. 344 (quam *Roxburgh* divus nunquam sua sponte enatam, sed semper *cultam!* vidit) culmo erecto, spicis incurvatis, seminibus globulosis differt! annon forma tantum culturae? cf. ad fin. *E. indica* Grtn. Rxb. l. c. 346. 4.

Descrpt. Herba in ruderatis et graminosis hortorum et ad viarum margines plerumque autem ad fossas uberrima prope *Bataviam et Weltevreden* et in *tota Java occidentali* vilissima, *Djámbang* i. e. cauda dicta, perennis; *caules* a basi radiatim divergentes plures ex eodem centro caespitosi e radice fibrosa multicipe; *rami* basi decumbentes, dein geniculati adscendenti-erecti, inferne vaginis toti tecti, compressi, ancipites, articulati, nodosi, glaberrimi, lucidi, laete virides, basi plerumque ramosi; *floriferi* 10—24 poll. longi, 0,15—0,20 poll. lati foliiferi; *internodia* 2—7 poll. longa; *vaginae* lineares, compressissimae, dorso acutae, antice pilis 0,10—0,17 poll. longis albidis patentibus ciliatae, caeterum glaberrimae, lucidae, longitudinaliter striatae, in ramis nondum floriferis disticheÂ sese vaginante ramum plane obtegentes, 1,0—4,0 poll. longae complicatae, 0,15—0,2 poll. latae, apice articu-

latione coriacea trigona folio utrinque juncta; *lingula* brevissima, medio profunde biloba, tota breviter lacerato-ciliata; *vagina* cujusve rami (secunda) interior infima 2—3 poll. longa, lineari-lanceolata, longiter acuminata, bicarinata, bicanaliculata, canaliculo altero externo inter carinas formato hyalinas tenuissimas, ramum primarium, interno profundiore secundarium amplectens, pallide virescens, 0,1 poll. lata, aphylla; *folia* erecto-patentia complicata, lineari-ensiformia, glaberrima, lucida, versus basin margine pilis raris ciliata, solummodo versus apicem explicata, linearia, acuta ibique utrinque, praeprimis autem margine et carina, antrorsum scaberrima ex aculeolis serratis minutissimis acutissimis hyalinis, 8—14 poll. longa, in parte complicata 0,1 poll. lata, parte explicata scabra 0,17 poll. lata, nervis parallelis 20 angustis intensius viridibus percursa; *spicae* nunc terminales 3—8 digitato-umbellatae, nunc una alterave basi plus minus remota, nunc (in eodem ramo) omnes fere inter se remotae et inde racemum formantes, secundae, primo erectae, cum pedunculo communi nudo sibi invicem adpressae, dein in anthesi patentes et patentissimae, in 3-stachyis subaequales, 4—5 poll. longae, in polystachyis subracemosis summae sensim breviores 1—2 poll. longae; *pedunculus communis* anceps dorso viridis convexus antice concavus alternatim spiculas gerens secundas ei parallelas, margine albido scabriusculus, dein spiculis deciduis bractearum paribus infimis vacuis persistentibus 3-stichis munitus; *spiculae* compressissimae, ovato-lanceolatae, acuminatae, 0,2 poll. longae, 0,1 poll. latae, serratae, albescentes, margine virides, lucidae, distichae, octo-bracteatae, sex-florae; *bracteae binae inferiores* vacuae; *infima* interior minor tenuior, membranacea, ovato-oblonga, acuta, navicularis, albida, nervo medio viridi apicem haud attingente percursa, carinata, carina hyalina arguta, serrulato-aculeolata, 0,09 poll. longa, dimidia (complicata) 0,02 poll. lata; *secunda* (superior) exterior rigidior, viridis, margine lato-membranacea, hyalina, 5-nervia, 0,12 poll. longa, (complicata) 0,03 poll. lata, oblongo-lanceolata, carinata, carina hyalina cartilaginea, aculeolis

antrorsis inaequilongis subcurvatis acutissimis cavis unicellulosis armata; nervis omnibus haud percurrentibus saturate viridibus, apice acuto hyalino; *flores* omnes hermaphroditi, summi nunc tabescentes; *bracteae reliquae* relatione pedicelli communis externae oblongo-lanceolatae, naviculares, acutae, bracteae secundae similes sed tenuiores, eamque longitudine aequantes, sed ea angustiores, trinerviae, nervo medio crasso viridi infra apicem evanido, dorso carina cartilaginea hyalina aequaliter antrorsum serrulato-aculeolata, nervis lateralibus parallelis distantibus tenuibus laete flavescenti-viridibus, medio evanidis, caeterum totae hyalinae, membranaceae, tenuissimae; *bracteolae collaterales* connatae in unicam 0,08—0,09 poll. longam, internam a bracteis receptam breviorem, tenuiorem brevem hyalinam binervem, nervis laete flavescenti-viridibus carinatis, carina hyalina acute antrorsum serrulato-aculeolatis, apice subtruncata aculeolata-ciliata, inter nervos planam et marginibus patentibus, hyalinam, membranaceam; *perigonii foliola* 2 minuta basi attenuata, flabelliformia, subbiloba, altero lobo longe producto acuminato, altero crenulato subtruncato; *stamina* 3 hypogyna; *filamenta* primo brevia complanata, dein elongata, capillaria, tenuissima, flexuosa, albida, apice e bracteis exserta, postremo evanida; *antherae* lineari-oblongae, luteae, basi sagittatae, apice inaequales, loculo altero prominulo acutiusculae; loculi lineares contigui, paralleli inaequilongi, dein lateraliter toti dehiscentes; *antherae effoetae* versatiles, subcurvatae, gilvae; *pollen* flavum, globosum, laeve, sat magnum, *fovilla* copiosa foetum; *germen* ovatum, basi stipitatum, laete viride, glabrum, apice in stylos binos divergentes attenuatum, uniloculatum; *gemmula* unica sessilis; *styli* albidi germine longiores; *stigmata* purpurea, plumosa e ramis brevibus distantibus subverticillatis repando obtuseque serrulatis; *styli* cum *stigmate* 0,05 poll. longi; *fructus* bracteolis involuti et cum iis decidui, oblongi, viridiusculi, glaberrimi; *epicarpium* membranaceum, tenuissimum, solubile, diaphanum; *semen* oblongum subtrigonum rufum, transverse eleganter cristulatum, 0,04 poll. longum, adnatum, albuminosum; *cristulae* 8 lon-

gitudinaliter striatis, imbricatim dispositis subarcuatis; *albumen* candidum farinaceum, e granulis minutis globosis subaequalibus, ope tincturae Jodii licacinis constans; *embryo* lateralis, albumini adpressus. — Mensibus Martio ad Majum flores fructusque gerens. — 1846.

Adnot. *E. caracana* Pers. Roem. et Schlt. II. 32. 581, Hsskl. Pugill. 13, ubi *spiculas* laudavi 5—12, inferiores 1—2-nae saepe remotae; spicis compositis apice incurvatis ab omnibus affinibus speciebus distincta sufficienter declarata; cujus diagnosis et descriptio l. c. et Wld. Spec. pl. I. 418 sat bonae, a quibus specimina bogoriensia autem diversa habui: spiculis pluribus 5-floris, bracteis superioribus et bracteolis compresso-carinatis, ciliato-cristatis, seminibus obsolete trigonis brunneis, primo laevibus (annon epicarpio obtectis laevibus?) dein rugosis, uno latere subapplanato-sulcato. — Nomen sundense huic: *Djámbang mángong* i. e. cauda alta.

15. POA (ERAGROSTIS) AMABILIS L.

Char. Gen. E bracteis floriferis haud aristatis pari jure inter Festucaceas et Avenaceas quaerendum genus! — cf. Knth. l. c. 286. IX et 321. X, Msn. Gen. p. 410, Endl. Gen. p. 95 et 98. Inter has *Triodiae* R.Br. Prdr. I. 38 (182) maxime adfine genus, quod autor clbrr. summo jure *Poae* postposuit, dum Knth. l. c. 319, eumque sequentes Endl. Gen. 873, Msn. Gen. 423 hanc ad finem *Avenacearum* enumerant, quae differt a nostro solummodo bracteis floriferis apice 3-dentatis, an sufficienter a *Poa* distinctum genus? — cf. Knth. l. c. 324 et 327.b. Endl. Gen. 876.b. Msn. Gen. 424.

Char. Spec. *P. punctata* L. Knth. l. c. 330. 35, Rxb. Ind. I. 339. 14 vix nisi foliis glabris, paniculae ramificationibus simplicibus et dein 14—25-floris differt, an sufficienter? *P. verticillata,* quae huic valde affinis dicitur (Knth. l. c. 329. 34) nil nisi spiculis lineari-subulatis differt. *P. Bergiana* Knth. l. c. 334. 62, Sppl. 290. 582 toto habitu minore, ramis fertilibus 2- (nec 4—5-) phyllis, vaginis lanatis, panicula subramosa breviori differt. *P. amabilis* L. Knth. l. c. 334. 65 haud diversa et forsan *P. rubens* Lam. Knth. l. c. 335. 66 nec *P. unioloides* Rtz. Knth. l. c. 67. Rxb. Ind. I. 340. 17, ubi folia solummodo glabra nec scabriuscula dicuntur. *P. interrupta Lam.* Knth. l. c. 337. 82, Sppl. 294. 588 pariter huc ducenda et inter omnes diagnoses nostram maxime quadrat.

Descrpt. Herbae perennes graciles 8—18 poll. altae, in graminosis prope *Weltevreden* copiosae; *caulis* procumbens filiformis, glaber, plerumque nudus, nunc vaginarum emarcidarum rudimentis tectus, ad nodos nunc radicans, ibique caespitoso-ramosus; *internodia* 1,0—2,5 poll. longa, 0,08 poll.

crassa, subteretia, glaucescenti-viridia, lucidula, longitudinaliter parallele nervoso-striata; *cellulae epidermoidales* lineares, breves, truncatae, margine crispato-incisulae, tuberculis subglobosis minutis (*siliciae?*) conspersae; *stomata* in parte caulis solo adpressa fere subterranea, pallidiore nulla, in adscendenti intensius viridi-colorata copiosa, seriata, ovali-oblonga, rimula lineari, latiuscula; *rami* solitarii 2—3-nive imoque 6—7-ni, caespitosi, *steriles* erecti 2 poll. alti, folia 3—4 gerentes, *fertiles* basi procumbentes et radicantes, dein adscendenti-erecti geniculati debiles, plerumque 4—5-foliiferi, 6—18 poll. longi; *internodia* teretia, glaberrima, lucidula, inferiora pallida, superiora intense viridia 1,5—3,0 (terminale — 7,0) poll. longa, 0,6—0,8 poll. crassa, ad nodos constricta; *cellulae epidermidis* jam descriptis conformes, sed paullo longiores; *stomata* inferne nulla, superne copiosa; *siliciae* tubercula copiosa; *vaginae* omnes foliiferae compressae, summae teretes ad basin infimam articulatim apici internodii insertae, ibique incrassatae, internodii sequentis basin constrictam cingentes et annulum supra nodum tumidum, lucidulum, pallidiorem, glaberrimum formantes ibique nunc cum internodio sequenti genuflexae, dein strictae, *inferiores* antice hiantes, canaliculatae, 1,2—0,5 poll. longae, *superiores* internodii dimidiam partem inferiorem arcte involventes, 1,0—1,5 poll. longae, glaberrimae, lucidae, antice ad faucem tantum barbatae; *lingula* brevissima tota in pilos longissimos, 0,07 poll. longos, albidos, hyalinos, acutissimos, cavos, inarticulatos, primo strictos dein flexuosos et crispatos soluta; *cellulae epidermidis* iis caulis conformes in *inferiore* vaginarum parte stomatibus raris aut nullis et tuberculis jam laudatis crebrioribus; in *superiore* stomatibus copiosis; *folia* erecto-patentia, plana, siccando involuta, dorso vix carinata, basi amplexicaulia, subrotunda, lineari-lanceolata, acuminata, 3—6 poll. longa, 0,25—0,32 poll. lata, utrinque laete viridia, longitudinaliter tenuissime parallele striata, supra opaca, scabriuscula e aculeolis densis antrorsis minutissimis, acutissimis hyalinis, basi tuberculatis, subtus glaberrima, laevissima, lucidula, margine minutissime repando-serrulata,

nec aculeolato-scabra; *cellulae epidermidis superioris* juxta nervos virides validos angustae, jam descriptis conformes, sed minus crispato-incisulae, *stomatibus* copiosis uniseriatis, inter nervos multo latiores, rectangulares, margine tenuissimo vix undulato; *inferioris* (paginae) iis vaginarum conformes, *stomatibus* copiosissimis; *panicula* plerumque longe exserta, ovata s. ovato-oblonga, elegantissima, patentissima, rara, albida, nunc subrosea, 4—6 poll. longa, 2—4 poll. lata; *pedunculus communis* (internodium rami summum) teres, glaberrimus nunc vix, nunc longe supra vaginam summam elatus, in *axin communem* strictum basi teretem, sensim attenuatum et leviter sulcatum, viridem, glaberrimum, lucidulum, paullo flexuosum transiens; *rami* foliolo florali nullo, ne rudimentario quidem suffulti, *infimi* breviores, 1,5 poll. longi, medii longiores 2,0 poll. longi, utrinque ramosi et iterum ramosi; *superiores* sensim abbreviati et minus ramosi, ad insertionem et ramuli albido-nodosi, omnes patentissimi, teneri, graciles, subflexuosi, capillares, e aculeolis minutissimis antrorsis scabri; *ramuli ultimi* tenuissimi, spiculiferi, patentes; *spiculae* compressae, utrinque sulco mediano levi notatae, distiche imbricatae, iis *Cyperorum* valde consimiles, *juveniles* albescenti-virides ovato-oblongae, 0,15 poll. longae, 0,06 poll. latae, *seniores* lineari-lanceolatae acutae, 0,2 poll. longae, 0,08 poll. latae, dein bracteis infimis pluribus deciduis geniculato-pedicellatae; *pedicelli communes* gilvi, spiculis transverse compressi, ad bractearum insertionem alternatim geniculati, ibique incrassati, tuberculum planum, bractearum residuis coronatum, gerentes; *bracteae* in spiculis juvenilibus 10—14, in senioribus cum delapsis 20—25, *infimae* binae vacuae et angustiores 1-nerviae, quarum secunda paullo longior et latior, conformes, *inferiores* paullo majores, acute carinato-compressae, naviculares, late ovatae, mucronulato-acutae, albidae (hyalinae) glabrae, nervis 3-bus basi tenuibus, dein sat validis viridibus, lateralibus submarginalibus infra apicem evanidis, medio excurrente et dorso antrorsum serrulato-aculeolato percursae, margine minute mucronulato-ciliolatae, 0,06 poll. longae, 0,04 poll. latae,

e cellulis linearibus truncatis inciso-crispatulis et tuberculis globulosis crebris conspersae; *bracteolae* in unicam paullo minorem (quam bracteae) et superius insertam, bracteae oppositam elliptico-lanceolatam, acutam, planam, 2-carinatam, in carinis antrorsum aculeolato-ciliatam, marginibus inflexam et a bractea receptam, bracteae superiori adpressam, diutius persistentem, tenuissimam connatae, e *cellulis* iis bractearum conformibus sed profundius incisis constantes, carinis viridibus; *perigonium* diphyllum minutum, in pedunculi communis protuberatione persistens; *foliola* cuneata truncata subbiloba; *stamina* 3 hypogyna, germinis stipiti circumposita; *filamenta* alba, complanata, tenuissima, capillaria, exserta; *antherae* exsertae, lineares, violaceo-purpureae, primo lineares, utrinque subbilobae inaequales, 2-loculatae, dein oblongae utrinque bilobae; *loculi* contigui paralleli, longitudinaliter dehiscentes, aperti utrinque divergentes; *pollen* albidum, globosum, sat magnum, *fovilla* copiosa foetum; *germen* basi in stipitem attenuatum, obovatum, glabrum, albidum minutum uniloculatum; *gemmula* basalis erecta subcylindrica; *styli* bini, lobulo interjecto in altero latere minuto, a basi divergentes erecti, germen triplum longi, teretes, albidi; *stigmata* albida vix lateraliter supra medium bracteae exserta, quam styli cum germine longiora, plumosa, pilis longis subverticillatis, erectis, acutissimis, acute serrulatis; *fructus* inter bracteam et bracteolas inclusus et cum iis deciduus, sed mox ab iis denudatus, minutus, vix incarnatus, oblongus, compressus, acutus, duriusculus, laevis, lucidulus, indehiscens; *semen* inclusum; *testa* tenuis membranacea; *albumen* farinosum e granulis minutis globosis, ope tincturae Jodii coeruleis constans; *embryo* lateralis albumini adpressus. — Mense Aprili et Majo flores fructusque gerentem vidi; — 1846.

Observatio. Hoc loco asseram, ut *P. plumosa* Rtz. = *Gramen fumi* Rmph. amb. VI. p. 11 (nec 10) tab. 4. fig. 3, Rxb. Ind. I. 338. 13, Knth. l. c. 338. 86, quae habitu *P. amabili* valde accedit, quam ea autem multo gracilior et tenuior evadit; nullo modo a *P. tenella* L. Rxb. Ind. I. 338.

12, Knth. l. c. 84, Sppl. 294. 589, nec a *P. tenella* R.Br. I. (181). 37. 18 (*P. tenellula* Knth. l. c. 85) et forsan ab affinibus diversa habenda sit, quae omnes forsan ne formas quidem diversas, e localitatis indole ortus constituunt. Hanc cum *P. amabili* eodem loco et tempore reperi.

16. BAMBUSA VERTICILLATA Wld.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 909.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 1345 specim. Blum., descrpt. optm., cui addam (cf, Hsskl. Dec. 16.).

Caules erecti glaucescentes; folia supra lingulam brevem truncatam breviter petiolata, lanceolata, basi rotundata, apice acuminata, margine cartilagineo serrulato-scaberrima, supra glabra, in nervo medio scabriuscula, subtus glaucescentia scabriuscula, ramorum summorum 9 — 15 poll. longa, 1,5 — 2,0 poll. lata, vaginae glaberrimae, primo scabriusculae; — rami floriferi plurimi ad nodos superiores culmi semiverticillati patentes, apice nutantes, 0,1 — 0,2 poll. crassi, nodosi, nodis 0,2 — 0,3 poll. crassis glaucis, teretes virides in internodiis 0,2 — 0,5 poll. longis, vaginis convolutis glabris deciduis arcte inclusis, spicas compositas axillares (laterales) ternas aut solitarias et terminalem solitariam gerentes; spicae erectae nutantes ad 2 ped. longae; rhachis (in vivis) glauca viridis, internodia apicis 5-linearia, baseos 2-pollicaria; vaginae internodia subaequantes eaque primo arcte includentes basi ciliatae, apice foliolum 0,7 poll. longum lanceolatum acuminatum, ciliato-serratum patens gerentes, dein emarcidae foliolo deciduo, basi (extensione spicularum) secedentes, apice convolutae, ramos amplectentes, ad apicem internodii pendulae, dein deciduae; spiculae (in vivis) dilute olivaceae multibracteatae, bracteae inferiores 2 — 3 absque bracteolis collateralibus steriles (quod de spiculis post spiculam primariam delapsam excrescentibus fertur, haud video); superiores haud vacuae, flores gerentes hermaphroditos hexandros; filamenta in tubum, bractea vix minorem ad apicem fere connata, tubus primo minimus 0,2 poll. longus, durante

fecundatione excrescens, apice vix sexdentatus, ad finem emissionis pollinis 0,2 poll. longus; antherae 0,2 poll. longae flavae, striis hyacinthinis coloratae; pollen sulphureum; germen subglobosum minutum; stylus filiformis 0,3 poll. cum stigmate longus, exsertus (ante ejaculationem pollinis), simplex totus villosus; stigma lineare, flexuosum, rubens. — Nomen sund.: *A'wi tamíang.*

17. BAMBUSA THOUARSII Ktн. β. ATTER Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 909.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. Sppl. 106. 2. *B. vulgaris* Wld. β. *atter* Hsskl. Dec. 17. Catal. 106. 2. Schlt. Syst. Veg. VII. 1337 et 1339, *B. vulgaris* Wld., cujus decriptio valde cum specimine nostro congruit. Bambusam nostram specifice diversam habere nequeo.

Descrpt. Caulis erectus ad 40 ped. altus et supra, apice ramosus; *internodia* 1,0—1,5 ped. longa, glabra, viridia, ad basin et apicem albido-strigoso-tomentosa, 1,5 – 2,0 poll. crassa; *nodi* vix protuberantes, annulares, lutescentes; *vaginae* ad basin caulis ovatae (explanatae), margine ciliatae, extus densissime nigro-strigosae, intus glaberrimae, apice foliolo lanceolato acuminato reflexo 2 poll. longo praeditae, dein deciduae; superiores oblongae 10 poll. longae, obtusae, glaberrimae, subconvolutae, dein patentes deciduae; summae (ramulorum) arcte convolutae, glaberrimae, internodiis longiores, apice foliiferae; *lingula* truncata brevis; *rami* ad apicem culmi subverticillati patentes et patentissimi; *internodia* 0,2 poll. crassa, 6—8 poll. longa viridia, vaginis stramineis involuta; *folia* basi in petiolum 0,2—0,3 poll. longum attenuata, dein rotundata, oblongo-lanceolata, acuminatissima, 8—13 poll. longa, 1,0—1,7 poll. lata, supra glabra, scabriuscula, subtus glaucescentia cum margine scaberrima, nervo medio subtus prominente crasso cum nervis lateralibus utrinque 10; *inflorescentia* in ramis culmi lateralibus lateralis et terminalis ramoso-glomerata spicata; *rhachis media* ad 6 ped. longa teres, scabriuscula nutans, basi ad medium ramosa, ramis dein spicato-paniculatis et foliiferis apice spicatis; internodia ante anthesin vaginis basi inflatis, apice foliolum patens lanceolatum gerentibus,

dein deciduis tecta; *spiculae* aggregatae aut semi-verticillato-glomeratae in rhachide centrali plurimae in lateribus 3—5—7-nae, basi squamis carinatis ovatis acutis suffultae 6—7-florae; *flores* 3 inferiores e valvulis solitariis ovatis acutis puberulis emarcidis ciliatis vacuis aut infima spiculifera, tres sequentes fertiles bivalves; *valvula exterior* oblonga convoluta, subglabra, ciliata, acuminata, interiorem amplectens; *interior* bicarinata in carinis ciliata; *stamina* 6; *filamenta* longitudine valvularum, in tubum connata; *antherae* exsertae, valvularum longitudine, basi bifidae oblongo-lineares, dein tortae; *germen* minutum oviforme; *stylus* simplex longe exsertus; *stigma* pilosiusculum simplex; *summus flos* 7-timus sterilis univalvis, valvula linearis acuminata vacua; fructus?? — Nomen sund.: *A'wi támman*; mal. *Bámbu atter.*

18. BAMBUSA BITUNG Schlt.

Char. Spec. cf. Schlt. Syst. VII. 1354 — Hsskl. Dec. 18.

Descrpt. add. *Inflorescentia* spicata aut paniculato-ramosa; rami spicati, apice saepe (8—12) folia gerentes; *spiculae* interrupte glomeratae aut potius glomerato-verticillatae, numerosae, ovatae, acutae, 5-florae, flores bini inferiores steriles; *bracteae superiores* subrotundae, acutae, concavae, margine violaceae, ciliatae; bracteolae connatae tertia parte bracteae suae minores, binerves bidentatae pilosae; *filamenta* capillaria; *antherae* longe exsertae pendulae; *stylus* valvulam interiorem superans, exteriorem subaequans apice barbatus. — *Bambusae verticillatae* Wld. magnopere affinis videtur haecce, sed dubito, an *Bamb. vertic.* Wld. eadem sit ac *Blumei!* locus erit inter hanc et *B. strictam* Rxb. cf. Schlt. VII. 1339—1345. — Nom. sund.: *A'wi bitùng*; mal. *Bámbu bitùng.*

19. BAMBUSA ELEGANTISSIMA Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Cat. 106. 10.

Diagn. Caulibus tenuibus gracillimis altissimis, ramis terminalibus longissimis, gracillimis, pendulis, elegantissime culmos truncosque arborum hosce sustinentes velantibus. — In sylvis 4000 ped. elatis inter montes Tilu et Malabar provinciae Bandong in terra Preangereana copiosissime obviam venit; nom. sund.: *A'wi ülül.*

20. BEESHA FAX SCHLT.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 910.
Char. Spec. cf. Schlt. Syst. VII. 1335. Rmph. amb. IV. 7. Hsskl. Decad. 19. Catal. 107. 2.

Descrpt. Caulis gracilis strictus 12—15 ped. altus, 1,0 poll. vix crassus; internodia glabra vix 12 poll. longa fistulosa; nodi haud protuberantes, ad basin paullo tenuiores; *rami* supra medium culmi 10 semiverticillati, verticillis alternantibus patentes, tenues, ramosi; internodia gracilia glaberrima ad apicem paullo tumescentia, vaginis deciduis arcte inclusa, vaginae glabrae apice foliigerae; *lingula* nulla; *folia* oblongo-lanceolata basi obtusa aut acuta et in petiolum canaliculatum dein nigrescentem 0,3—0,4 poll. longum attenuata, apice acuminata, 8—12 poll. longa, 1,5 poll. lata supra glaberrima, subtus pubescentia, pube dein decidua, ad ramulos plerumque 8—10-na disticha; *inflorescentia* in ramulis terminalis spicata; *spiculae* primo bractea lineari convoluta apice truncata emarcida suffultae, dein hacce decidua liberae, ternae sessiles, oblongo-subulatae, 0,6 poll. longae 4-florae; bracteae 2 inferiores ovato-lanceolatae subulatae, rudimenta continentes spicularum haud evolutarum; *florum superiorum* oblongae acuminatae subcylindrico-convolutae glabrae nitidae; bracteolae collaterales subulatae convolutae, germen arcte cingentes; *stamina* 6 intra bracteas recondita; *filamenta* dein elongata, *antherae* exsertae; perigonii foliola 3 spathulata apice acuta aut lacera, 1 minus; *germen* subglobosum minutum; *stylus* longior bracteolis connatis involutus, apice exserto; *stigmata* 3 pilosiuscula flexuosa; fructus? — Etsi fructum nondum viderim non possum non ad Beesham reducere nostram ob convenientiam optimam cum *Rumphii* citata descriptione! — Nom. sund.: *Bámbu krísik.*

21. ZOYSIA PUNGENS WLD.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 427, Endl. Gen. 935, Knth. En. I. 471, Sppl. 381. 818; sed bractea inferior (gluma) marginibus valde sibi adpressis nec connatis, superior (palea inferior) tenuissime 7-nervia,

nervo medio tantum valido, collaterales in superiorem 2-carinatam connatae; *perigonium* an certe 0? an potius e foliolis binis lineari-lanceolatis acuminatis consistens? — folia plana inaequilatera, siccando tantum canaliculata, tandem sicca filiformi-convoluta. — Pistillum plane *Leptothrii* Knth. l. c. Sppl. t. 38. 2. c; — an genus hocce jure a *Zoysia* Wild. sejunctum cf. Knth. l. c. 470, Sppl. 381. 817, Endl. Gen. 934. Msn. l. c. — *R. Brown* (Prdr. I. (208.) 64) genus hocce *Rottboelliaceis* adjungit ob bracteam infimam abortivam et inflorescentiam spicatam, quam autem majore jure racemum spicae-formem diceres; rectius forsan *Agrostideis* aut *Festucaceis* adnumerandum esset genus hocce, nisi *Andropogoneis* adnumerari possit.

Char. Spec. cf. Knth. En. I. 471, Sppl. 381. 818, R. Br. Prdr. I. (208.) 64. *Agrostis Matrella* L. Rxb. Ind. I. 319. 3.

Descrpt. Herba pumila perennis repens, florifera 4—6 poll. alta, ramosissima, intricato-caespitosa in graminosis prope *Weltevreden* sat copiosa; *caulis* repens plerumque subterraneus, teres, flavescens, ad nodos radices et ramos plures densos divergentes gerens; *rami* adscendentes ima basi ramosi, vaginis tecti 1,5—2,0 poll. longi, adscendenti-curvati rigidi, summa apice sub spica nudi, teretes, glabri et in axilla folii summi ramum floriferum alterum, spicam primariam haud excedentem gerentes; *vaginae* plerumque 10—12 foliiferae, quorum infimae 4—5 plerumque emarcidae, ferrugineae, nunc in ramo fructifero plurimae emarcidae, tereti-compressae, virides, longitudinaliter nervoso-striatae, glabrae, lucidulae, 0,3—0,5 poll. longae, 0,03 poll. latae, margine tenuissime membranaceae; *cellulae epidermidis* lineares utrinque truncatae, margine undulato-crispatae; *stomata* minuta oblonga, duplicem suam longitudinem inter se remota, e cellulis binis oblongis curvatis, rimam angustissimam linearem utrinque attenuatam, orificium ductus intercellularis, cingentibus; ad faucem et lingulae loco *vaginae* pilis albidis, tenuissimis, laevibus, subulato-acutissimis, 1-cellulosis, nunc strictis, nunc ad medium flexuosis, 0,08 poll. longis barbatae: *folia* subdisticha, bifariam disposita, patentia, lineari-lanceolata, acuminatissima plana, siccando canaliculata, et dein sicca convoluta filiformia, rigida, supra glauca, subtus viridia, infima minora, summa, excepto florali, maxima 0,5—1,6 poll. longa, 0,1 poll. lata, nervo medio sublaterali percursa, supra paullo prominulo,

pilis tenuissimis distantibus caducis, patentibus, inter nervos insertis parallelos, intensius coloratis in superficie superiore obsita, margine minute antrorsum serrulato-aculeolata, subtus glaberrima nitidula; *cellulae* epidermidis in pagina superiore inter nervos subquadratae, sat magnae, marginibus rectis, juxta et supra nervos uti et in folii pagina inferiore anguste lineares, utrinque truncatae, margine crispato-undulatae, stomatibus supra descriptis intermixtis, seriatis; *folia floralia* 1—2 lineari-lanceolata, acuminatissima, subcanaliculata, nunc valde abbreviata, lanceolata, acuminata 0,4—1,0 poll. longa; *racemus* spicaeformis terminalis, rectus strictus tenuis cylindrico-subulatus, 0,7—0,9 poll. longus, 0,05 poll, crassus, glaberrimus, lucidus; *pedunculus communis* viridis, flexuosus, e pedicillis decurrentibus sulcato-angulatus, aculeolis minutis acutissimis, antrorsis, hyalinis scabriusculus; *spiculae* flavescenti-virides, lucidae, uniflorae, pedicellatae compressae, 0,08 poll. longae, oblongo-lanceolatae acuminatae, pedunculo communi adpressae, dein deciduae; *pedicellus* viridis 0,6 poll. longus, minute aculeolato-scaber, subflexuosus, subcomplanatus, apicem versus incrassatus, subcupuliformis, e bracteae infimae abortivae rudimento adnato, persistens; *bracteae* binae distiche alternae pedunculo communi adpressae, *exterior* sterilis, *bracteolis* nullis, coriacea, glaberrima, lucida, compressa, superiorem cum flore totam amplectens, ovato-lanceolata, acuminata, 5-nervia, nervis lateralibus decoloribus tenuibus, margine tenui membranacea, connivens nec connata, flavo-viridis, nervo medio rigidiore, supra medium dorso antrorsum scabro, sub apice excurrente subaristato-subulata, formam spiculae constituens; *superior* tortilis, tenuissima, membranacea, hyalina, inferiore paullo minor et ab ea recepta, compressa, ovato-lanceolata, navicularis, acuminata, nervo medio crasso viridi, a medio aculeolis antrorsis hyalinis scabro, sub apice excurrente, breviter aristato-subulata, margine minutissime hyalino aculeolato-ciliato, juxta nervum medium utrinque nervis 3-bus decoloribus, haud ad apicem percurrentibus notata; *bracteolae* in unam binerviam dorso planam apice breviter bifidam

superiorem, bracteae oppositam connatae, hyalinae tenuissimae, carina viridiuscula, dorso aculeolata percursae; (*perigonium* 2(?)-phyllum, *foliola* angusto-lanceolata, acuminata?? hyalina, germine majora); *stamina* 3 hypogyna; *filamenta* dein longe ex apice bractearum exserta, complanata, tenuissima, flexuosa, hyalina; *antherae* sulfureae, lineari-oblongae, utrinque bifidae supra basin insertae, filamentum dimidium longae 2-loculatae; *loculi* connectivo tenuissimo sejuncti anguste lineares, toti rima longitudinali dehiscentes, polline effoeto conniventi-curvatae; *pollen* globosum, flavum, glabrum, fovilla copiosa foetum; *germen* oblongum flavescenti-viride, glabrum, apice acutum; *stylus* ad basin fere bifidus, laciniae teretes albidae; *stigmata* candida exserta, ex spicularum apice divergentia plumosa, e pilis ramosis serrulato-crenulatis acutis; *fructus* intra bracteas naviculares inclusi et cum eis decidui, lineari-oblongi, antice sulcati, plerumque inevoluti. — Reperi florentem et floribus haud ad fructus evolutis mensibus Martio ad Majum anni 1846.

22. SACCHARUM OFFICINARUM L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 939.

Char. Spec. cf. Rmph. amb. V. 186. t. 74. 1. Nom. mal. *Tebù*; sundense: *Tiwu*. — Hsskl. Diagn. nov. 7. Cat. 118. 1. — Pugill. 15. — Colitur caulibus plus minus luteis, rubro-striatis, rubris imoque rubro-violaceis, quoad partes genitales et vegetationis haud sufficienter distinguendum; — varietates autem, etsi haud rite distinguendas habeo, attamen secundum distinctiones indigenas hic describere volui.

Descrpt. *α*. Calami. Nom. mal.: *T. róttang*; sund.: *T. hóe*. — Caulis erectus, ad partem foliatam nudus 11 ped. altus, *virescenti-flavescens*, basi dein *luteus*, articulatus, ad articulationes leviter contractus, 1,5 poll. crassus; articuli 30—35, longitudine 2,5—4,0 poll.; pars foliacea 8 ped. longa ramosa; rami cauli adpressi, foliorum vaginis involuti; *folia* exacte disticha 2,0—4,5 ped. longa, 2—3 poll. lata, lato-lineari-lanceolata cuspidata, glaberrima, juniora asperula, margine argute serrulata, subtus subglaucescentia;

vaginae 10—12 poll. longae, caulem arcte includentes, saepius basi rumpentes, dein marcescentes, deciduae, pilis strigosis deciduis tectae, versus apicem sericeo-lanatae, una cum culmo rore glaucescenti adspersae; lingula truncata ciliata dein scariosa; folia ad lingulam longe pilosa, pili erecti lingulam tegentes; panicula spicata, nunc vaginis summis foliorum inclusa, nunc exserta 1,5—2,0 ped. alta patentissima; spicae ramosae basi et apice semi-verticillatae, medio verticillatae; rhachis et rami ad basin lanati incrassati; rami paniculae inferiores spicato-paniculati, ramuli ramis ternariis 2—4 spicatis; spica singula 4—6 poll. longa filiformis; rami paniculae superiores similes ramis secundariis inferiorum etc.; summi simplices ramis ternariis conformes; lana flosculis 3-plo longior, primo adpressa, dein patentissima; bracteae superiores muticae ciliatae; stigmata purpurea.

β. otaheitense. — Nom. sund.: *T. hóe ota-heíte.* — Ab antecedente differt: caule paulo magis lutescente, robustiori, articulis 38, longitudine 1,5—4,5 poll., 1,5 – 2,0 poll. crassis, parte foliacea 6,0—6,5 poll. longa, foliis latioribus 3,0—3,5 poll. latis. — Haec varietas majorem succi saccharini quantitatem profert.

γ. candelare. — Nom. sund.: *T. ílin.* — A var. α. differt haecce: caule humiliori usque ad folia 7 ped. alto viridiflavescenti, articulis 2,5—4,5 longis, vix 1,0 poll. crassis, parte foliata ramosa 6—7-pedali, foliis 1,5—1,7 poll. latis, 3 ped. longis vix distichis; vaginis pilis parvis deciduis strigosis, foliis ad vaginam vix puberis, lana bracteis inferioribus vix duplo longiori. — Varietatem hancce Gubernator Generalis Indiae orientalis nederlandicae J. van den Bosch e Brasilia attulit.

δ. luteum-durum. — Nom. sund.: *T. kónneng kràs.* — A var. α. differt: caulis parte nuda 6 ped. longa, foliata ad inflorescentiam 6 ped. alta, articulis 17, longitudine 2,0—4,5 poll., 1,5 poll. crassis; foliis vix distichis, lanae bracteis inferioribus vix plus duplo longiore.

ε. luteum-molle. — Nom. sund.: *T. kónneng ámó,* ab

antecedente diversum: caule toto robustiore, articulis 2,0—3,5 poll. longis, 2 poll. crassis et panicula uberiore, lana bracteis infimis fere triplo longiore.

ζ. rubrum-humile. — Nom. mal.: *T. mérha péndek;* sund: *T. búrum lötik.* — Caulis erectus inferiore parte 5 ped. longa nudus, dein foliatus ad inflorescentiam 8,5 ped. longus (totus 13,5 ped. altus) ad articulationes paullo contractus; articuli 14—17, longitudine 1,5 - 4,7 poll., 1,5 poll. crassi, violaceo-rubri, versus apicem albido-pruinosi; gemmae foliaceae omnes alternae minus evolutae; folia disticha convoluta, lato-lineari-lanceolata, cuspidata; summa apice convoluta, subulata, 2,0—2,5 poll. lata, 3—4 ped. longa, glaberrima, juniora subglaucescentia, margine obsolete aut acute serrulata; vaginae culmum involventes, ad 10 poll. longae, glabrae; rore albido-glaucescenti pruinosae, dein marcescentes deciduae, summae elongatae paullo strigosae; strigis deciduis, ad apicem vaginarum summarum nullis; lingula abbreviata scariosa media parte obsolete ciliata ad latera longe pilosa; panicula longe exserta, 2,0—2,5 ped. alta, rami inferiores decompositi, ramulo uno alterove ramoso, summi tantum simplices spicati; verticilli saepe ramis pluribus; flores var. α. bracteae haud 4-nerviae.

η. rubrum-altum. — Nom. sund.: *T. búrum tíngi.* — Caulis erectus sordide rubro-virens, glaber apice cinereo-pruinosus, 10,5 ped. altus ad partem foliiferam, dein ad inflorescentiam 7,7 ped. longus, ad articulationes constrictus albus; articuli ± 40, longitudine 1,2—5,0 poll., 1,2—1,5 poll. crassi; gemmae minus evolutae; folia lato-lineari-lanceolata, cuspidata, apice convoluta, saepius subulata 2,0—2,5 poll. lata, ad 2,5—4,0 ped. longa, nervo albo percursa, una cum vaginis glaberrima, subtus vix glaucescentia, inferiora margine serrato-scabra, summa acute serrulata; vaginae culmum arcte cingentes, 8 poll. longae, summae breviores, rubro-marginatae, rore e rubro-glaucescenti tectae; summae ad marginem ciliatae et obsolete strigoso-pilosae; ligula scariosa truncata calva; summa ciliata ad latera pilosa, in-

florescentia et flores plane varietat. α, sed lana bracteis infimis plus duplo tantum longior.

ϑ. **luridum.** — Nom. sund.: *T, rápu;* — differt ab antecedente: caule ad partem foliiferam 4—8, dein 8—7 ped. alto (toto 12—15 ped.); articulis 10—30, lurido-rubenti-viridibus, ad basin rubris, ad apicem glauco-canis, haud constrictis; foliis serrulatis, vaginis glauco-pruinosis, panicula longe exserta 2,0—2,5 poll. alta, ramis decompositis, lana bracteis infimis triplo longiore.

ι. **fumosum.** — Nom. sund.: *T. ásrep s. ásrap;* mal.; *T. ássap.* Caulis gracilior erectus, in sterilibus cultus 4—5 ped. altus, in fertilibus 9—10 ped. altus, parte foliata in utroque 6—7 ped. alta, ad articulationes haud constrictus; articuli cylindrici 2,5—4,0 poll. longi, 1,0—1,5 poll. crassi (in sterilibus 0,5 poll.), baseos atro-violacei, medii culmi violaceo-rubri, ± rore albido obtecti, glaberrimi, laevissimi; pars foliacea adpresse ramosa; rami rubro-virescentes; folia late lineari-lanceolata, 3,5 ped. longa, 2,5 poll. lata, margine serrulata, cuspidata apice convoluta, saepe subulata, glaberrima, atro-viridia, nervo rubenti, juniora subtus lurido-rubra; vaginae aut solummodo ad basin aut totae lurido-rubrae, glaberrimae; lingula truncata, minuta, scariosa, ad latera pilosa; panicula longe exserta ramosissima, erecta, aequalis subcontracta; axis obsolete tetragona, 4-canaliculata, sanguinea; rami hinc inde subverticillati, infimi decompositi; ramuli infimi ad basin fere ramorum; ramuli saepius denuo ramosi; ramuli secundarii 5—7-spicati, erecti, versus apicem cernui, axi sanguinea articulata, post anthesin articulatim secedenti, filiformes, elongati, imbricati, completi, vagi; spiculae geminae, altera infera sessilis, superior articulato-pedicellata, biflorae; flores α, sed bracteae superiores sub-4-nerviae, lana magis canescens quam in varr. rel.

ϰ. **nigrum;** — Nom. sund.: *T. hídüng* s. *T. bürüm gedê.* — Caulis erectus atro-violaceus, basi viridiusculus, apice rubens, pruina cinerascente hinc tectus, ad folia 12 ped. altus; articuli 45, longitudine 1,2—4,0 poll., 1,5—2,0 poll. crassi; pars

foliacea ad paniculam 6—7 ped. longa; folia late lineari-lanceolata 2,5—4,5 ped. longa, 2—3 poll. lata, subulata, acute serrulata subtus subglaucescentia; vaginae glaucescentes, pilis sub-strigosis densissimis, dein deciduis tectae; lingula brevis ciliata, dein cum ciliis decidua; panicula 2—3 ped. longa effusa; rhachis cum ramis, valvulis et antheris stigmatibusque purpureo-sanguinea; rami baseos compositi, ramulus unus alterve ramosus et inde rami decompositi, summi tantum simplices spicati, verticilli saepe ramis pluribus; flores plane var. ζ.

λ. litteratum. — Nom. sund.; *T. súrat* s. *japára* s. *pékes.* — Caulis erectus debilior, flexuosus, ad folia 11 ped. altus, sordide viridis, striis ± latis et approximatis atro-sanguineis, pruina cinerascente hinc obtectus; articuli 40—45, longitudine 2,5—5,5 poll., infimi 1,2—, summi 2,0 poll. crassi; pars foliacea 6—7-pedalis; folia, inflorescentia et flores plane x, sed rami inferiores semper(?) simpliciter compositi.

μ. litteratum-breve. — Nom. sund.: *T. súrat péndek.* — A var. λ. differt: caule ad folia 4 ped. alto, articulis 14—16, longitudine 2—3 poll., 1,5—2,0 poll. crassis, parte foliacea 6—7 ped. longa; foliis angustioribus, 1—2 poll. latis, 2,5—3,5 ped. longis.

23. SACCHARUM EDULE Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 8. Cat. 118. 5. Pugill. nov. 16.

Descrpt. Caulis erectus debilis ad articulationes nodosus 5—6 ped. altus, dein ramosus; rami basi nudi, supra foliati; articuli 3,0—4,5 poll. longi, medio 0,7 poll. crassi; folia basi 2,0, medio 2,5 poll. lata, dein cuspidata, subulata, 2,5—3,0 ped. longa, supra minutissime hirta, subtus tomentosa glaucescentia, nervo supra albo percursa; lingula et basis laminae lanatae, margine serrulatae; vaginae inflatae compressae et ramum 1,7 poll. latum formantes, pallide virides, rubro-maculatae, pilis strigosis deciduis tectae, inflorescentiam haud perficiendam continentes; *rami* supra partem hanc incrassatam subito tenuissimi. — Neminem reperi, qui flores

evolutos viderit; inflorescentia imperfecta haec in aqua cocta olus jucundum praebet. Nomen mal. ac sund.: *T. tribu* i. e. Saccharum Ova piscium Rmph. amb. V. 191. t. 75. 1.

24. IMPERATA KOENIGII Palis.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 940. Knth. En. I. 477. Msn. Gen. 428; *bracteae infimae* binae vacuae (glumae) subaequilongae, 0,1 poll. longae, oblongo-lanceolatae, acuminatae, apice piloso-laciniatae, hyalinae, 3-nerviae, nervis lateralibus haud ad apicem percurrentibus, omnibus flavescenti-viridibus, margine minutissime adpresseque serrato-mucronatae; *pili* longi, bracteas plus 3-plo superantes, sericei, unicellulosi; *bracteae superiores* inferiorum 6-tam partem longae, minutae, ovato-oblongae, tenerrimae, hyalinae, apice 3—5-fidae, laciniato-fimbriatae, pilis erectis; *germen* oblongum bractearum superiorum tertiam partem longum; *styli* bini basi connati longissimi; *stigmata* ex apice bractearum *infimarum* longe exserta plumosa, pilis denticulatis; *filamenta* tenuissima, demum elongata, albida; *antherae* longiter exsertae lineari-oblongae, utrinque bifidae.

Char. Spec. cf. Knth. En. I. 477. 1 et cit.; Rxb. Ind. I. 239; *J. Allang* Jungh. Nov. Gen. et spec. 10; idem wiss. Reise 195. Hsskl. Catal. et Adnot. 119. 1. Rmph. amb. VI. 17.

Descrpt. Gramen caespitosum; *caules* comosi nunc hinc stolones emittentes, longe prorepentes; *folia* (speciminum ex apricis sumptorum) caulis fructificantis inferiora densa rigida erecta brevia linearia canaliculata acuminata, 2—5 poll. longa, 0,15 — 0,22 poll. lata, utrinque glaberrima, margine serrulato-scabra, basi longiter ciliata; *caules fructificantes* 6—18 poll. longi erecti stricti ex internodiis 2—3 constantes glaberrimis lucidis, versus apicem laete rubentibus; nodi pilis longis albidis patentibus cincti; *vaginae* teretes inferiores, breviores, summae elongatae, margine supra et ad lingulam truncatam brevissimam pilis longis patentibus obsitae; *folia* vaginae summae 5—6 poll. longae ad rudimentum reducta, lineari-lanceolata, acuminatissima, *panicula* spicaeformis 2,0—3,5 poll. longa cylindrica, pilis bractearum infimarum et ad insertionem spicularum longissimis lanatis mollibus, in anthesi erecto-adpressis, stigmatibus et antheris intermixtis, post anthesin patentissimis. — Caet. vid. ll. cc. — Januario et omnibus fere mensibus totius anni in *Java tota* ad altitudi-

nem sat elatam (4000 ped. supra mare) obviam venit. — Nomen malaicum: *Alang*, sundense: *Eürü.*

25. LEPEOCERCIS PERTUSA Hsskl.

Char. Gen. Lepeocercis Trin. Endl. Gen. Sppl. I. 949. Msn. Gen. 429 differt solummodo: spiculis 4-, nec 3-fariis, perigonii foliolis magnis nec minutis; *Andropogon* L. Endl. Gen. 950. Knth. En. I. 485. Msn. Gen. 428 differt spicula completa biflora, bractea 3-tia neutra et bractea quarta longissime aristata, florem hermaphroditum sustinente, nec bractea 3-tia florem completum fovente et quarta neutra. Genus, utrumque annon jure a *Kunthio* celeberrimo conjunctum?

Char. Spec. cf. *Andropogon pertusus* Rxb. Ind. I. 263. 11, descrpt. bona, sed spicae 4—7, in nostra 8—13; R. Br. Prdr. I. (201.) 57. 7, sed erroneë (siccando forsan?) folia setacea dicta, quod signum transcriptum habet Knth. l. c. 498. 86; nec *A. orthos* Schlt. Knth. l. c. 499. 90 (*A. strictus* Rxb. l. c. 265. 15) huc referendus; an *A. Haenkii* Prsl. Knth. l. c. 501. 104 hujus loci? qui differt: spiculis secundis, bracteis binis inferioribus pilosis (?); *A. hirtifolius* Prsl. Knth. l. c. 497. 78 vix differt: spicis subquinis et *A. annulatus* Frsk. Knth. l. c. 498. 80 e diagnosi haud diversus, nisi bractea infima intrusa.

Descrpt. Herbae in graminosis siccis prope *Weltevreden* copiosissimae *Rumput embûn* dictae, mense *Aprili* flores emittentes, gracillimae, perennes; *caulis* caespitosus basi longe procumbens et inter graminum aliorum folia reconditus, ima basi tantum radicans ramosus, vaginis foliisque emarcidis gilvis flaccidis obtectus, 4—6 poll. longus, nunc ad fossarum margines verticaliter descendes 6—8 poll. longus, nodosus, dein geniculato-adscendens, apice erectus, strictiusculus, tenerrimus, gracilis, 20—36 poll. altus, internodiis elongatis foliisque paucis; *internodia* partis procumbentis vaginis tota tecta, tereti-compressa, flavescentia, apicem versus rubentia, glaberrima, lucida, apice ad nodum articulationis constricta, basi paullo incrassata 0,5—2,0 poll. longa, 0,1 poll. crassa; partis adscendentis ad medium fere vaginis involuta teretia, nunc e ramo accedente in altero latere plana laevissima lucida straminea, apicem versus nunc purpurascentia 3—13 poll. longa, 0,05—0,02 poll. crassa; *cellulae epidermidis* lineares utrinque truncatae, partis procumbentis minute crispato-marginatae, partis erectae paullo magis elongatae et subinteger-

rimae, tuberculis raris silicosis minutis irreguralibus, diametro latitudinis cellularum conspersae; (cf. *Geubel*, Physiol. Chemie d. Pflanzen p. 237—239 *); Schld. Grndz. d. wiss. Bot. T. I. p. 162, Silicium); *vaginae* omnes ima basi valde incrassatae, internodii partem constrictam cingentes et arcte includentes, ipsumque nodum fingentes et ibi pilis patentissimis densissimis albidis (hyalinis) acutissimis, 0,03 — 0,07 poll. longis capillaribus haud articulatis eleganter barbatae, longitudinaliter parallele nervoso-striatae, *infimae* caulis partis procumbentis ejusque ramulorum valde abbreviatae, complanatae, ancipites, 0,3 poll. longae, 0,05 poll. latae, *superiores* pariter complanatae, acute carinatae, ancipites, 1,0—2,0 poll. longae, 0,1—0,15 poll. latae, intense virides, apicem versus purpurascentes glaberrimae, antice ad margines pilis patentibus tenuissimis, iis baseos conformibus raris obsitae; *summa* tereti-convoluta 5—4 poll. longa, 0,08 poll. lata, caeterum reliquis conformis; *lingula* brevissima truncata, membranacea tenuissima, 0,03 poll. alta, apice minutissime ciliato-lacera; *cellulae epidermidis* lineares, truncatae, rectangulares, margine crispato-incisulae, *stomata* juxta nervos creberrima, plerumque 1—2-seriata, ovalia, sua aut vix sua longitudine inter se distincta, e cellulis binis linearibus utrinque obtusis curvatis rimam linearem cingentibus; *tubercula* siliciae hyalina parca cellulis inspersa; *folia* plana, ramulorum baseos 0,6—1,2 poll. longa, 0,07—0,12 poll. lata lineari-lanceolata, *reliqua* anguste lineari-lanceolata aut linearia, longiter acuminatissima 3—6, poll. longa, 0,15—0,20 poll. lata, margine rubenti, aculeolis antrorsis minutissimis densissimis scabro secantia, ima basi ad margines et in superficie superiore pilis 0,15—0,20 poll. longis patentissimis tenuissimis glaberrimis albidis fistulosis acutissimis inarticulatis obsessa et faucem vaginae barbatam referentia, supra pilis minutis patentibus, nudo oculo vix conspicuis sparsis obsita, dein glabrata, subtus densius pilosa

---

*) Geubel l. c. p. 238: Leicht tritt die Kieselerde . . . ad p. 239 bei dem Abmähen des Grases ab.

subpuberula, pilis persistentibus iis vaginarum ore consimilibus sed minoribus, primo utrinque glaucescentia, parallele nervoso-striata, supra dein intense viridia juxta margines et nervum medium, praeprimis apicem versus plus minus intense purpureo-maculata; in nervo medio leviter canaliculata subtus ad medium acute carinata; *cellulae* epidermidis *paginae superioris* subquadratae, nunc transverse latiores, juxta et supra nervos angustae lineares utrinque truncatae, margine tenuiori vix crenulato-crispatulae, granulis minutis nunc paucis nunc creberrimis (siliciae?) foetae; *stomata* juxta nervos, rarius inter nervos seriata, iis jam supra descriptis consimilia sed rariora; *paginae inferioris* cellulae iis vaginarum subsimiles truncatae lineares margine crenulato-crispatae; *stomata* creberrima subrotunda e cellulis magis curvatis rimam linearem latiorem (duplicem?) cingentibus; *tubercula* epidermidis intus cellulis inspersa subrotunda hyalina (siliciae) copiosissima; *folium* summum *florale* lineari-lanceolatum acuminatum 0,6—1,2 poll. longum, 0,07—0,1 poll. latum, caeterum conforme; *panicula* longe (2,5—7,0 poll.) exserta, 4—5 poll. alta, fastigiata, gracilis, erecta, ante anthesin contracta, e spicis inferioribus geminis ternisve verticillatis, superioribus alternis 8—13 filiformibus pedunculatis erectis, primo virescentibus dein purpurascentibus lucidis, 2—3 poll. longis, aristatis congesta; *pedunculus communis* 1,0—1,5 poll. longus gracilis teretiusculus glaberrimus lucidus, ad insertionem pedunculorum paullo incrassatus et ibi in axilla glandulosus; *pedunculi* capillares basi paullo incrassati, 0,4—0,15 poll. longi, tenerrimi, rigidiusculi; *pedicelli communes* spicarum trifariam spiculis imbricatim tecti articulati, alternatim spiculas geminas gerentes complanati, nervis binis crassiusculis a basi divergentibus, caeterum parallelis viridibus marginati, inter nervos tenuissime membranacei, margine pilis albidis sericantibus antrorsis densissimis, caeterum pilis ad basin foliorum conformibus, ciliati et ad insertionem spicularum pilorum annulo erectorum dein patentium, spiculam sessilem dimidiam aequantium eamque involucrantium, caeterum reliquis pilis con-

similium praediti; *spiculae* geminae, altera sessilis, aristata, altera pedicellata; *spiculae sessiles* omnes versus inferiorem spicae paginam positae adpressae, absque arista 0,12 poll. longae, 0,04 poll. latae, oblongo-lanceolatae, distiche 3-bracteatae, obsolete 3-gonae, lucidae, viridiusculae, 1-florae, basi pilis sericantibus involucratae; *bractea infima* externa oblongo-lanceolata, acuta, 7-nervia, nervis viridibus basi tenuissimis, supra medium validis apicem haud attingentibus, sub apice evanidis, dorso plana, basi tenuior hyalina, supra medio puncto orbiculari sat magno intense viridi lucido intrusa, apicem versus rigidior, inter nervos tantum hyalina 2-carinata, juxta carinas margine utroque inflexa et bracteam secundam amplectens, extus lucida, ad carinas e medio apicem versus argute serrato-ciliata, ciliis hyalinis nunc roseis acutissimis validis cavis et succo hyalino aut roseis foetis; apice tenuissima, nunc lacero-fissa, 0,12 poll. longa, 0,04 poll. lata; *secunda* interna altior acute carinata, navicularis, sulfurea, extus lucida, aequilonga, oblongo-lanceolata, acuminata, tenuior, hyalina, nervis 3-bus viridibus tenuibus percursa, medio excurrente, margine inflexa et tenuissime sed longiter ciliolata, dorso versus apicem in carina minutissime antrorsum aculeolato-scabra; *utraque* e cellulis angustis linearibus, margine minute inciso-crispulatis conformata; *tertia* infimae opposita tenuissima membranacea, oblongo-lanceolata acutiuscula hyalina albida, nervo medio solitario tenuissimo viridi percursa, apicem haud attingente, margine inflexo et tenuissime, sed longiter ciliolata, navicularis 0,1 poll. longa, 0,03 poll. lata, pariter e cellulis anguste linearibus crispato-incisulis constans; *quarta* secundae opposita interna angustissima hyalina, nervo medio crassiusculo hyalino percursa, nervo medio excurrente in *aristam* longam tortilem, 0,5—0,6 poll. longam, medio badiam, versus basin et apicem rubiginosam, totam supra basin strigulosam antrorsum scabram; *flos hermaphroditus* a bractea tertia absque bracteolis collateralibus (palea superiore nulla) suffultus; *perigonium* nullum (?aut 2?-phyllum, foliolis minutissimis cuneatis truncatis subbilobis?); *stamina*

3 hypogyna; *filamenta* dein exserta elongata tenuissima capillaria complanata hyalina flexuosa; *antherae* exsertae stramineae, dein ad margines purpureae, lineari-oblongae, utrinque bifidae, 2-loculatae; *connectivum* angustissimum lineare flavescenti-viride; *loculi* paralleli basi apiceque divergentes acuminati, e cellulis oblongo-linearibus, minutissime reticulatis conformati; *pollen* copiosum vertice convexum, altero latere trigono-conicum, dein globosum, sat magnum albidum, *fovilla* copiosa foetum; *germen* ovato-oblongum viridi-albidum glabrum uniloculatum; *gemmula* unica basalis sessilis ovato-oblonga; *styli* a basi divergentes, lobulo brevi ovato-subrotundo interstincti, germine plus 3-plo longiores erecti albidi teretes; *stigmata* laete purpurea, supra medium spiculae lateraliter exserta, stylis duplo longiora patentia plumosa e pilis subverticillatis tenuissimis acutissimis minutissime adpresse serrulatis; *fructus* oblongus rubiginosus glaber, bractea tertia tenuissima involutus et quartae aristatae, arista nunc patenti et medio tortili adpressus, indehiscens, semen albuminosum arcte cingens; *albumen* farinosum e granulis minutis globosis albidis, tinctura Jodii admissa lilacinis constans; *spiculae alterae pedicellatae* omnes pedunculi spicae communis paginam superiorem bifariam tegentes; *pedicelli* 0,12 poll. longi, 0,01 poll. lati, pari cum spicae pedunculo structura, sed celerrime purpureo-tincti, margine sericanti antrorsum ciliati, ciliis ad apicem elongatis, spiculam involucrantibus eaque vix minoribus; *spicula* 0,08 poll. longa, 0,03 poll. lata, primo viridis dein purpurea, mutica, inanis, neutra; *bracteae* binae; *inferior* exterior major robustior bracteae infimae spiculae sessilis consimilis, sed haud supra medium intrusa, nervis autem a basi validis viridibus apicem attingentibus, intra nervos primo hyalino-viridiuscula dein purpurea; *superior* opposita ab infima recepta tenuissima, membranacea, hyalina, nervis 3-bus viridibus basi tenuissimis, a medio sensim incrassatis, lateralibus infra apicem evanidis percursa, oblongo-lanceolata, acuminata, caeterum bracteae tertiae conformis; floris rudimentum nullum.

26. ANDROPOGON (ANDROPOGON) ACICULARIS Rtz.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 950. Msn. Gen. 428. Knth. En. I. 485.
Char. Spec. cf. Knth. En. I. 505. 132. Sppl. 417. 867, Rxb. Ind. I. 266.
Gramen aciculatum Rmph. amb. VI. 13. tab. 5. fig. 1.

Descrpt. Herbae vilissimae undique prope *Bataviam*, *Bogor* et in altioribus locis *Javae* fere *totius occidentalis* in graminosis prorepentes et viatoribus sat molestae ob spiculas staminigeras caducas et vestimenta perforantes ibique persistentes; *caules* superficiales articulato-nodosi, solum versus ubique radices proferentes, ramosissimi; *internodia* teretia, vix 0,1 poll. longa, vaginarum emarcidarum rudimentis hinc obtecta; *rami* caespitosi, nunc pariter prorepentes nunc adscendentes fertiles, ibique adscendentes; ramorum *apices* foliorum vaginis plane obtecti ancipites; *vaginae* complanatae, inferiores superiorem fere totam vaginantes, margine subciliatae, caeterum glabrae; *lingulae* nullae; *folia* distiche oblongolanceolata obtusiuscula, seu lineari-oblonga, acuta, 1,0—2,5 poll. longa, 0,20—0,15 poll. lata, glabra, margine muricato-ciliata plana rigida; *caules fertiles* 6—15 poll. alti, graciles, stricti, glaberrimi, ex internodiis 1—3 constantes, a vaginis teretibus arcte inclusis; *vaginae* aphyllae; *panicula* terminalis ante et post anthesin subcontracta oblonga, in anthesi patentissima, ovato-oblonga, 2—3 poll. longa; *rami* 3—5 subverticillati, gracillimi, in anthesi patentissimi, 0,6 poll. longi sanguinei, versus apicem striguloso-pilosi, apice spiculas 3 gerentes sanguineas lucidas (cf. Knth. Sppl. l. c.); *bractearum infimarum* vacuarum *superior* 3-nervis; *paleae* arista hac plus 3-plo longior, 0,2 poll. longa, bracteas infimas longe excedens, et spicularum lateralium apicem fere attingens; *stamina* brevia; *filamenta* albida, germine vix longiora; *antherae* laete luteae, linerari-oblongae, utrinque bifidae; *loculi* inaequilongi; *pollen* globosum; *styli* basi connati, altius reflexi; *stigmata* longissima albida plumosa, pilis papilloso-serrulatis; *semen* gilvum, basi oblique attenuatum oblongum; *spiculae* laterales pedicello basi barbato 0,1 poll. longo, apice clavato suffultae; *bractea infima* vacuarum binarum convoluta lineari-

oblonga subcarinata acuminata, sanguinea, margine versus apicem vix spinulosa; *secunda* tenuior intra infimam recepta convoluta acutata; *bractea superior* et bracteolae floris hermaphroditi sed muticae; *perigonii* foliola et stamina floris hermaphroditi, *antherae* paullo longiores; *spiculae* staminigerae caducissimae (vid. supr.). — Per totum fere annum in Java tota occidentali ad sat elatam altitudinem obviam venit. Jan. 1846.

CYPERACEAE DC.

27. FUIRENA QUINQUANGULARIS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 995. Msn. Gen. 411.

Char. Spec. cf. Hsskl. Dec. 20. Diagn. nov. 10. Catal. 140. 1. Valde affinis *F. pentagonae* Nees Wght. Cntrb. 93. 2, quae diversa caule multo minore vix sesquipedali, foliis et vaginis superioribus supra et ore hirsutulis, bractearum aristis haud recurvis; — accedit quoque ad *F. umbellatam* Rttb. Dtr. II. 356.

Diagn. *Caule* quinquangulari et *foliis* glabris, *umbellis* axillaribus et terminalibus compositis et decompositis, *spiculis* glomerato-capitatis; — A specie ulteriore e descriptione *Vahlii* l. c. differt nostra: *caule* basi procumbente, dein adscendente 2—4 ped. alto, superne lateribus magis excavatis, inferne articulato; *foliis* subaequalibus 1,0—10,0 poll, longis, 0,5—0,8 poll. latis trinerviis, vaginis 1,5—2,5 poll. longis, omnibus glabris, ad faucem ciliatis; *lingula* truncata glabriuscula; *pedunculis* 0,9 poll. longis, minoribus 0,2 poll. longis; *involucro* foliaceo, umbellis longiore aut subaequanti; *foliolis partialibus* lineari-lanceolatis; *umbella* triradiata, partiali simplici, radiis patentibus abbreviatis; *spiculis* 7—10, glomerato-capitatis oblongis; *bracteis* oblongis concavis aristatis, aristis squarroso-recurvis, fusco-viridibus; *filamentis sterilibus* obcordatis basi attenuatis pallidis erectis, germine longioribus. — Nomen sundense: *Wawalíngian*; habitat in palustribus et oryzetis prope *Buitenzorg*. — 1840.

28. FIMBRISTYLIS BISPICATA Nees et Meyen.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 411. Endl. Gen. 998. Knth. En. II. 220, sed germen basi disco subtrilobo cinctum et fructus longiter stipitatus.

Char. Spec. cf. Nees in Wght. Contrb. 97. 4. Knth. En. II. 223. 8; diagnosis Neesiana magis quadrans, var. α. Nees; bracteae a Neesio clbrr. *subrotundae* a Kunthio clbrr. *ovato-ellipticae* laudatae; stamina e Knth. 3, in nostris speciminibus 1—2; fructus apice emarginatus livido-stramineus, nec subumbonatus fuscus. — *Scirpus bispicatus* Koen. Rxb. Ind. I. 223. 24 solummodo bracteis suborbicularibus a nostris distinctus, semina obcordata laudantur; an *F. schoenoides* Vhl. Knth. En. II. 224. 6, Nees in Wght. Cntrb. 97. 5 jure diversa: solis spicis ovatis obtusis? — nobis utraque videtur conjungenda, nam citatum ulterius *Scirpus monostachyus* Koen. Rxb. Ind. I. 221. 21 vix nisi spiculis oliganthis et bracteis orbicularibus diversum!

Descrpt. Herbae graciles perennes in graminosis paludosis prope *Bataviam* frequentes; *caules* caespitosi plures in fasciculo radicum fibrosarum tenuium albidarum flexuosarum 1,0—1,2 poll. longarum, basi vaginis foliiferis involuti, apice duas tertias partes nudi, obsolete trigoni subteretes, graciles, tenerrimi, erecti, 8—18 poll. longi, glaucescentes, longitudinaliter striati et leviter sulcati; *vaginae* tenerrimae subcylindricae, apice truncatae, 1—2 poll. longae, antice tenuissimae, dein fissae et margine tenui membranaceo subevanido folii basi subsimiles; *folia* in caule quodam 3—5 angustissima, linearia, caulem subaequantia eoque nunc breviora, plana, siccando canaliculata dein convoluto-filiformia, margine utroque vix elevato et minute remoteque aculeolato serrulato-scabriuscula, caeterum glaberrima, longitudinaliter parallele-nervosa et eleganter seriatim albido-punctata e stomatibus in cellularum seriebus alternantibus seriatis oblongis, rimulam linearem ostendentibus et inter se sua ipsa longitudine aut paullo longiore interstinctis, cellulis epidermidis nunc quadratis nunc rectangulum formantibus, marginibus minutissime undulato crispato-serrulatis, tota glaucescentia 6—9 poll. longa, 0,02—0,03 poll. lata; *floralia floralia* 1—2 nunc inflorescentia longiora 1,0—1,3 poll. longa, nunc ea breviora aut eam aequantia, 0,8—0,5 poll. longa, viridia, plana, margine serrulato-scabra, basi vaginantia, rubentia margine tenerrima hyalina, albido-rosea; *spiculae* solitariae sessiles aut binae, altera sessilis, altera pedunculata (aut, si velles, umbella spicula cen-

trali sessili, radio aut nullo aut solitario), oblongae acutae undique imbricatae, spiralibus binis evidenter in evolutis conspicuis, gilvae, 0,3—0,4 poll. longae, 0,10—0,15 poll. latae; pedunculus (radius) compressus, anceps, viridis, glaber, 0,3—0,5 poll. longus, erectus, rarius subpatens, basi vagina aphylla tenuissima, hyalino-subincarnata 0,1 poll. vix longa truncata cinctus; *bracteae* binae *infimae* vacuae, late ovatae, concavae, multinerviae, nervis tenuissimis externis medio et infra evanidis, carinata, carina viridi crassa glabra supra bracteam excurrente mucronatae, caeterum tenerrimae, hyalinae, rufae, 0,15 poll. longae, 0,09 poll. latae; *reliquae* omnes fertiles, 0,15 poll. longae, 0,12 poll. latae, subrotundo-ovatae, breviter mucronatae concavae carinatae; inferioribus conformes, cum fructibus dein deciduae; *flores* nudi, perigonio destituti; *stamen* unicum aut bina, infra germinis discum inserta plane eadem ac *F. dichotomae* Vhl.; *germen* basi disco annulari leviter 2—3-lobo carnoso brevi suffultum oblongum, basi paullo attenuatum, vertice impresso subemarginatum, styli basin incrassatam, ima basi convexam fovens, subcomplanatum uniloculatum; *stylus* basi incrassatus germini articulatim insidens, sensim attenuatus, subtereti-complanatus, albidus, 0,1 poll. longus, apice 2-fidus, 3-striatus; *laciniae* angusto-lineares sub-circinatim resolutae, stylum subaequantes, uti et stylus supra basin incrassatam pilis basi crassis acutissimis patentibus subreflexis, basi remotis, sensim densioribus obsessae; *fructus* indehiscentes, stipite longiusculo eos dimidios fere longo albido incrassato, ima basi filamentum longum solitarium rarius geminum gerente suffulti, convexo-compressi, marginati, obcordati, obovato-subrotundi, basi attenuati, apice emarginati, livido-straminei lucidi glaberrimi, minutissime (sub lente fortissime) punctulati, nec sulcati nec margaritaceo-tuberculati aut verrucosi, coriacei monospermi; *semen* liberum sessile lenticulare, caeterum ei *F. dichotomae* Vhl. plane conforme. — In mensibus pluviosis Martio et Aprili flores fructusque gerens obviam venit; 1846.

29. FIMBRISTYLIS MONOSTACHYA Hsskl.

Char. Gen. Intermedia haecce inter *Cypereas* et *Scirpeas*, e spicis juvenilibus plane ad priores, e senioribus autem ad posteriores spectat; e styli basi haud persistente magis ad *Cyperaceas* accedit cf. Msn. Gen. 409. Knth. En. II. 2 et 139. — *Fenzl* divisiones et genera alio modo distinxit et hoc ducente nostram haud ad *Scirpeas*, sed ad *Fuireneas* imoque *Ficinieas* duceres, si *Cypereis* haud adjungere velles cf. Endl. Gen. p. 117 et 119. — Ideo, si juvenilia tantum habeas specimina ad *Cyperum L.* Vhl. Br. Knth. En. II. 2. Msn. Gen. 410. Endl. Gen. 1003.a. reducere illam coactus eris; si seniora adveniant specimina, ob filamenta persistentia dein elongata nec decidua (Msn. Gen. 410) ad *Androtrichum* Brgn. Knth. l. c. 250, e pedunculi communis torsione habituque caetero ad *Abildgaardiam* Vhl. Br. Knth. l. c. 247 ducenda erit, quam Endl. Gen. 1003.c. *Cypero* jam adjecit; si dein bracteae infimae jam deciduae evadant, vix a *Fimbristylo* distinguere hanc licet, cf. Msn. l. c. 411, Knth. l. c. 220, Endl. l. c. 998, cui *Abildgaardiam* jam R.Br. Prdr. I. (229) 85 jam nimis adfinem censuit. Certe genera et ordinis subdivisiones nimis sejunctae in retractione a clss. Endl. Gen. Sppl. III p. 58 promissa multo magis contrahendae erint. — Mea opinione genus *Fimbristylis* Vhl. genera *Androtrichum* Brgn. *Abildgaardiam* Vhl., *Androcomam* Nees (Msn. Gen. 411, Comm. 314 No. 7. 8. 9 et 10) comprehendere necesse est.

Char. Spec. *Abildgaardia monostachya* Vhl. Knth. En. II. 247. 1; an *A. javana* Nees Knth. l. c. 250. 14 diversa? — *A. tristachya* Vhl. Knth. l. c. 248. 4 vix diversa videtur; — *Cypero humili* Knth. l. c. 23. 59 valde affinis, pariter magnopere ad *Ficinias* quasdam (Knth. l. c. 254) accedit. — *Fimbristylis schoenoides* Vhl. Knth. l. c. 222. 6, jam ab auctore ipso cum hac confusa, vix ni stylo bifido fructuque lenticulari diversa. *F. spiralis* R.Br. Prdr. I. 226. Knth. En. II. 242. 66 vix a nostra diversa habenda.

Descrpt. Herbae glaberrimae caespitosae, in graminosis prope *Weltevreden* vulgatissimae humiles, uti vulgo dicunt acuules; *caulis* subterraneus erectus, ubique fibrillis teneris albidis ramulosis dein nigrescentibus flexuosis tectus, cicatrisatus subramosus, apice multiceps comosus, basi praemorsus et saepe jam dissolutus evanidus, comam basi fibrillosam relinquens; *vaginae* basi bulbosae, incrassatae, albidae, vaginas internas cum pedunculo involventes 0,7—1,3 poll. longae, 0,06 poll. latae, incarnatae, lucidae, glaberrimae, clausae, versus apicem antice nunc apertae, intensius coloratae, tenuissimae summo apice folii basin marginantes alis tenuissimis apice acutis, lingulam bipartitam fingentibus; *folia* cum

pedunculis saturate viridia, glaberrima, lucida, primo erecta, dein apice nutantia, anguste linearia, canaliculata, rigidula, dorso convexa, ibique longitudinaliter eleganter punctulis seriatis, albidis notata, 5—9 poll. longa, 0,04 poll. lata, supra concava, apice acuta, margine elevato minutissime aculeolato-serrulata, aculeolis basi latis a latere compressis antrorsum curvatis, acutissimis, 1—3-cellulosis, solitariis, remotis, nunc per paria approximatis; punctuli foliorum dorsi sunt *stomata* lineari-oblonga (Schld. Grndz. ed. II T. I. p. 261 fig. 76) utrinque emarginata inter cellulas epidermidis lineares, margine minutissime serrulato-undulatas; *pedunculi* foliis longiores terminales foliis 2—4 cincti, eorumque vaginis basi involuti, solitarii, erecti, dein apice cernui 6—18 poll. longi, graciles, basi teretes, incarnati fasciculis vasorum 9—12 inter telam cellulosam subpериphericis, cellulis periphericis parvis, centralibus medullaribus grandibus dodecaëdris, granulis minutis foetis, dein vacuis spongiosis et postremo in parte superiore laceris et inde fistulosi, apice subcomplanati, toti levissime sulcati, sulcis sub lente tantum conspiciendis, apice plerumque spicam solitariam sessilem, aut nunc, sed rarius, spicas binas, alteram sessilem, alteram longius pedunculatam, rarius pariter sessilem, bracteatas gerentes; *pedunculus* spicae alterius 0,2—0,7 poll. longus, obsolete triqueter; *folia floralia* abortiva, minuta, bracteaeformia cum vaginis spicam sustinentia, inferius paullo longius, ad basin pedunculi aut spiculae inferioris bina erecto-patentia; *vaginae* lucidae, sanguineae, margine tenuissimae, integerrimae, 0,1 poll. longae, 0,03 poll. latae; *lamina* anceps erecta, acuta, linearis, viridis in margine cartilagineo acute antrorsum serrulata, utrinque striis 3bus albidis notata, apice flavescens 0,1—0,2 poll. longa, 0,01 poll. lata; *spicae* juveniles ancipites ovatae, acutae, lucidae, 0,2 poll. longae, 0,15 poll. latae, medio flavescenti-virides, ad margines et apicem intensius virides e bracteolis 4—7 2- (nec 3-)che dispositis, dein magis evolutae, oblongo-ovoideae, acuminatae, e bracteolis in spicas binas (nec 3-nas) dispositis, imbricatis, bullatis, strobiliformes, 0,5 poll. longae;

postremo bracteis inferioribus cum floribus aut fructibus deciduis pedunculo communi ancipiti exscuplto et basi bractearum persistente vestito spiraliter torto suffultae; *bracteae* coriaceae naviculares, subrotundo-ovatae, acuminatae, basi latae, pedunculum communem amplectentes, uninerviae, dorso carinatae et apice mucronatae, virides, margine lato albidae, membranaceae, integerrimae, 0,2 poll. longae et latae, glaberrimae, lucidae, dein deciduae, *inferiores* plerumque vacuae, *superiores* flores hermaphroditos gerentes; *flores* nudi, perigonio destituti; *stamina* 3 (semper!) stipiti germinis valde abbreviato inserta; *filamenta* in floribus stigmata jam exserta ostendentibus brevia albida, subcylindrica, medio paullo inflata glabra, germinis quartam partem vix longa, antheris plus decies minora erecta, dein germine cum stylo multo longiora, antheris duplo longiora, albida, erecta, filiformia, subflexuosa, apice exserto vix tenuiora, antheris deciduis persistentia, vegeta; *antherae* flavae lineares, apice connectivo angustissimo lineari, basi et apice dilatato, apice prominulo apiculatae, exsertae, caducae, 2-loculares introrsae; *loculi* angustissimi paralleli, basi acuminati divergentes, rima longitudinali elastice dehiscentes et pollen ejaculantes; *pollen* pallide flavescens, siccum angulatum, trigonum aut subcylindricum, utrinque rotundato-truncatum, in aqua immersum globosum sat magnum, *fovilla* copiosa foetum; *germen* stipite placentiformi abbreviato suffultum obovato-oblongum trigonum apice rotundatum viride, 0,05 poll. longum, uniloculare; *gemmula* unica ovata, albida, erecta, rhaphe lateraliter adnata; *stylus* cum germine articulatus, basi valde incrassatus, 3-gonus, sub-3-alatus et 3-sulcatus, potius e 3-bus basi incrassatis viridibus connatus, corpus subcordatum pyramidatum formans, germini aequilongum, supra id aequalis triangularis, profunde 3-sulcatus, 3-fidus, laciniis filiformibus, patentibus, dein involutis, 0,07 poll. longis, hyalinus, totus 0,2 poll. longus et papillis patentibus hyalinis, ad basin styli brevioribus, crassioribus, coniformibus acutissimis, versus apicem sensim tenuioribus et longioribus, in laciniis (stigmatibus) cylindricis apice obtu-

siusculis, patenti-erectis totus obsitus longe persistens, etsi supra basin incrassatam vegetam marcescens, dein in fructu maturescente cum basi incrassata deciduus; *fructus* subgloboso-trigonus, stipite albido, trigono, crustaceo, lucidulo, 0,03 poll. longo suffultus, apice breviter umbonatus, glaberrimus, lucidus, verruculosus, primo viridis dein livido-stramineus, 0,06 poll. longus et latus, ad angulos subcarinatus, crustaceus; *semen* in epicarpio liberum, albuminosum, depresse subglobosum, basi acutum sessile; testa sat crassa, allutacea, pallide flavescens; albumen farinosum copiosum e granulis, plurimis, globosis, minutissimis, tincturae Jodii ope indicotinctis et paucis grandioribus globosis, magnitudine valde diversa, natantibus et ope Jodii hyalinis constans (cf. Schld. Grndz. ed. II T. I. p. 178 *f.* 9. *a* nec *b.*); *embryo* ratione albuminis parvus in basi seminis receptus, basi (radicula) globosus versus apicem attenuatus; cotyledon acuta subcurvata. — Mense Martio flores fructusque gerens reperiendae herbae. — 1846.

30. FIMBRISTYLIS DICHOTOMA Vhl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 411. Endl. Gen. 998. Knth. En. 220, stamina autem haud 3, in nostris speciminibus solitarium, discus haud minutus, annularis membranaceus adnatus, sed crassus carnosus sublobatus, germini substratus.

Char. Spec. cf. Knth. En. II. 225. 15 caulibus autem haud triangularibus et (involucri) foliis floralibus umbella brevioribus, nec longioribus. *F. pallescens* Nees in Wght. Cntrb. 101. 17, *Scirpus* Rxb. Ind. I. 233. 45 an jure huc relata? Diversa videtur umbella, ratione totius herbae, magna, involucro quam umbella longiore, spiculis minutissimis; fructu obcordato; *F. dichotoma* Nees (nec Vhl.) in Wght. Cntrb. 101. 18 fructu laevissimo sufficienter diversa, quae jure forsan, suadente ipso Neesio, ad *F. aestivalem* Vhl. Knth. l. c. 226. 17 ducenda. An *F. communis* Knth. l. c. 234. 41 sat ab hac diversa? nam *Scirpus miliaceus* Rxb. Ind. I. 231. 41 a Kunthio huc ductus, vix nisi seminibus obcordatis diversus a speciminibus nostris elatioribus; *F. diphylla* Vhl. Nees in Wght. Cntrb. 100. 13 majora, *F. tomentosa* Vhl. Nees l. c. 12 (praeprimis etiam ob fructus stipitatos) minora specimina repraesentant; — semina dicuntur valde polymorpha uti et numerus staminum et umbellae plus minus compositae indoles. — Species haec valde polymorpha adducto synonymo *F. dichotomae* Vhl. rectius forsan sub nomine Kunthiano *F. communis* Knth. salutanda!

D e s c r p t. Herbae perennes in graminosis praeprimis paludosis prope *Bataviam* vulgatissimae; *caulis* subterraneus repens dense radicibus fibrosis flexuosis fibrillisque tectis, primo albidis dein rufis et prostremo ferruginosis, 1—3 poll. longis tectus, apice multiceps; inde *caules epigaei* caespitosi, basi vaginis foliiferis cincti, supra nudi teretes subcomplanati erecti, in *siccis* 6—8 poll. longi, in *paludosis* 18—24 et magis poll. longi, erecti, stricti, apice subcernui, glaberrimi, nunc sub lente fortissimâ tantum minutissime puberuli, longitudinaliter striato-nervosi et eleganter albido-punctulati; *stomata* inter nervos creberrima seriata, sua longitudine a se invicem interstincta, ovali-oblonga, rimulam linearem ostendentia, inter *cellulas epidermidis* oblongas utrinque truncatas, margine minute crispato-crenulatas; *vaginae* clausae, apice truncatae, dein lacerato-fissae et margine membranaceo sensim emarcido, evanido, dimidiae tantum persistentes, folii basin fingentes et in ea sensim transeuntes, 0,4—2,0 —, in uberioribus — 4,0 poll. longae, 0,1 — 0,15 poll. latae, folio parallele subcomplanatae, apice pilis longis, albidis, patentibus, densis acutissimis, inarticulatis dense puberulae, versus basin glabratae, longitudinaliter viridi- et albido-striatae; *folia* plana, disticha, linearia, subfalcata, obtusiuscula, caule plerumque multo breviora nunc subaequalia, 3,0—6,0 poll. in uberioribus 7,0—8,0 poll. longa, 0,06—0,12 poll., in uberioribus 0,15—0,16 poll. lata rigida, margine vix supra elevato, supra glaberrima, intense viridia lucidula, subtus et praeprimis margine, uti vaginae, sed minus dense puberula et pariter striata, striis albidis latioribus et inde glaucescentia, dein glabrata, margine serrulato-scabra; *folia* (involucri) *floralia* tot quot umbellae radii, 1—2 externa foliis reliquis conformia parva, extremum plerumque radio dimidio minus, rarius eum subaequans, 0,6—2,0 poll. longum planum, linearia, acuta, erecta, margine serrulato-scabra, plurima magis magisque angustata lineari-subulata aut dein uti et umbellae secundariae subulata, basi amplectente serrulato-scabra, viridia, margine baseos membranaceo hyalino sensim in spicularum bracteas transeuntia, 0,3—0,2

poll. longa; *umbella* in *humilioribus* composita, in *exaltatis uberioribus* decomposita, *primaria* 8—12 radiata, *radii* circa spiculam centralem sessilem primo erecti, dein erecto-patentes 2—5 umbelluliferi, reliqui patentes et patentissimi monostachyi, umbellulae eodem modo 2—5-radiati; radiis 1—3 iterum umbellulatis 2—3-stachyis, omnes complanati ancipites, primo minute puberuli dein glabrati; *radii umbelluliferi* 0,6—1,5 poll., in uberioribus —2,0 poll. longi, reliqui 0,5—0,3, *secundarii* 0,5—0,3 et ternarii 0,3 poll. longi, caeterum subsimiles; *spiculae* oblongae acutae, 0,17—0,30 poll. longae, 0,12 poll. latae, multifariam dense imbricatae, in radiis (pedunculis) adscendenti-erectae; *pedunculus communis* strictus ad florum et bractearum insertiones exsculptus viridis et saepe (bractearum deciduarum latere membranaceo persistente) bracteolis bracteis primo lateraliter adnatis, dein liberis persistentibus paleaceus; *bracteae* carinatae, *binae infimae* vacuae, ovato-oblongae, hyalinae, pallidae, 0,07 poll. longae, nervo medio viridi valido percursae eoque supra apicem continuo subaristato mucronatae, mucrone argute aculeolato-serrulato; *superiores* reliquae cum bracteolis collateralibus utrinque ad marginem connatae, late ovatae concavae, 0,1 poll. longae, 0,07 poll. latae tenues, pallide stramineae dein rufescentes glabrae sublucidae, nervo medio valido viridi percursae et apice in mucronem subrecurvum brevem flavescentem desinente, utrinque nervis 2—3 collateralibus tenuissimis medio et infra medium evanidis hyalinis notatae, dein a bracteolis solutae cum fructibus deciduae; *bracteolae* nunc liberae tenuissimae in pedunculo communi sessiles persistentes; *flores* nudi; *perigonium* nullum; *stamen* unicum infra germinis stipitem insertum erectum; *filamentum* primo breve, germine brevius, antherae quartam partem longum, cylindricum albidum, dein elongatum complanatum, angustissime lineare, tenuissimum albidum apice dein constrictum et infra antheram articulatim secedens, persistens; *anthera* exserta anguste linearis erecta flava, basi subsagittata apice acuminata, bilocularis; *loculi* connectivo tenuissimo, basi dilatato et primo cum filamento conti-

nuo, dein articulatim secedente, apice incrassato conico-apiculato sejuncti, angustissime lineares, longitudinali rima dehiscentes; *pollen* flavum, globosum, glabrum sat magnum, fovilla copiosa foetum; *germen* basi disco glanduloso sublobato sat magno crasso insertum basi attenuatum, obovatum, subcomplanatum, albido-viride glabrum, anguste marginatum, ruguloso-reticulatum e rugis transversis longitudinaliter tenuissime striatis, sulcis 5—6 longitudinalibus, in series 6—7 dispositis, vertice rotundatum 1-loculatum; *gemmula* unica sessilis; *stylus* basi incrassatus, germini articulatim insertus idque excavatione baseos obtegens, dein deciduus, supra tereti-complanatus, crassiusculus, 2-striatus, albidus ad medium bifidus, ad divisionem et paullo infra pilis patentibus brevibus basi crassis, acutis, hyalinis obsitus, 0,09 poll. longus absque laciniis; *laciniae* (pallide) flavescentes flexuosae, stigmatosae, praecoces, exsertae, teretiusculae, totae obtectae pilis brevibus crassis, acutiusculis, 2—6-articulatis, submoniliformibus, dein marcescentes rubiginosae, stylum ipsum longitudine aequantes; *fructus* disco glanduloso inserti, ochracei, lucidi, complanati, apice breviter apiculati, longitudinaliter utrinque 7-costati, costis transverse sulcatis, luciduli, margine viridiusculo crassiusculo cincti, crustacei monospermi indehiscentes, semini haud adnati; *semen* albuminosum; *testa* lutescens membranacea tenuis; *albumen* farinosum candidum e granulis minutissimis, subglobosis plurimis nunc ovalibus, tincturae Jodii ope lilacinis, (Schld. Grndz. ed. II p. 178 fig. 9 b. et granula minora!) compositus; embryo in albuminis basi reconditus. — Mense Martio et Aprili flores fructusque maturos praebet.

31. FIMBISTYLIS MILIACEA Vhl.

Char. Gen. Msn. Gen. 411, Endl. Gen. 998, Knth. II. 220, sed discus haud membranaceus annularis adnatus, sed crassus, ratione altitudinis carnosus, haud adnatus placentiformis; *Ficinia* vix nisi styli basi aequali et inflorescentia rarissime decomposito-umbellata diversa; an sufficienter? cf. Knth. l. c. 251, Endl. Gen. 997, Msn. l. c., Knth. l. c. jam rectius hanc cum *Isolepide* conjungendam habet, quae *Isolepis* R.Br. (Knth. l. c. 187, Endl. Gen. 999, Msn. l. c.)

vix nisi styli basi aequali ab hac nostra differt et cujus sectio III Knth. En. II. 205, quasi genus novum: *Bulbostylis* Knth., habet, quocum nostra plane congruit.

Char. Spec. cf. Knth. En. II. 230. 29, sed folia et dorso scabriuscula; floralia (nec 2, sed) tot quot radii umbellae umbellulaeque, bracteae apice breviter mucronulatae; *Trictelostylis* Nees in Wght. Cntrb. 103. 5, sed autor hanc semper monandram et pedunculum apice ancipitem laudat, dum nostra triandra evadit; *Scirpus tetragonus* Poir. Rxb. Ind. I. 232. 43, qui flores 1—2-andros laudat et stylum 2—3-fidum, semen subglobosum intus compressum scabrum album (forsan immaturum, siccando et pressione alteratum); — *Nees* l. c. descriptionem hanc elegantissimam dicit et nihilo minus eandem speciem denuo ad *Trichelostylum* suam *tetragonam* adducit, ubi folia pedunculum aequant aut superant; dein hanc ipsam varietatem forsan censet *F. quinquangularis Nees* l. c. 104. 7. Knth. l. c. 229. 26, quae autem foliis planis nec equitantibus, pedunculo (profunde *Nees*) quinquangulari, stamine unico, fructu subgloboso differt; dum *Roxburgh* l. c. 233. 44 fructum oblongum trigonum dicit et spicas paucas 6—8-floras.

Descrpt. Herbae perennes caespitosae, in paludosis prope *Weltevreden* copiosae, strictae laete virides glaberrimae lucidae; *radices* fibrosae plurimae, densae, filiformes, flexuosae, candidae, dein rufescentes, horizontaliter divergentes, fibrillis tenuissimis tectae, 3,5—2,0 poll. longae; *caulis* basi subbulbosus, roseo-albidus, compressus, vaginatus; *vaginae* 4—7 distichae, compressae, dorso acutae, antice margine tenuissimo, membranaceo, hyalino, marcescente et deciduo munitae, laete virides, utrinque nervis 9—11 parallelis, longitudinalibus, tenuissimis striatae, 1,5—2,3 poll. longae, 0,15 poll. latae ramum basi 0,4 poll. latum sustinentes, foliiferae; *folia* quasi vaginae margine membranaceo destitutae, a latere compressa, altero margine (carina dorsalis) acuto, altero antico leviter canaliculato, ut inde folia triquetra, altero latere angustissimo fiant; anguste linearia, apice longe subulata, triquetra, subensiformia, 6—9 poll. (supra vaginam) longa, 0,07 poll. lata, laete viridia, longitudinaliter parallele nervoso-striata et sub lente eleganter punctulata, nudo oculo glaberrima, lucidula, tactu antice ad margines et dorso antrorsum scabra e aculeolis minutissimis, serratis, vix apice patentibus, totis fere margine adnatis; *stomata* in lateribus latioribus binis co-

piosa inter nervos longitudinaliter seriata oblongo-elliptica medio rimulam lineari-oblongam ostendentia, inter *cellulas epidermidis* sat longas utrinque truncatas rectangulares, margine serrulato-crispulas, copiosa, in latere antico angustiore nulla, sed *cellulae epidermidis* latiores subquadratae; *pedunculi* terminales sed foliis plurimis, emarcidis, evanidis et ramo axillari evoluto plerumque false axillares aut collaterales stricti erecti, evoluti folia longe superantes, basi vaginis 3—5 inclusi, dein longe liberi, nudi, rhomboideo-tetragoni, versus apicem angulis binis, oppositis, latioribus, compressis sub-bialati, 12—18 poll. longi, 0,05—0,08 poll. lati glaberrimi laete virides, uti et folia, longitudinaliter parallele nervoso-striati et ante nervos eleganter e stomatibus seriatis punctati, lucidi umbelliferi; *vaginae* inaequales aphylllae, *inferiores* breviter oblongo-lanceolatae, acuminatae, dorso bicarinatae, basi roseae, versus apicem sensim viridescentes, lucidae, glaberrimae, antice fissae apertae, pollicem haud longae aut vix excedentes; *superiores* sensim longiores clausae, pedunculum arcte includentes, eique ita conformes, ut vix ab eo distingui possint, apice oblique abscissae, folium abortivum fingentes et margine membranaceae, acuminatae ibique marcescentes, 2,0—2,5 poll. longae; *folia floralia* tot quot umbellae umbellulaeque radii, eisque evolutis multo breviora, etsi externa internis majora, basi vaginantia semi-amplexicaulia, membranacea lanceolato-linearia, longiter et anguste lineari-acuminata, plana versus apicem subtriquetra, viridia, glabra, dorso et margine minute antrorsum scabra; *externum* maximum 0,5—0,7 poll. longum; *interna* sensim minora et angustiora subulata, vix 0,1 poll. longa; *omnia* ante anthesin erecta vegeta, in anthesi patentia et patentissima, emarcida, ferruginea, post anthesin dein evanida; *umbellae* 10—11 radiatae circa spicam terminalem sessilem; *radii* basi vaginula 0,1 poll. longa, 0,02 poll. lata truncata viridi-alba lucida cincti, tereti-subtetragoni virides, ad angulos antrorsum scabri, primo erecti, ante anthesin subconglobato-conniventes, dein patentes, patentissimi et divaricati, externi bini longiores, 0,8—1,2 poll. longi, umbel-

lam decompositam gerentes; bini sequentes dimidio minores umbellam compositam gerentes; quintus et sextus denuo dimidio minores plerumque umbellam simplicem, rarius radio uno distachyo, gerentes oligostachyam; radii sequentes 3—2—1-stachyi, 0,15 poll. longi; *umbellulae secundariae* simili modo ac umbellae radiorum interiorum formatae, spicae terminalem centralem gerentes, radiis oligostachyis et internis monostachyis; *spicae* inter minores ovatae subglobosae vix acutae lucidae, dein plus minus rubiginosae, 0,1 poll. longae, 0,06—0,08 poll. crassae, dein bracteis basi deciduis pedicello communi plus minus longe denudato stipitatae, 0,17—0,15 poll. cum stipite longae; *pedicellus communis* teretiusculus e cicatricibus florum et fructuum deciduorum exsculptus, e bractearum cicatricibus elevatis continuis spirales tres elevatos gerens aut si mavis spiraliter exaratus; *bracteae* omnes fertiles aut summae nonnullae hinc vacuae, concavae lato-ovatae, acutae, mucronulato-apiculatae, 0,06 poll. longae, basi 0,04 poll. latae, medio nervis tribus valde approximatis, unicum fingentibus, percursae, primo virides, ad nervum medium pallidiores, dein rubiginosae lucidae, longe persistentes dein deciduae; *bracteolae collaterales* nullae; *perigonium* nullum; *stamina* 3 infra pistilli discum inserta; *filamenta* primo brevia complanata albida, dein elongata, apice inserta, truncata albida, antheris deciduis persistentia, flexuosa, fasciaeformia, longitudinaler striata et transverse reticulata, fuscescentia; *antherae* exsertae lineari-oblongae, acutiusculae, primo albidae, dein stramineae eleganter longitudinaliter striatae et transverse punctulatae biloculatae, dein subspiraliter tortae; *connectivum* primo filamento continuum, dein articulatim secedens hyalinum, basi et apice incrassatum medio tenuissimum, apice conico; *loculi* paralleli contigui, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* flavescens, globosum, glabrum, sat magnum, copiosa fovilla foetum, dein rimis 3-bus a vertice radiatis dehiscens?, *discus* hypogynus ratione germinis brevis, placentiformis; *germen* viride obverse pyramidale, obsolete trigonum, basi attenuatum apice umbonatum, marginibus tuberculatum hyalinum; *stylus* basi incras-

satus et articulatim germinis umbone insertus ibique excavatus, sensim versus apicem attenuatus, teres, albidus, apice 3-fidus, stigmatosus; *laciniae* primo erectae conniventes, dein patentes et patentissimae exsertae et subreflexae, styli partem indivisam subaequantes, postremo eo paullo longiores, plumosae e pilis subverticillatis patentibus, hyalinis, cylindricis apice vix attenuatis acutiusculis, e cellulis abbreviatis 6—8, ad articulationes haud constrictis constantibus; dein marcescentes et persistentes, postremo cum stylo articulatim deciduae: *fructus* bractea sexies et ultra brevior minutus indehiscens monospermus trigonus, obverse pyramidalis, apice truncatus, medio umbonatus, lucidulus, stramineus, minutissime verruculosus; *epicarpium* durum hyalinum crustaceum verrucosum; *verruculae* in lineas transversus, sulcis longitudinalibus percursas dispositae; *semen* minutum fructum implens, sed liberum obovatum; *testa* flavescens membranacea; *albumen* farinosum e granulis minutissimis, hyalinis, subglobosis, valde inaequalibus, tincturae Jodii ope lilacinis; *embryo* brevis basalis in albumine inclusus. — Mensibus Martio ad Majum flores fructusque gerit. — 1846.

32. CYPERUS VULGARIS Sieb.

Char. Gen. cf. Knth. En. II. 2. Msn. Gen. 410. Endl. Gen. 1003.a.

Char. Spec. cf. Knth. l. c. 4. 6, folia haud exsiccata vix obsoleto trigona, sicca tantum triangularia evadunt, apice solummodo scabriuscula; folia floralia externa 3 majora, sed 2—3 sequentia pariter sat conspicua; bracteae nervo sub apice excurrente mucronulatae, fructus oblongus cernuus; — an sufficienter a *C. flavescente* L. Knth. l. c. 5. 7 diversa? — *C. flavidus* Rxb. Ind. I. 204. 29. differt foliis longioribus, floralibus umbella brevioribus, umbellulis globulosis, spiculis lanceolatis, floribus monandris, seminibus obcordatis 3-gonis albidis; *C. capillaris* Koen. Rxb. Ind. I. 198. 16 et Nees in Wght. Cntrb. 76. 12 a Kunthio jure huc ductus; *Neesius* differentem dicit hunc a *C. flavescente* caule haud evidenter trigono, basin versus compresso.

Descrpt. Herbae perennes caespitosae, in paludosis prope *Weltevreden* vulgares, strictae glaberrimae; *radices* fibrosae, copiosae, horizontaliter expansae, albidae, dein rufae, flexuosae, fibrillis tenuissimis copiosis tectae, 2—4 poll. longae; *caulis* strictus basi vaginis 5—6 extimis aphyllis, cae-

teris foliosis cinctus, supra basin 2—3 poll. longam nudus, 12—16 poll. altus, obsolete trigonus, siccando 3-angularis subteres, medio 0,1 poll. crassus, glaberrimus, basi pallide, medio ad apicem atro-viridis lucidulus, longitudinaliter parallele nervoso-striatus; *series cellularum* epidermidis inter nervos 3—5 longitudinales, cellulae rectangulares, margine crispato-, utrinque 9-serrulatae; *stomata* in serie intermedia 1-seriata aut 2—3-seriata unam et dimidiam ad duplam suam longitudinem a se invicem distantia ovalia, rimam intermediam linearem ostendentia; *vaginae* infimae 1—3 aphyllae, 0,5—1,0 poll. longae, pallidae, longitudinaliter purpureo-nervosae et inde purpureae, clausae mox antice fissae hiantes marcescentes longe persistentes, superiores longiores 1,5—2,5 poll. longae, 0,15 poll. crassae, obsolete trigonae, antice tenuissimae, membranaceae, dein fissae pallide virides, intensius longitudinaliter parallelo-nervosae, glabrae, lucidae; *folia* caule breviora anguste linearia, leviter canaliculata subplana acuminatissima, dorso leviter carinata, laete viridia, lucida, glaberrima, apicem versus margine et carina minutissime antrorsum serrulato-aculeolata, aculeolis basi validis subito attenuatis acuminatissimis, subcurvatis, hyalinis, solitariis, nunc geminis remotis, 4—6 poll. longa, 0,12 poll. lata; *cellulae* epidermidis paginae inferioris iis caulis conformes et stomatibus interceptae, paginae superioris duplo latiores, stomatibus nullis; *folia floralia* sub quoque ramo corymbi umbellati spiraliter disposita, primo erecta, dein patentia et patentissima, 3—4 exteriora, ratione corymbi longissima, interiora sensim breviora, radiis paullo longiora et dein breviora angustiora et intima subuliformia, externa foliis reliquis conformia basi semi-amplexicaulia, margine et carina ad basin fere scabra, 5,0—3,7—2,5—1,5—1,0 poll. longa; *corymbus* axi valde abbreviata subumbellatus, decompositus; *radii* 3 externi majores, 0,3—0,4 poll. longi; 3 altiores sequentes iis alterni breviores, 0,2—0,1 poll. longi; interiores superiores circa corymbum intermedium collocati; *corymbi secundarii* iterum pari modo abbreviato-corymbosi et inde capitulum polystachyum sat com-

pactum 1,0 poll. altum, 1,7 poll. latum, subtrigonum, apice subtruncatum, obverse pyramidatum, aurichalceum formantes; rarius *radii secundarii* paullo longiores fastigiati, 0,7 poll. longi et inde corymbus paullo effusior; *radii* basi articulato-nodosi albidi et supra basin vaginula brevi (infimi radii caeteris longissima 0,1 poll. longa) truncata tenuissima apice pallide, basin versus nervis parallelis sanguineis percursa et inde basi atrosanguinea cincti, laete virides; exteriores 7—27-stachyi; *spiculae* erectae, strictae, breviter stipitatae, lineari-lanceolatae, acuminatae, compressissimae, margine serrulatae virides, medio albescentes rubiginoso-striatae, lucidae, 0,4—0,8 poll. longae, 0,07 poll. latae, juveniles 0,2—0,3 poll. longae, 0,04 poll. latae; *pedicellus communis* compressus geniculatus ad insertionem florum incrassatus e bracteolis adnatis utrinque bialatus, alis latitudine pedicelli haud parallelis, sed transversis, persistentibus, basi dein bracteis inferioribus deciduis longe nudus; *bracteae* 22—34 naviculares compressae, arcte sibi imbricatim adpressae, *infimae* 1—2 vacuae minores subrotundo-ovatae, obtusae, hyalinae, viridiusculae, nervo medio minus crasso percursae, 0,03 poll. longae; *reliquae* longiores, 0,6—0,8 poll. longae, 0,5—0,6 poll. latae, subrotundo-obovatae, carinatae, nervo medio valido viridi bisulcato, quasi e tribus valde approximatis composito, vix infra apicem in mucronem brevem denticulatum desinente percursae; caeterum tenuissimae, membranaceae, nervis binis collateralibus hyalinis tenuibus notatae, virdiusculae, versus apicem pallide sanguineae, diaphanae, dein luride sanguineo-virescentes, eleganter sed minute reticulatae, e cellulis iis epidermidis foliorum paginae inferioribus consimilibus utrinque autem haud ita regulariter truncatis, sed plus minus attenuatis, margine superiore toto rotundatae, medio subtruncatae, sed sinuato-repandae, sinubus utrinque 3-bus, angulis acutis interstinctis, basin versus integerrimae, dein cum fructu deciduae; *bracteolae* collaterales paullo (sed vix) altiores insertae e basi latiuscula lanceolata acuminatae, subfalcatae, margine exteriore (nec inter se uti in gramineis, sed) pedicello communi adnatae,

persistentes, hyalinae, integerrimae, articulis pedicelli paullo longiores eoque transversae nec parallelae; *perigonium* nullum; *stamina* 2 infra basin disci hypogyni inserta; *filamenta* primo brevia, germinis fere longitudine, albida complanata, connectivo antherae continua, dein elongata, bracteis fere duplo longiora, tenuia, flexuosa, persistentia, apice truncata; *antherae* stramineae, filamenti elongati quartam partem fere longae, lineares acutiusculae, 2-loculatae, dein articulatim secedentes; *connectivum* tenuissimum, albidum; *loculi* anguste lineares paralleli longitudinaliter dehiscentes; *pollen* pallide flavum, globosum, parvum, glabrum, fovilla copiosa foetum; *germen* disco brevi carnoso suffultum, oblongum, subcomplanatum, apice rotundatum, basi vix attenuatum, glabrum, albescens, cancellatum, uniloculatum; *gemmula* basalis oblique erecta, cylindrica, subcurvata; *stylus* albus teres ad divisionem germinis aequilongus, erectus, basi aequalis, dein deciduus apice longiter bifidus; *laciniae* tereti-subulatae, primo erectae conniventes, dein divergentes et revolutae exsertae, albidae, stylo integro duplo longiores, ubique papulis verruciformibus subverticillatis, obtusiusculis totae tectae; *fructus* indehiscens, filamentis persistentibus flexuosis hyalinis cinctus, cerinus, lucidus, a lateribus (nec pedicello communi parallele!) compressus, antice subplanus oblongus, apice styli basi persistente umbonatus, basi disco brevissimo suffultus, extus cancellatus et minutissime verruculatus, crustaceus, monospermus; *semen* subconforme albuminosum; *testa* membranacea flavescens, tenuis; *embryo* albuminis basi receptus, elongato-conicus, basi clavato-subglobosus, apice subito acutus, albus; *albumen* candidum farinosum e granulis minutis, subaequalibus, subglobosis, tincturae Jodii ope lilacinis compositum. — Mense Martio et Aprili flores fructusque praebet.

33. CYPERUS POLYSTACHYUS Rttb.

Char. Gen. cf. Knth. En. II. 2. Msn. Gen. 410. Endl. Gen. 1003.

Char. Spec. cf. Knth. En. 13. 31, sed fructus in nostro paullo majores. — *Rxb.* Ind. I. 197. 14 (semen) fructum laudat obcordatum, certe erroneë! — *Nees* in Wght. Cntrb. 75. 11 autem fructum ovalem com-

pressum retusum dicit cinereum, forsan e speciminibus immaturis exsiccatis corrugatis! — R.Br. Prdr. I. 70. (214) 17 ad var. γ. Nees l. c. pertinet radiis valde approximatis, corymbo subcapitato, etsi et radios umbellae elongatos viderit autor.

Descrpt. Herbae perennes caespitosae, in paludosis prope *Weltevreden* vulgares, laete virides lucidae erectae; *radices* fibrosae, tenues, flexuosae, 2—4 poll. longae, horizontales, densissime in comam congestae, albidae, dein rufescentes fibrillis tenuissimis tectae; *caules* ima basi ramosi subbulbosi, aromam redolentes, basi 3—4 poll. longa vaginis folii-feris 7—11 laxe involuti, dein nudi, erecti, stricti, subteretes, obsolete trigoni, laete virides glaberrimi, lucidi, 12—18 poll. longi, medio 0,1 poll. crassi, summo apice saepe trigoni; *vaginae* extimae basi purpureae, supra et interiores flavescenti-virides, glaberrimae, lucidulae, subcylindricae, apice truncatae, antice tenuissime membranaceae, dein fissae et patulae, postremo marcescentes persistentes, 1,5—3,0 poll. longae, 0,2 poll. crassae; *folia* spiraliter disposita, linearia, singulum in praefoliatione superius fovens, trigono-canaliculata, carinata, versus apicem tantum plana, attenuata, subulata, acuminata, laete viridia, lucida, apice tantum margine et carina minute serrulato-aculeolata et scabra, 6—9 poll. longa, explanata, 0,12—0,17 poll. lata; *aculeoli* solitarii aut nunc gemini rari, basi bulboso-incrassati, dein subito attenuati, acutissimi, unicellulosi, primo viridiusculi, dein hyalini; *cellulae epidermidis* rectangulae aut subquadratae, margine crispato-serrulatae, absque stomatibus in foliorum pagina superiore, in inferiore multo longiores apice haud truncatae sed acutiusculae; *stomata* longitudinaliter seriata, nervis alterna, oblonga, cellulis epidermidis aequilata et tertiam partem longa, nunc sua longitudine simplici aut dupla (in eadem serie) inter se distincta, rimulam, angustissimam, utrinque attenuatam praebentia; — *folia floralia* tot quot umbellae radii, 1—2 maxima eis multo longiora, reliqua sensim minora, bina ternave sequentia radios suos aequantia, reliqua minora et angustiora; exteriora inferiora basi amplexicaulia, caeterum foliis plane conformia,

6,5 — 4,5 — 3,0 — 2,0 poll. longa, primo erecta, dein sensim patentia, postremo patentissima; *corymbus* pseudo-umbellatus, 3—5-radiatus; *radii* basi nodoso-incrassati et vaginula cylindrica basi crassa, apice oblique truncata, membranacea, 0,2 poll. longa, flavescens, striis atrosanguineis apice tenuibus, basin versus valde incrassatis percursa, et inde atrosanguinea cincti, primo erecti, dein plus minus patentes, tereti-subcomplanati virides lucidi circa corymbum sessilem a basi ramosum dispositi, successive interni et altiores ipsi apice corymbiferi; *corymbi* ad basin subumbellatim ramosi et infra ramos infimos foliis floralibus in subulam viridem, 0,2—0,3 poll. longam, angustissimam reductis, patentissimis praediti; *rami* infimi 3—5 patentissimi, 8—3—2-stachyi, superiores breves simplices mono-stachyi erecto-patentes, basi omnes vaginula virescenti-pallida, 0,2—0,05 poll. longa, oblique truncata, striis sanguineis tenuibus notata cincti; et *axis communis* triquetri, rubiginosi, angulis pallescentibus flexuosis; *spiculae* breviter pedicellatae, compressissimae, lineari-lanceolatae, apice attenuatae, margine serratae, viridiusculae, medio rubiginosae, lucidae, 0,3—0,4 poll. longae, 0,06 poll. latae; *pedicellus communis* minute geniculato-flexuosus, complanatus, nervis binis submarginalibus, medio membranaceus tenuis, extra nervos membranaceo-subulatus; *bracteae* 16—20 distiche dense imbricatae, alternantes, infimae 1—2 vacuae, minores sed haud heteromorphae, naviculares compressissimae, obovatae, basi attenuatae, nervo medio viridi, rigido paullo infra apicem in mucronem parvum 3-denticulatum, acutiusculum transeunte percursae, juxta nervum medium primo puniceae, dein rubiginosae, versus marginem tenuissimum hyalino-flavescentes; apice lingulaeformi acutiusculae, 0,07 poll. longae, 0,05—0,06 poll. latae, eleganter reticulatae, dein totae deciduae, summae apicem versus oblique truncatae (nec rotundatae) dente antico-acutiusculo; *bracteolae* et *perigonium* nullae; *stamina* hypogyna, bina; *filamenta* complanata, alba, dein elongata, tenuissima, apice truncata; *antherae* dein exsertae, sulfureae, lineares obtusiusculae; *connectivum* tenuissimum utrinque paullo

incrassatum, primo filamento continuum, dein articulatim secedens; *loculi* paralleli contigui angusto-lineares; *pollen* pallide flavum globosum parvum laeve, fovilla copiosa foetum; *germen* disco brevissimo carnoso suffultum, oblongum, subcomplanatum, basi attenuatum, vix stipitatum, apice rotundatum, uniloculatum; *gemmula* solitaria basalis, subsessilis oblique adscendens, curvata teretiuscula; *stylus* terminalis, basi aequalis, albus, teres, germine duplo longior dein deciduus, apice bifidus; *laciniae* teretiusculae, stylum longitudine aequantes, primo erectae, dein divergentes exsertae et subrevolutae, undique tuberculis minutis, obtusis, subverticillatim congestis tectae; *fructus* bracteae duas tertias partes longus, cum ea deciduus, filamentis persistentibus, flexuosis cinctus, disco brevissimo suffultus, oblongus a lateribus subcompressus, gilvus laevis apiculatus *styli* basi persistenti, 0,04 poll. longus, crustaceus minute et obsolete verruculosus; *semen* conforme; *testa* membranacea tenuis; *albumen* copiosum farinaceum e granulis globosis, subaequalibus, minutis, tincturae Jodii ope lilacinis constans; *embryo* basalis in albumine reconditus. — Mensibus Martio et Aprili flores et fructus gerens reperienda. — 1846.

34. CYPERUS COMPRESSUS L.

Char. Gen. cf. speciem antecedentem.

Char. Spec. cf. Knth. En. II. 23. 60; folia autem caule haud longiora, sed paullo breviora! — Rxb. Ind. I. 198. — An jure *C. pectinatus* Rxb. Ind. I. 195. 11, (a Kunthio) huc relatus? cf. *Nees* in Wght. Cntrb. 76. 17, qui *C. pectinatum* subspeciem habet hujus, involucri foliis autem, umbellam solummodo aequantibus, sat diversam.

Descrpt. Herbae annuae caespitosae in hortis et ruderatis prope *Bataviam* cum *C. rotundo* vilissimae, laete virides, glaberrimae, lucidulae; *radices* fibrosae plurimae tenues capillares, fibrillis tenuissimis obtectae, purpureae, comosae; *caules* plures e basi communi, aggregati, caespitosi, erecti, basi vaginis tecti, subteretes, siccando trigoni, supra trigoni nudi angulis obtusis, siccando triquetri angulis acutissimis, lateribus sulcato-canaliculatis, basi flavescenti-virides, versus

6,5 — 4,5 — 3,0 — 2,0 poll. longa, primo erecta, dein sensim patentia, postremo patentissima; *corymbus* pseudo-umbellatus, 3—5-radiatus; *radii* basi nodoso-incrassati et vaginula cylindrica basi crassa, apice oblique truncata, membranacea, 0,2 poll. longa, flavescens, striis atrosanguineis apice tenuibus, basin versus valde incrassatis percursa, et inde atrosanguinea cincti, primo erecti, dein plus minus patentes, tereti-subcomplanati virides lucidi circa corymbum sessilem a basi ramosum dispositi, successive interni et altiores ipsi apice corymbiferi; *corymbi* ad basin subumbellatim ramosi et infra ramos infimos foliis floralibus in subulam viridem, 0,2—0,3 poll. longam, angustissimam reductis, patentissimis praediti; *rami* infimi 3—5 patentissimi, 8—3—2-stachyi, superiores breves simplices mono-stachyi erecto-patentes, basi omnes vaginula virescenti-pallida, 0,2—0,05 poll. longa, oblique truncata, striis sanguineis tenuibus notata cincti; et *axis communis* triquetri, rubiginosi, angulis pallescentibus flexuosis; *spiculae* breviter pedicellatae, compressissimae, lineari-lanceolatae, apice attenuatae, margine serratae, viridiusculae, medio rubiginosae, lucidae, 0,3—0,4 poll. longae, 0,06 poll. latae; *pedicellus communis* minute geniculato-flexuosus, complanatus, nervis binis submarginalibus, medio membranaceus tenuis, extra nervos membranaceo-subulatus; *bracteae* 16—20 distiche dense imbricatae, alternantes, infimae 1—2 vacuae, minores sed haud heteromorphae, naviculares compressissimae, obovatae, basi attenuatae, nervo medio viridi, rigido paullo infra apicem in mucronem parvum 3-denticulatum, acutiusculum transeunte percursae, juxta nervum medium primo puniceae, dein rubiginosae, versus marginem tenuissimum hyalino-flavescentes; apice lingulaeformi acutiusculae, 0,07 poll. longae, 0,05—0,06 poll. latae, eleganter reticulatae, dein totae deciduae, summae apicem versus oblique truncatae (nec rotundatae) dente antico-acutiusculo; *bracteolae* et *perigonium* nullae; *stamina* hypogyna, bina; *filamenta* complanata, alba, dein elongata, tenuissima, apice truncata; *antherae* dein exsertae, sulfureae, lineares obtusiusculae; *connectivum* tenuissimum utrinque paullo

incrassatum, primo filamento continuum, dein articulatim secedens; *loculi* paralleli contigui angusto-lineares; *pollen* pallide flavum globosum parvum laeve, fovilla copiosa foetum; *germen* disco brevissimo carnoso suffultum, oblongum, subcomplanatum, basi attenuatum, vix stipitatum, apice rotundatum, uniloculatum; *gemmula* solitaria basalis, subsessilis oblique adscendens, curvata teretiuscula; *stylus* terminalis, basi aequalis, albus, teres, germine duplo longior dein deciduus, apice bifidus; *laciniae* teretiusculae, stylum longitudine aequantes, primo erectae, dein divergentes exsertae et subrevolutae, undique tuberculis minutis, obtusis, subverticillatim congestis tectae; *fructus* bracteae duas tertias partes longus, cum ea deciduus, filamentis persistentibus, flexuosis cinctus, disco brevissimo suffultus, oblongus a lateribus subcompressus, gilvus laevis apiculatus *styli* basi persistenti, 0,04 poll. longus, crustaceus minute et obsolete verruculosus; *semen* conforme; *testa* membranacea tenuis; *albumen* copiosum farinaceum e granulis globosis, subaequalibus, minutis, tincturae Jodii ope lilacinis constans; *embryo* basalis in albumine reconditus. — Mensibus Martio et Aprili flores et fructus gerens reperienda. — 1846.

34. CYPERUS COMPRESSUS L.

Char. Gen. cf. speciem antecedentem.

Char. Spec. cf. Knth. En. II. 23. 60; folia autem caule haud longiora, sed paullo breviora! — Rxb. Ind. I. 198. — An jure *C. pectinatus* Rxb. Ind. I. 195. 11, (a Kunthio) huc relatus? cf. *Nees* in Wght. Cntrb. 76. 17, qui *C. pectinatum* subspeciem habet hujus, involucri foliis autem, umbellam solummodo aequantibus, sat diversam.

Descrpt. Herbae annuae caespitosae in hortis et ruderatis prope *Bataviam* cum *C. rotundo* vilissimae, laete virides, glaberrimae, lucidulae; *radices* fibrosae plurimae tenues capillares, fibrillis tenuissimis obtectae, purpureae, comosae; *caules* plures e basi communi, aggregati, caespitosi, erecti, basi vaginis tecti, subteretes, siccando trigoni, supra trigoni nudi angulis obtusis, siccando triquetri angulis acutissimis, lateribus sulcato-canaliculatis, basi flavescenti-virides, versus

apicem attenuati, intensius colorati, siccando glaucescentes, glaberrimi, luciduli, 6—8, nunc 18 poll. longi; *vaginae* vix una alterave infima aphylla, pleraeque foliiferae, infimae totae, superiores basi ad medium fere purpureae, supra virides longitudinaliter intensius striato-nervosae, 0,5—2,0 poll. —, rarius 3,0 poll. longae, apice oblique truncatae; *folia* caulem subaequantia paullo —, in elatis multo breviora 2—5; — inferiora minora, primo erecta, dein medio patentia apice, cernua, anguste linearia, canaliculata, subtus carinata, acuminatissima, 5—7, rarius 12 poll. longa, 0,08—0,10 poll. lata, versus apicem tantum margine et carina minute antrorsum serrulato-aculeolata, caeterum integerrima, calva, siccando complicata et leviter torsa; *folia floralia* (involucri) 4—5 patentissima, extima longissima, foliis reliquis simillima, umbellam longe excedentia, interiora sensim minora et angustiora; *extimum* 5—13 poll. longum, *intimum* quintum angustissimum subuliforme trigonum, totum serrulato-spinulosum, 1,0—1,5 poll. longum; *umbella* composita racemosa; *radii* 2—4 apice racemoso-umbellati 3—6-stachyi, *extimus* folio florali longissimo oppositus 0,8—2,5 poll., in exaltatis 4 poll. longus, primo erecti, dein patentes, successive minores; *intimus* 0,3—2,0 poll. longus, basi vaginati, teretiusculi, siccando ancipites, uti caulis longitudinaliter striati; *vagina* laevissima, lucida, atro-sanguinea, versus apicem pallide viridis cylindrica, 1-nervia, nervo viridi apice prominulo, apice oblique truncata lacera, 0,2—0,3 poll. longa; intra radios racemus abbreviatus 6—10-stachyus, 0,1—0,2 poll. (absque spicis) longus; *spicae* ima basi bractea 0,1-poll. longa, oblongo-lanceolata, apice longiter subulato-acuminata, hyalina, nervo medio crasso viridi percursa, basi parallele multinervia, nervis sensim evanidis aut apice in unum confluentibus et inde versus apicem 3-nervia, arcte adpressa suffultae, lineari-oblongae, acutae, complanatae, margine acutissimo serrulato ancipites, virides, medio utrinque carinatae, pallidiores, albescentes, 0,3—0,8 poll. longae, 0,1—0,12 poll. latae, glabrae, sublucidae, erectae aut erecto-patentes, distiche 12—26-florae; *pedunculus* communis

articulatus, geniculato-flexuosus, anceps, nervo medio crassiore et binis collateralibus percursa, ad marginem bracteolis marginalibus, bractearum marginibus primo adnatis, dein liberis persistentibus subalatus; dein strictus medio nervo rubenti percursus, nervis collateralibus nunc submarginalibus, 0,02 poll. latus glaberrimus; *juvenilis* lucidulus; *bracteae* bifariam imbricatae, omnes fertiles, vacuae infimae nullae, ovato-oblongae, nervo medio sub apice excurrente crasso viridi mucronato-acuminatae, mucrone subrecurvo, flavescenti-viridi, caeterum albescenti-virides, margine (e bracteolis collateralibus utrinque adnatis) hyalinae, tenuissimae, membranaceae ad apicem ligulam acutam, brevissimam formantes, utrinque 3—4-nerviae, nervis decoloribus, tenuibus, parallelis, marginem haud attingentibus, naviculares dense imbricatae, complanatae, dorso basi obtuso, versus apicem acuto, 0,15 poll. longae, 0,04 poll. (dimidiae) latae; *fructiferae* dorso virides, margine albidae scariosae, cum fructibus deciduae magis explanatae, in canaliculo intus fructus foventes, eosque 3-plos longae; *perigonium* nullum; *stamina* 3 hypogyna, sub disco pistilligero brevi, glanduloso inserta, 0,13 poll. longa; *filamenta* juvenilia, fusiformia, dein elongata, capillaria, complanata, apice exserta, infra apicem bracteae albida, sub anthera dein constricta articulatim secedentia, persistentia, fructum cingentia eumque longe superantia; *antherae* angusto-lineares ad latus utrumque bracteae versus, sed infra apicem exsertae deciduae, connectivo tenuissimo, apice incrassato, prominulo apiculatae, obtusiusculae, 2-loculatae, flavae; *loculi* angusti, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* stramineum globosum, laeve, fovilla copiosa foetum; *germen* disco glanduloso brevi suffultum, albescenti-flavum triangulare, sub-3-alatum, angulis crassiusculis, obverse pyramidatum attenuatum, vertice sub-3-lobum, 1-loculatum; *gemmula* unica sessilis; *stylus* terminalis longus, albus, germine 4-plo longior, teres, capillaris ad medium fere trifidus; *laciniae* angustae subulatae, dein revolutae cum antheris exsertae, stigmatosae obsolete obtuseque repando-serrulatae, postea marcescentes,

cum stylo longe persistentes, postremo deciduae; *fructus* indehiscentes 3-angulati, obverse pyramidati, basi attenuati, rubiginosi, lucidi, apice styli basi persistente apiculati, inter angulos subexcavati, 0,05 poll. longi, sat crassi crustacei, fere lapidei, semen unicum arcte includentes; *semen* trigonum angulis obtusis albuminosum erectum sessile; *albumen* e granulis globosis ope tincturae Jodii lilacinis constans, candidum, copiosum; *embryo* basalis immersus. — Cum praecedentibus Mensibus Martio ad Majum flores fructusque gerentem observavi 1846.

35. CYPERUS ROTUNDUS L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 410. Endl. Gen. 1003.[a]; — bracteae inferiores 2—3 vacuae.

Char. Spec. cf. Knth. En. II. 58. 157, sed nostra et in nervis supra prominulis aculeolato-scabra; involucrum nunc 4—5-phyllum, foliola nunc umbella majora; fructus haud punctulati, an siccando tantum punctulati? — *C. longus* L. Knth. l. c. p. 60. 160 vix differt: caule basi haud bulboso-incrassato (an semper? an pariter bulbulos emittente?), umbella multiradiata, involucro longissimo (an semper?), bracteis ellipticis; — species haecce utraque mea opinione vix sejungenda!

Descrpt. Herba perennis stolonifera, in hortis et ruderatis vulgatissima, sub nomine *Tekì* ubique notissima, hortisque valde obnoxia; *caulis* tenuis gracilis subterraneus 0,5—2,5 poll. longus, infra soli superficiem horizontaliter percurrens (nec repens!), primo albus, vaginis aphyllis oblique truncatis obsitus, apice adscendente acutissimus, nunc in tuber subrotundum pisiforme, diametro 0,2 poll., aut ellipticum incrassatus 0,7 poll. longum, 0,3 poll. crassum, vaginis involutum et ubique fibrillas et stolones novas horizontales ramumque unum verticalem emittens; *rami* erecti nunc fertiles nunc steriles, basi 4—10-foliati trigoni, basi foliorum vaginis et vaginis 1—3 aphyllis rubentibus, oblique truncatis, dein marcescentibus, persistentibus reconditus; *folia* absque lingula vaginis inserta, primo erecta apice nutantia, dein in floribundis e basi erecta patentia imoque apice versus solum spectantia, anguste linearia 3-nervia, longiter acuminata, acute

carinata, supra canaliculata, inter nervos laterales et margines plana, supra intensius viridia, nitidula, subtus eleganter glauco- et intense viridi- (longitudinaliter) fasciata, primo adspectu glaucescentia, margine et carina antrorsum serrulato-aculeolata et inde scabra, supra in nervis prominulis, aculeolis minutissimis antrorsis asperulo-scabriuscula, dein in ramis floriferis glabrata, ramorum sterilium multo longiora 5—11 poll. longa, 0,1 poll. lata, fertilium breviora 3,0—6,0 poll. longa, 0,10—0,15 poll. lata; *pedunculi* (ramorum apices nudi) erecti, stricti, basi 3-goni, apice triangulares, angulis laevibus inermibus, summo apice tantum hinc aculeolatis, 5—9 poll. longi, 0,06 poll. lati virides, lucidi, obsolete longitudinaliter striati, folia baseos excedentes; *folia floralia* (involucra) 3—4 inaequalia foliiformia, acuminatissima supra in nervis, margine et carina acutissime cartilagineo-serrulato-aculeolata, basi amplexicaulia, erecta; *externum*, nunc paullo a reliquis recedens, reliquis majus, nunc umbella brevius, nunc eam paullo excedens, 0,8—4,3 poll. longum, 0,08 poll. latum, *interna* superiora sensim multo minora et angustiora, *intimum* subuliforme, viride, 0,3 poll. longum; *umbella* 2—4-radiata; *radius* alter valde abbreviatus subsessilis, basi ramosus, 6—7-stachyus; *spicae* inferiores breviter pedunculatae, nunc longius pedunculatae, *pedunculis* 3-stachyis et inde umbellam corymbosam conformantibus; *radii* reliqui longiter pedunculati, apice alternatim 2—4-stachyi; *pedunculi* 1,0—2,0 poll. longi, erecti, teretes levissime sulcati, virides apice albescentes glaberrimi, luciduli; apice nunc 3-stachyi, umbelliferi nunc corymbiferi, ramum inferiorem 1—2—3-stachyum longiorem, reliquos monostachyos nunc valde abbreviatos gerentes; *pedicelli communes* 0,2 poll. longi, geniculato-flexuosi, trigoni, altero latere exsculpti, straminei, luciduli, bifariam bracteas gerentes; *bracteae inferiores* ad basin spicae cujusque inferioris, medium inter folia floralia et bracteas superiores tenentes, angustae, subulatae virides, 0,4—0,2 poll. longae, margine serrulato-aculeolatae; *spicae* lineares acutae, complanatae, ancipites distichae, margine virides, medio rubiginosae, lucidae,

inter medium et margines albidae, 0,3—0,6 poll. longae, 0,6 poll. latae, 10—24-florae; *bracteae* (squamae) alternantes disticha imbricatae, dense adpressae erectae, *inferiores* 2—3 vacuae, minutae, hyalinae, membranaceae, ovato-oblongae, apice obtusae aut rotundatae, concavae, 5-nerviae, nervis decoloribus, marginem haud attingentibus, erectis strictis, *folia muscorum* quorundam referentes, e cellulis longitudinaliter seriatis linearibus, margine crispato-undulatis compositae, nervis e fasciculis cellularum longitudinaliter extensarum elongatarum densius sibi adpressarum; *infima* minima 0,06 poll. longa, 0,02 poll. lata; *reliquae* sensim majores et reliquis bracteis similiores; *bracteae superiores* reliquae late ovato-oblongae, obtusiusculae aut acutae, 5-nerviae, nervo medio crasso viridi, apicem fere attingente glabro carinatae, naviculares, 0,12 poll. longae, dimidiae 0,03 poll. latae, juxta nervum medium albidae (sub lente forti hyalinae) ad margines (sub microscopio lateritiae) rubiginosae, lucidae, dein fructiferae totae rubiginosae, lucidae, dorso viridi carinatae, margine albidae, basi longe productae in appendices (*bracteolas*) oblongo-lanceolatas, acuminatas, enervias, hyalinas, 0,06 poll. longas, tenuissimas, pedicello communi adnatas, decurrentes eumque ideo alatum referentes; *flores* nudi; *perigonium* nullum; *stamina* 3 sub disco pistilligero inserta, dein exserta, ante anthesin pistillo 0,1 poll. longo aequilonga; *filamenta* ante anthesin germine breviora, teretia, crassiuscula, albida, antheris decies breviora, dein evoluta bracteas longe excedentia 0,13 poll. longa, tereti-subcomplanata, albida, lucida, apice cernua et paullo attenuata; primo cum connectivo continua, dein subtruncata articulatim secedentia, persistentia crispato-flexuosa et livida; *antherae* jam ante anthesin fere evolutae, vix tertiam partem maturarum breviores erectae, dein 0,1 poll. longae patentes et pendulae stramineae, lineares angustissimae, 2-loculatae, connectivo tenuissimo apice incrassato apiculatae deciduae; *loculi* lineares paralleli subcontigui, lateraliter rima longitudinali simul dehiscentes; *pollen* sulfureum glabrum, parvum, siccum prismaticum, vertice con-

vexum, lateribus tribus planis, triangularibus, convergentibus, a vertice visum ovale, imoque oblongum, fovilla sat copiosa foetum; *germen* disco brevissimo sublobato suffultum, ante anthesin ovatum 0,01 poll. longum, dein elliptico-oblongum 0,05 poll. longum, viride, glabrum, lucidum, apice in stylum, basi aequalem attenuatum, uniloculatum; *stylus* ante anthesin ad basin fere tripartitus, 0,07 poll. longus, albus, laciniis conniventibus, stylum 3-sulcatum fingentibus, vix papulosis, dein basi longe integer, teres albus glaber 0,07 poll. longus, dein 3-fidus; *laciniae* 0,15 poll. longae, exsertae, revolutae, apice subspiraliter circinatae, acuminatae, obsolete repando-dentatae, dentibus adnatis imbricatis, summo apice vix liberis subpatentibus, dein marcescentes, cum stylo persistentes; *gemmula* solitaria sessilis obovato-oblonga; *fructus* indehiscens rufus glaber trigonus, oblongus, staminibus cinctus, cum bracteis plus 3-plo longioribus deciduus; *semen* unicum.

Observ. Adsunt specimina sterilia ex eadem localitate (*an ejusdem speciei?*): caule basi pariter pisiformi-bulboso, tuberibus dein in ramum adscendentem elongatis et stoloniferis, ramis supra basin, quam nunc descriptis, crassioribus, roseis; vaginis emarcidis involutis; foliis longissimis, erectis, apice cernuis, anguste linearibus, nitidis, 12—15 poll. longis, 0,2 poll. latis, in nervis supra, margine et carina arcte antrorsum serrulato-aculeolatis et imo secantibus, sat rigidis. — In mensibus Martio ad Majum flores fructusque gerentes reperi et forsan per totum annum reperienda species. — 1846.

36. CYPERUS IRIA L.

Char. Gen. cf. Spec. antecedentes.

Char. Spec. cf. Knth. En. II. 38. 106, folia autem carinata, canaliculata, ad margines plana, radiique iterum umbellatim triradiati, germen oblongum; Rxb. Ind. I. 204. 30 sed in descriptione habet caulis maximam (4/5) partem nudam, foliaque caulem aequantia, quae in nostris speciminibus ad medium caulem accedunt caulemque superant; stylum divus *Roxburgh* forsan erroneë bifidum dicit; descriptio reliqua praeprimis inflorescentiae optima. *Nees* in Wght. Cntrb. 87. 53 folia caulem subaequantia et bracteas obtusas nec emarginatas laudat; *C. parviflorus* Nees l. c. 87. 51, a Kunth. l. c. 80. 208 dubiose ad *C. pennatum* Lam. ductus et certe specimina Wightiana (vid. Arnott.

in adnotatione ad Nees l. c.) huc spectant et nil nisi specimina juvenilia repraesentant. An *C. eleusinoides* Wll. Knth. l. c. 39. 107 sufficienter diversus? bracteis ovato-ellipticis 7-nerviis, stylo longissimo, fructu (maturo?) bracteae duas tertias partes longo? — *C. racemosus* Rtz., quem Knth. huic forsan synonymum habet, vix nisi bracteis ovatis mucronatis diversus, uti specimina juvenilia sufficienter ostendunt, nostro nimis affinis.

Descrpt. Herbae perennes caespitosae, in paludibus prope *Weltevreden* obviae una cum *C. vulgari*, *C. polystachyo*, *Fimbristyli miliacea* et *communi*, sed minus copiosae, quam hae; *radices* fibrosae, flexuosae, albidae, dein rufescentes, fibrillis parvis plurimis obtectae, copiosae, comosae; *caulis* ima basi subbulboso-inflatus, aromaticus, supra basin ad medium fere vaginis involutus, sat rigidus obsolete trigonus 0,3 poll. crassus, supra medium nudus acute trigonus, *juvenilis* triangularis, glaberrimus, lucidus, longitudinaliter parallele nervoso-striatus, 8—10 poll. altus; *cellulae epidermoidales* subrectangulares marginibus undulato-crispatae; *stomata* crebra ovalia, rimulam linearem angustam, zonatam ostendentia, longitudinaliter seriata a se invicem sua duplici ad simplicem longitudinem in eadem serie distantia; *vaginae inferiores* tres aphyllae clausae, oblique truncatae, 0,5—1,5 poll. longae, apice folii rudimento subpatente munitae, 0,1 poll. latae, glaucescentes et longitudinaliter nervoso-striatae, *cellulis epidermidis* quadratis aut transversim subrectangularibus, *stomatibus* nullis, dein caule successive evoluto lateraliter fissae, emarcidae et evanidae, ut inde remaneant *vaginae* 2—4 *foliiferae* robustiores, inferne obsolete trigonae subteretes, basi kermesinae, paullo supra subsanguineae et altius viridi-glaucescentes, ad apicem caules arcte cingentes, antice tenuissime membranaceae, ibique postremo fissae, 2—3 poll. longae, 0,2—0,3 poll. crassae; *folia* linearia erecta, dein patentia, carinata, canaliculata, ad margines plana, acuminatissima, margine et carina dense et minute serrulato-aculeoata, aculeolis basi crassis, subito subulato-attenuatis, subcurvatis, acutissimis, hyalinis, basin versus raris, a medio densis solitariis nunc geminis; *summum* (fol.) caulis apicem superans; 6—10

poll. longa, 0,20—0,25 poll. lata, utrinque lucida, longitudinaliter nervose striata, subtus glauca; *cellulae* epidermidis faciei *inferioris* iis caulis conformes et *stomata*, *superioris* faciei acute rectangulares, duplo latiores, *stomata* nulla; *folia floralia* 6, sub radio quoque umbellae solitaria, spiraliter dispositae, caeteris foliis consimilia, basi semi-amplexicaulia, primo erecta, dein patentissima; *inferius* externum longissimum 8—11 poll. longum, *superiora* interiora sensim minora et angustiora 5—8,—3,—2,—1,7—1,5 poll. longa, *summa* intima angustissima, longiter subulata; *umbella* e corymbo valde abbreviato orta decomposita; *radii* 3 *exteriores* subaequales, 2 poll. longi, aut *uno* inferiore elongato, 3 poll. longo inaequales, tres *interiores* successive minores, ramum terminalem cingentes, *intimo* abbreviato brevi; *omnes* basi nodosi albidi et supra basin vaginula trigona, 0,7—0,2 poll. longa, apice oblique truncata, viridi, a medio ad basin sanguinea, ima basi atro-sanguinea arcte cincti, trigoni, longitudinalitar striati, lucidi, exteriores 6 umbelluliferi, basi patentissime triradiati; *radii laterales* et *intermedii* spicatim fasciculato-racemosi, polystachyi, 1,0—1,5 poll. longi, flavescenti-virides elegantes, basi foliolo florali diminuto tenuissimo capillari patentissimo, 0,4—0,2 poll. longo suffulti; *spiculae* in ramulis inflorescentiae basi racemoso-, supra basin fasciculatim spicato-congestae, flavescenti-virides compressae, lineari-oblongae, obtusiusculae, crenulatae, lucidulae, juveniles virides, 0,1 poll. longae, seniores 0,3 poll. longae, 0,07 poll. latae, substipitatae; *axis spicae* laete viridis, setulis hyalinis adpressis conspersa, trigono-teretiuscula, gracilis tenuis flexuosa, ad spicularum insertiones paullo incrassata; *pedicellus communis* consimilis, sed minutior sub-exsculptus, bracteis contrarie compressus, utrinque e bracteolis collateralibus basi adnatis subalatus; *bracteae* succedaneë evolutae, primo 3—5, dein 10—14 distichae compressae, dense imbricatae; *inferiores* binae vacuae minores, subrotundo-obovatae, emarginato-bilobae, naviculares arcte compressae, nervo medio crasso viridi, bisulcato rigido carinatae, paullo infra apicem excur-

rente mucronulatae, juxta carinam utrinque nervo tenui, vix conspicuo percursae, *juveniles* obovatae acutiusculae, ad latera pallide virides dein aureae, eleganter e cellulis plus minus elongatis aut abbreviatis rhombeis, utrinque inaequaliter acutis, margine omnibus crispulis reticulatae, ad margines tenuissimae, hyalinae, a latere visae subrotundae, dein cum fructibus deciduae; *bracteolae* collaterales lineari-subulatae basi ad medium pedicello communi adnatae, apice dein liberae, persistenstes, hyalinae, bractea intermedia breviores; *perigonium* nullum; *stamina* 2 hypogyna; *filamenta* primo abbreviata, dein elongata, fructum subaequantia, complanata alba, hyalina, apice truncata, anthera decidua, persistentia, flexuosa; *antherae* exsertae, flavescentes ovato-oblongae, acutae, dein oblongo-lineares acutae, connectivum anguste lineare, utrinque paullo incrassatum, basi dein articulatim secedens; *loculi* anguste lineares, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* globosum parvum flavescens glabrum fovilla copiosa foetum; *germen* basi disco brevissimo suffultum, bracteam dimidiam longum, oblongum trigonum apice acutum, basi paullo attenuatum, viridi-albescens glabrum, uniloculatum; *gemmula* basalis oblique erecta, obovata, subcurvata, albida; *stylus* ad basin 3-fidus, germen longitudine vix aequans; *laciniae* primo erectae conniventes, dein divergentes, subulatae, minute papuloso-serrulatae, hyalinae, acutae, dein marcescentes subspiraliter tortae, longe persistentes exsertae, postremo deciduae; *fructus* bracteam aequans, filamentis persistentibus cinctus, basi disco brevissimo suffultus, indehiscens rubiginosus dein badius obverse pyramidatus, acute trigonus, styli basi persistente brevissima apiculatus, basi attenuatus glaber; *epicarpium* crustaceum cancellatum flavescens laeve nec verruculosum; *semen* liberum obovatum albuminosum; *testa* membranacea; *embryo* in basi albuminis sessilis receptus; *albumen* farinosum e granulis subglobosis subirregularibus inaequalibus minutis, Jodii tincturae ope lilacinis compositum. — Mensibus Martio ad Majum flores fructusque gerens obviam venit 1846.

37. CYPERUS (KYLLINGIA) LEUCOCEPHALUS Hsskl.

Char. Ord. et subord. Ob spiculas paucifloras potius *Rhynchosporeis*, quam *Cypereis* adjungendum genus cf. Msn. Gen. 409. Endl. Gen. p. 112. IV et 118. X, sed in (prioribus) illis perigonii setae plerumque adsunt!

Char. Gen. Si *Rhynchosporeis* adjungere velles, juxta *Schoenum* ponendum esset genus hocce, si autem *Cypereis* adscriberes, tum *Kyllingia* Rttb. nostrum plane quadrat, jure a clsso. *Endlicher* Gen. 1003.b. β. *Cypero* adjunctum, cf. Msn. Gen. 410. Knth. En. II. 127.

Char. Spec. Syn.: *Kyllingia monocephala* L. Knth. l. c. 130. 5, stamina autem in nostris semper 3, nec 2, bracteae inferiores superioribus haud dimidio, sed multo minores; var. β. *subtriceps* Knth. in eadem cum specie normali stirpe obviam venit; — *K. sororia* Knth. l. c. 131. 8 vix diversa bractea superiore $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ longiore, staminibusque binis; — *K. cruciformis* Schrd. nonnisi stamine unico diversa; — *K. triceps* Rttb. Knth. l. c. 133. 12 solummodo staminibus binis, fructibus quam bracteae paullo brevioribus, diversa et forsan plures affines huc referendae et in *unam speciem* conjungendae! — formas tantum e localitate plus minusve ubera variabiles ostendentem. *Roxburgh* Ind. I. 185 ad *K. monocephalam* L. laudat stigmata et stamina 3, fructusque obcordatos; et *K. triceps* L. sua opinione solummodo capitulis compositis et floribus diandris distincta est; — quae signa mea opinione nullius momenti habenda et species tantum e herbariis siccis, nec e vivis ortas repraesentant. — Rmph. amb. VI. 8. t. 8. 2 bon. — Nomen specificum mutandum, quia jam adest nomen: *C. monocephalus, niveus, cephalotes* et nomen: *triceps* haud distinctivum est.

Descrpt. Herbae perennes, in graminosis prope *Bataviam* et *Buitenzorg* vulgatissimae, humiles; *caulis* subrepens ramosissimus ubique *fibrillas* tenuissimas albidas, 2 poll. longas et ramos adscendenti-erectos emittens; *rami* trigoni vaginati, ima basi subbulboso-incrassati; *vaginae infimae* 1—2 aphyllae, trigonae clausae, apice oblique truncatae, altero angulo acutiusculae, luride purpureae, dein emarcidae, 0,3—0,6 poll. longae, in axillis plerumque ramorum novorum gemmas involucrantes; *superior* 0,8 poll. longa purpurea, nervis longitudinalibus intensius coloratis percursa, apice *folii rudimentum* gerens ovato-lanceolatum, acutum viride subpatens, 0,2 poll. longum, nunc lineari-lanceolatum, acutum carinatum foliiforme, 0,6 poll. longum; *reliquae* pallide virides, nervis saturatius coloratis percursae foliiferae; *lingula* nulla; *folia* in ramo quoque 4—8, *infima* breviora 0,3 poll. longa,

sensim longiora, *summa* pedunculo (culmo) paullo longiora, rarius breviora 5—7 poll. longa, anguste linearia carinata, basi ad medium integerrima, a medio ad apicem in marginibus et carina antrorsum minute serrato-aculeolata, aculeolis hyalinis, basi latis, subcurvatis, acutissimis, rigidis glaberrima laete viridia, supra canaliculata; *cellulae epidermidis* oblongae utrinque truncatae, margine acutissime minuteque serrulato-crispatae; *stomata* elliptica seriata, rara, minuta; *pedunculus* (culmus) terminalis, basi 1,5—2,0 poll. longa, foliorum vaginis inclusus erectus triqueter, parte exserta 4—5 poll. longa, 0,15 poll. lata, versus apicem subtriangularis, angulis valde acutis prominulis, intus spongiosus et inter cellulas prismaticas, hexagonas, sat grandes fasciculos vasium 15 gerens, glaberrimus et ad angulos aculeolis destitutus; *folia floralia* 3—4 (involucri foliola) foliis reliquis simillima sed minora, ratione inflorescentiae longissima, acuminatissima, inaequalia, patentissima, dein subdivaricata, *extimum* caeteris longius 3,0 poll. longum, 0,12 poll. latum, *interiora* sensim minora, bina interna ad basin usque in margine et carina aculeolata, *intimum* 1,0 poll. longum, 0,03 poll. latum; *spiculae* plurimae in capitulum albidum pisiforme, diametro 0,2 poll., dein oblongum 0,4 poll. longum, 0,2 poll. latum, basi saepe capitulis 2—3 arcte adpressis pisiformibus minoribus suffultum (in eadem stirpe!) conglomeratae, complanatae, ovato-ellipticae albescentes 0,1 poll. longae, 0,05 poll. latae, glabrae, uniflorae, distichae; *bracteae* binae inferiores inanes minutissimae, tenuissimae, 0,05 poll. longae, hyalinae, superioribus binis arcte adpressae, *superior* interior latior, subrotundo-ovata acuta 9-nervia, in nervo medio dorso aculeolis 2—3 obsita, subnaviculari-complicata, bracteae 4-tae opposita; *inferior* exterior, bracteae 3-tiae opposita, anguste lanceolata, acuminata, superiore paullo brevior et plus duplo angustior, 7-nervia in nervo medio, minute et distanter aculeolata; *superiores* longiores, margine membranaceae albidae, basi attenuatae, subfalcatae, ovato-lanceolatae, naviculares carinatae, ad carinam crassiusculam virides, subrecurvo-acumi-

natae, dorso in carina cristato-aculeolatae, versus basin et apicem inermes, *inferior* (3-tia) paullo longior et acutius acuminata 7-nervia, *superior* subpedicellata, basi minus curvata, 5—7-nervia, margine paullo latiore subinvoluta et genitalia amplectens, tertiam haud excedens; *perigonium* nullum; *stamina* 3 hypogyna; *filamenta* primo parva cylindrica, germine breviora, dein elongata, filiformia, albida, bracteis aequilonga subcomplanata, e cellulis oblongis, truncatis, seriatis conformata, 0,1 poll. longa, apice constricta, in connectivum anguste lineare longum continua, dein magis constricta et subtruncata, postremo ad connectivum articulatim secedentia, persistentia fructumque cingentia; *antherae* lineari-oblongae, 0,02 poll. longae, in filamentis evolutis paullo tantum longiores, connectivo apice leviter incrassato vix prominulo apiculatae, albidae, biloculatae; *loculi* paralleli lineares longitudinaliter dehiscentes; *pollen* flavescenti-albidum, globosum, parvum, minutissime punctulatum; *fovilla* sat copiosa ratione magnitudine pollinis; *germen* oblongum flavescenti-viride, basi paullo attenuatum, 0,03 poll. longum, uniloculatum, glabrum, lucidulum; *gemmula* unica, sessilis erecta, albida; *stylus* basi cylindricus, erectus, strictus, dein profunde bifidus; *laciniae* semi- (?an sub-?) teretes, tenues, basi erectae, albidae, supra medium divergentes patentes et subrevolutae, flavescentes, longe attenuatae, glaberrimae, papillis minutissimis tantum, vix elevatis stigmatosae; *fructus* indehiscentes obovato-oblongi, bracteis dimidio breviores, complanati rufi, apice styli ima basi rudimentaria mucronulati, 0,04 poll. longi, 0,015 poll. lati, bracteis superioribus inclusi et cum iis decidui, semini haud adnati; *semen* liberum fructui conforme, sessile; *testa* membranacea vinea; *albumen* copiosum farinaceum e globulis (amylum) diversissimae magnitudinis (iis Schleid. l. c. Tab. I. fig. 1. *a. b. c. d* et pag. 178.[a] (nec [b]) simillimis), admissa tinctura Jodii lilacinis compositum; *embryo* basilaris minutus. — Mensibus Martio ad Junium flores fructusque gerens obviam venit, 1846.

COMMELYNACEAR BETL.

38. COMMELYNA (COMMELYNA) BENGHALENSIS L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 407. Endl. Gen. 1028.ª Knth. En. IV. 35, a cujus descriptionc nostra differt: perigonii foliolis externis inferis plane liberis nec marginibus exterioribus contiguis plus minusve connatis; connexivo filamenti quarti lato!

Char. Spec. cf. Knth. En. IV. 50. 41, cujus descriptio differt solummodo pedunculo altero *bi*-floro, qui in nostris *tri*-florus, ut in *C. molli* Jcq. Knth. l. c. 45, quam autor celeberrimus ipse adnotat, solo hoc signo vix a *C. benghalensi* L. distingui posse; — cf. Hsskl. Catal. 147. 4 et in Decad. 21, ubi jam *C. auriculatam* Bl. En. 2 (*C. Blumei* Dtr. II. 399, Knth. l. c. 43) cum hac conjunxi; cf. Rxb. Ind. I. 175, cujus descriptio a nostris solummodo pedunculo bifloro distincta; *Kunth* clbrr. antheras omnes pallidas dicit, quam binas coeruleas habeo.*)

D e s c r p t. Herbae in graminosis apricis ad vias et ripas prope *Weltevreden* copiosae et ab incolis *Táli saït* dictae; *caulis* basi repens, adscendens, ramosus, teres, nodosus, ad nodos radiculas emittens; *rami* et *vaginae* foliorum pilis, plus minus longis, apice uncinato-reflexis, hyalinis articulatis hirti, 10—18 poll. longi; *vaginae* virides tubulosae (ochreae), dein lateraliter fissae 9-nerviae, 0,5 poll. longae, apice truncatae, subreflexae, ciliatae; *ciliae* longae, rufae, acuminatissimae, articulatae, basi crassiusculae, hyalinae, patentissimae, 0,10—0,17 poll. longae; *folia* ovata acuta, basi in petiolum brevem attenuata aut rotundata, 1,0—2,6 poll. longa, 0,8—2,0 poll. lata, 7—9-nervia, patentia, ima basi et petiolus pariter ac vaginae os ciliata, utrinque minutissime puberula, *juvenilia* supra saepe pilis singulis brevibus adspersa et inde hirta, supra nitida, in margine cartilagineo ciliata, in praefoliatione a margine utroque involuta; *pedunculi* terminales, ramo axillari excrescente laterales unifoliati, 0,5 poll. longi teretes, pilis patentibus mollibus puberuli; *involucra* solitaria aut geminata (potius alterum terminale alterumque e folii axilla exsertum) aut terna in pedunculo subumbellato, cucullatato-turbinata,

---

*) In Decadibus meis supra citatis erroneë capsulae loculos *omnes* dispermos dixi.

obverse deltoidea, extus acuta, supra obtusiuscula hirta, pilis longis apice rufescentibus erecta clausa, margine superiore conniventi, sed aperta, pedicellos binos foventia; *pediculus* alter *superior* patens 2—3-florus, e 2—3 ad medium coadunatis constans, 0,3 poll. longus, apicibus 0,2 poll. longis liberis, ante et post anthesin adpresse reflexis (replicatis), in anthesi erectis; *inferior* alter erectus strictus gracilis, 0,8 poll. longus superne articulatus ibique ante anthesin replicatus, in anthesi erectus; *perigonium* sexpartitum biseriatum; *foliola externa* ante anthesin imbricata, in anthesi patentia calycina, albescentia, concava, margine tenuiora, subcolorata, bina inferiora subrotunda,, superius oblongum angustius, 0,1 poll. longa; *interna* difformia marcescenti-persistentia, externis alterna azurea, *bina superiora* unguiculata, patentissima, suborbiculata, transverse longiora, inaequilatera, ante anthesin genitalia cucullatim foventia, cum unguiculo 0,3 poll. longa, 0,25 poll. transverse lata, unguiculo 0,1 poll. longo, *inferius* breve externis inferioribus aequale conforme, sed coloratum naviculare; *stamina* 6 difformia erecta, ante anthesin circinato-involuta fertilia; tria *superiora* minima, tenerrima, subeffoeta, *inferius intermedium* majus sed lateralibus minus; summorum *filamenta* capillaria 0,12 poll. longa, basi cyanea, versus apicem decolora, apice lutescentia; *antherae* cruciatae minutae, connectivo brevi angusto; *loculi* bini lineari-oblongi, medio gibbosi, utrinque clavato-incrassati, divergentes, basi connectivo adnati, apice longiter liberi, basi exteriore cum apice et gibbo subsessili in medio externo incrassati; *gibbi* igitur utrinque 3 bivalves, pollinis granula pauca tantum continentes; *staminis* 4-*ti filamentum* robustum, cyaneum, basi lilacinum, apice subulatum, 0,2 poll. longum; *anthera* lutea versatilis 0,1 poll. longa, 0,05 poll. lata, 2-loculata; *loculi* connectivo lato sejuncti eoque longiores, basi divergentes, laterales, lineares, longitudinaliter dehiscentes, polline foeti; *pollen* oblongum utrinque obtusum (in omnibus antheris), fovilla, jam in aqua fontana ejecta, foetum, albidum; *filamenta infima* bina longissima robustiora, apice curvata, 0,25 poll.

longa, tota cyanea; *antherae* supra basin dorso affixae, erectae (haud versatiles) introrsae, dorso cyaneae, oblongae, iis quarti staminis multo minores, 0,03 poll. longae; *loculi* bini adnati contigui, longitudinaliter dehiscentes et polline copiosiore, quam in 4-ta, foeti albido, sed plane conformi; *germen* in flore summo plerumque abortivum, stylo conformi praeditum, sed minore, nunc nullum; in inferioribus floribus subtrigono-globosum lucidulum viridi-album superum, apice sub-3-lobum, nudo oculo glabrum, sub lente pilis minutissimis papillosis tectum, dein glutinosum, 3-loculatum; *gemmulae* in loculis 2 binae superpositae oblongae, inferior adscendens, superior pendula, in loculo tertio solitaria; *stylus* oblique insertus filiformis cyaneus, 0,25 poll. longus, apice hamatus, in praefloratione circinatus; *stigma* truncato-capitatum papillosum, paullo intensius coloratum; *capsulae* in pedunculo communi (e tribus conflato) pedicellis tribus reflexis albidis suffultae 3 inversae trigonae, angulis obtusis, apice oblique (e loculo uno breviore) truncatae, basi angustatae, medio subconstrictae, 3-loculatae, 3-valves; *loculi* 2-spermi, unicus 1-spermus; *valvae* septiferae; *semina* uti gemmulae inserta, nigra scrobiculata, oblonga, tetragona, altera parte truncata, altera acutiuscula; *albumen* copiosum, lacteum, cartilagineum; *embryo* centralis teres; *hilus* lateralis linearis.

Forma: *Comm. canescens* Vahl. Knth. En. IV. 50. 42 — quae differt solummodo petiolorum longitudine.

Descrpt. distinctiva. Herbae perennes, in umbrosis ad radices arborum *Cocos nuciferae* L. prope *Bataviam* frequentes, hirtae, profusae; *caulis* apices et rami adscendenti-erecti; *caulis* 10—18 poll. longus articulato-nodosus, ad nodos radicans; *internodia* 2- poll. et ultra, glabrata, pilis singulis tantum obsessa; *rami* 4—8 poll. longi, pilis patentibus hirti; *internodia* breviora 1,0 — 0,5 poll. longa; *vaginae* pallide virides, nervis 4 intensius coloratis percursae, basi rubentes, glochidiis patentibus hirtae, 0,4—0,3 poll. longae, apice oblique truncatae et ciliis strictis longis flavescentibus dein rufis

coronatae, dein lateraliter fissae; *petioli* breves 0,2—0,3 poll. longi, 0,1 poll. lati, sub-canaliculati, pariter ciliati; *folia* ovata obtusa aut acuta, rarius ovato-lanceolata acuta, 1,0—1,5 poll. longa, 0,7—0,8 poll. lata, patentia opaca, pilis minutis densis villosa et praeprimis subtus canescentia, margine eleganter rufo-ciliata; *pedicelli* in pedunculo communi, 0,1 poll. longo terni ad bini, umbellati, erecti breves; *involucra* quadrantem repraesentantia hirta, sub-glochidiata; flores et reliq. part. speciei normalis.

Forma: *Comm. pubescens* Knth. l. c. 40. 43.

Descrpt. distinctiva. Herbae in locis humidis, ad fossarum margines prope *Weltevreden* sat copiosae; *caulis* basi repens dein adscendenti-erectus, 18-24 poll. longus, glaber versus apicem puberulus; *internodia* 1—4 poll. longa; *vaginae* rubentes, nervis 9 viridibus, apice ampliores truncatae, margine auriculato-subreflexae, ciliis 0,2 poll. longis obsitae; *petioli* 0,3—0,6 poll. longi, 0,2 poll. lati; *folia* ovata s. ovato-oblonga s. oblongo-lanceolata, 1,5—3,5 poll. longa, 1—2 poll. lata, basi rotundata aut leviter attenuata, apice obtusa, acuta aut breviter acuminata; *juvenilia* (sat evoluta) utrinque et praeprimis subtus molli-puberula, supra dein hirta; *antherae* steriles biclavatae pendulae, connectivum basi incrassatum et supra basin dentatum.

Forma *Comm. mollis* Jcq. Knth. l. c. 51. 44.

Descrpt. distinctiva. Herbae in umbrosis prope *Bidara-tjina* ad sepes vulgares, 1—4 ped. altae, laete virides, totae pubescentes; *caulis* teres dichotome ramosus geniculatus debilis, inter fruticulos herbasque reliquas adscendens, ad nodos hinc fibrillam longam emittens, sat robustus; *internodia* 2—4 poll. longa, 0,15 poll. crassa; *vaginae* albidae, dein vix rubentes, uti et *internodia* pilis patentibus 3—5 articulatis, hyalinis, subulatis, apice saepe hamato-reflexis, sub-glutinantibus dense puberulae, 0,6 poll. longae, oblique truncatae, ciliis rufis longis coronatae integrae, nervis viridibus 9 longitudinalibus percursae, dein antice fissae in linea,

jam prius ciliis minoribus notata, ita, ut petiolum basi vaginantem amplexicaulem simulent; *folia* basi in petiolum ad vaginae insertionem subauriculatum, 0,2 poll. latum, 0,3—0,4 poll. longum, rufo-ciliatum attenuata, ovato-oblonga acuminata inaequilatera, basi altero latere subattenuata, altero rotundata, 3,0—4,0 poll. longa, 1,4—1,8 poll. lata, *ramea* magis ovata acuta minora; *omnia* molliter pubescentia, supra intensius colorata et inter pubem minutissimam pilis antrorsis hamulatis longioribus subscabra, *pilis* basi crassioribus supra medium abruptim subulato-attenuatis, subtus glauca mollissima. — Mensibus Januario ad Majum flores fructusque gerens obviam venit. — 1846.

39. COMMELYNA (COMMELYNA) SALICIFOLIA Rxb.

Char. Gen. cf. speciem antecedentem.

Char. Spec. cf. Knth. En. IV. 39. 5. *C. attenuata,* cui *Hornemann* adduxit hancce, differt (Knth. l. c. 48. 32): foliis angustioribus minoribus, involucro intus villoso, sepalis interioribus subaequalibus. — Descriptio Rxb. Ind. I. 176. 4 Dtr. II. 384. 6 folia habet duplo longiora (4—6 poll. longa) et flores intense azureos, qui in nostris lilacini. — Diagnosis Bl. En. 2. 2 foliis supra scabris differt. — *C. agraria* Knth. l. c. 38. 3 vix ab hac diversa!? folia paullo latiora videntur? et pedunculus uterque 3—4-florus, qui in *forma sibirica* etiam biflorus! — *C. barbata* Lam. Knth. l. c. 39. 6 haud diversa! — et forsan summo jure *Sprengel* divus hanc cum *C. agraria, salicifolia, pilosula* Vhl., *glabra* Mey. et *prostrata* H. B. Knth. conjungendam censuit. (Syst. Veg. I. 171.)

Observ. In eodem cum specie normali loco obviam veniunt formae minores, haud ita elatae; caulis et rami fere toti repentes, 6—8 poll. longi, apice adscendenti-erecto, 2—3 poll. longo; folia summa oblongo-, sublineari-lanceolata acuta aut acuminata, 1,5—2,0 poll. longa, 0,45—0,55 poll. lata; involucra 0,6—0,8 poll. longa, dimidiata 0,25 poll. lata; pedicellus superior intra involucrum 2-florus.

Descrpt. Herbae perennes glaberrimae, longe prorepentes, in apricis umbrosis prope *Bataviam* frequentes; *caules* teretes glabri, laete virides 1,8—2,8 poll. longi, internodiis 2—3 poll. longis, apice et ramuli adscendenti-erecti, 4—6 poll. longi; *vaginae* internodiis caulis multo breviores, ramorum subaequales aut imo longiores, oblique truncatae, 7-nerviae, virides dein albidae, nervis virescentibus, fauce

minute ciliolatae et in linea antica minutissime puberulae, ibique dein fissae; *folia* oblongo-lanceolata, acuminata, 1,7—2,5 poll. longa, 0,5—0,65 poll. lata, nunc oblonga aut ovato-oblonga obtusa, 1,0—0,8 poll. longa, 0,5—0,4 poll. lata; *infima* (ramulorum) imo ovata breviora, *omnia* basi obtusa aut paullo attenuata, supra laete viridia sublucida, subtus opaca glaucescentia, in margine cartilagineo minutissime serrato-aculeolata et inde scabra; *pedunculi* vaginam aequantes aut superantes erecti terminales, ramo axillari autem excrescente oppositifolii, teretes subangulati, 0,3—0,5 poll. longi, dein fructiferi patentes; *involucrum* nil nisi *folium florale* complicatum, cordatum, acuminatum, lobis baseos rotundatis, 0,7—0,9 poll. longum, dimidiatum 0,30—0,35 poll. latum; *pedicelli* intra involucrum bini; *alter* inferior erectus florem staminiferum gerens, teres, 0,5—0,6 poll. longus, puberulus, infra apicem articulatus et ibidem post anthesin deciduus; *alter* horizontalis, apice 2—4-florus, 0,3 poll. longus, crassior; *pedicelli secundarii* umbellati ante anthesin cernui, dein erecti, postremo fructiferi inflexi, pedicello parallele adpressi; *flores* a descriptione generica cf. Knth. l. c. 35 differunt hisce: *perigonii foliola exteriora* tenuissime membranacea concava albido-hyalina, primo persistentia, ante fructus maturitatem marcescentia, decidua; *omnia* tota libera, 0,1 poll. longa, *interiora* lilacina, inferius subsessile subrotundum, omnia concava subundulata, superiora cum ungue 0,2 poll. longa, 0,15 poll. lata; *genitalia* tota speciei antecedentis, solummodo *antherae* 3 superiores luteae biloculatae, loculis subglobosis, cum basi attenuata connectivo insertae, et *stylus* lilacinus; *capsula* pariter conformis 0,25 poll. longa. — Mensibus Januario ad Martium flores fructusque gerentem reperi. — 1846.

40. ANILEMA NUDIFLORUM R. Br.

Char. Gen. cf. Knth. En. IV. 64, optime. — Endl. Gen. 1028 Sbgen. *b*. Msn. Gen. 407.

Char. Spec. cf. Knth. l. c. 66. 4, stamina autem haud 4, duo effoeta et capsula haud subrotunda, sed stamina 6, quorum 2 fertilia et capsula oblongo-trigona. — Bl. En. 3. 6, Hsskl. Dec. 25, sub *Commo-*

lyna, vaginae autem totae hirsutae, nec linea tantum pubescente munitae, nec in stolonibus nudae, uti Hsskl. l. c. — Dtr. II. 404. 64. Rxb. Ind. I. 177. 6. — Caulis centralis nunc valde abbreviatus, aphyllus florifer scapum refert, ramis basalibus radiatim dispersis haud, aut nondum evolutis et inde formam *A. nudicaulis* Knth. l. c. 67. 5 formans. — Rheed. mal. IX. t. 63 plane cum nostra convenit.

Descrpt. Herbae perennes, in ruderatis et apricis umbrosis, et in hortis eorumque viis frequentissimae prope *Bataviam* et *Bidara-tjina* et *Diúkut géwor* dictae, a basi ramosae; *rami* radiatim circa caulem centralem erectum, nunc valde abbreviatum et saepe aphyllum et inde scapum referentem (*A. nudicaule* Knth. l. c. 67. 5) dispersi procumbentes, ad nodos radiculas proferentes, repentes, 4—13 poll. longi, apice adscendentes erecti, summo apice dichotome ramulosi, nodosi, glabri, lucidi, subteretes, unisulcati, in sulco patentim pilosi; *internodia* inferiora 0,3—0,5 poll. longa, ramorum floriferorum adscendentium medio ad 3,5 poll. longa; *vaginae* breves teretes 0,2 — 0,4 poll. longae, basi plerumque rubentes, pilis longis patentibus crebris hirsutae, dein, sed raro, subglabratae; *folia* amplexicaulia, *infima* caulis centralis linearia, canaliculata, acuminata, ima basi subciliata, caeterum glaberrima, lucidula, subtus glaucescentia, 2,0 — 3,0 poll. longa, 0,25—0,35 poll. lata; *ramorum infima* minora oblongo-lanceolata aut oblonga, acuta aut obtusiuscula, 1,0 — 1,5 poll. longa, 0,3 poll. lata, omnia sub-complicata; *superiora* acuminata, *omnia* patentia, margine scabra; *pedunculi* in ramulis axillaribus 1—2 poll. longis subcorymbosi, oliganthi 3—6-flori; *bractea* linearis aut lineari-oblonga brevis 0,2—0,1 poll. longa, subconcava, acutiuscula viridis, ad basin racemi decidua; *flores* succedanei, inferiores longius pedicellati, 0,10—0,15 poll. longi, teretes patentes, uti calyx et germen glaberrimi, nitiduli; *perigonii foliola exteriora* 3 subaequalia, oblonga, obtusa, concava, tenerrima, viridiusculo-hyalina, 0,1 poll. longa, 0,06 poll. lata, vegeta, persistentia; *interna* 3 kermesina, subaequalia, subrotundo-obovata, basi parum attenuata, 0,15 poll. longa, 0,12 poll. lata; *stamina* 6, quorum 3 minima; *fila-*

menta subulata, kermesino-diaphana, tenuissima, 0,04 poll. longa; *antherae* minutae, luteae, biloculatae; *loculi* subglobosi, basi longe stipitati, e connectivo communi, subcylindrico medio inserto, apice subincrassato continui, divaricati, penduli, *pollinia Asclepiadearum* optime repraesentantes; *filamentum* 4-*tum* iis priorum consimile, paullo tantum robustius et longius, summo apice anthera consimili sed minutissima munitum, pilis longissimis, tenuissimis, kermesinis, pulcherrime verticillatim nodulosis, inter nodulos constrictis, filamento longioribus obsessum; *filamenta* 2 longiora kermesina teretia, ad medium pilis, iis filamenti quarti conformibus sed longioribus, robustioribus, patentibus dense barbata, supra medium glabra, apice subulata, arcuata; *antherae* medio insertae versatiles, ovato-oblongae lilacinae, utrinque emarginatae, biloculatae; *loculi* paralleli contigui, rima longitudinali dehiscentes; *pollen* copiosum albidum, oblongum, utrinque obtusum subcurvatum, fovilla foetum, eamque poro uno apicali effundens, et in hoc actu motu retrorso praeditum; *germen* viridiflavescens oblongo-subtrigonum, 3-loculatum; *gemmulae* in loculis binae; *stylus* longus filiformis albidus, 0,15 poll. longus, apice hamato-curvatus; *stigma* subcapitatum papillosum; *capsula* perigonii foliolis exterioribus vegetis viridibus, paullo brevioribus cincta, stylo persistente mucronata, subovato-trigona, glaberrima, nitida, aequalis 3-valvis; *valvae* septiferae persistentes; *semina* in loculis (omnibus) gemina superposita, scrobiculata, angulata, dorso convexa, antice carinata, altero apice acutiuscula, altero truncata; *albumen* corneum nigrum (? an semper?); *embryo* sat magnus albus. — Mense Februario flores fructusque proferentem reperi 1846.

41. ACLISIA DENSIFLORA Hsskl.

Char. Gen. cf. Knth. En. IV. 74.

Char. Spec. Anilema densiflorum Knth. En. IV. 69. 21. *Commelyna* Bl. Dtr. II. 412. Hssk. Pugill. 18. Catal. p. 25. 12.

Descrpt. Herbae perennes; *caulis internodia* 2—4 poll. longa teretia, basi violacea, supra viridia, striata, gla-

bra; *ramuli* axillares ad basin caulis; *folia* 2—4 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata subpetiolata, basi attenuata subciliata; *vaginae* 0,5—0,8 poll. longae virides, caulem arcte cingentes; *inflorescentia* una cum caulis apice puberula; *perigonii foliola exteriora* obovata obtusa, extus puberula, subcolorata, *interna* lilacina aequilonga, linearia; *stamina* 6, sterilia 3, fertilibus 3-bus opposita; *filamenta* capillaria albida, fertilium longiora patentia, apice subulata, omnia antherifera; *antherae* 3 fertiles castaneae, 3 steriles glanduliformes cerinae, omnes biloculatae, *loculis* connectivo lato sejunctis, lateraliter sulcatis, supra basin affixae; *germen* stipitatum, didymum, a latere compressum viride 2-loculatum; *gemmulae* in loculis plurimae; *stylus* circinalis lilacinus; *stigma* punctiforme.

42. LAMPROCARPUS THYRSIFLORUS Bl.

Char. Gen. cf. Knth. En. IV. 76. Perigonii foliola externa *haud* decidua, sed primo persistentia, dein marcescentia, postremoe vanida!

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 1157 et 1726. Knth. En. IV. 76. *Pollia* Endl. Hsskl. Catal. et Adn. 148. 1. Pugill. 19. *Ephemerum glaucospermum* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 75.

Descirptioni Schlt. l. c. addenda haecce: *Vaginae* virides punctulis plurimis rubentibus minutis subfuscae; *folia* haud disticha, inferiora acuminata, superiora longius, scabriuscula, 3—9 poll. longa, 1—2 poll. lata; *flores* in ramulo 4—5; *bractea* albida, nervis viridibus; *bracteolae* tenuissime membranaceae, hyalino-albidae, diaphanae, succo glutinoso diaphano involutae, subrotundae, cucullato-concavae; *perigonii foliola exteriora* persistentia, marcescentia, dein evanida, unum in praefloratione alterum imbricatim involvens et interiora albida (nec viridia Bl.!); *antherarum loculi* medio disjuncti; *germen* trigono-globosum; *fructus* indehiscens, pericarpio fragili lucenti coeruleo-amethystineo; *semina* compresse angulata.

43. TINNANTIA? LINEOLATA Hsskl.

Char. Gen. cf. Knth. En. IV. 100, Endl. Gen. Sppl. I. 1031. 1. — Ob gemmulas in germinis loculis plures, fructus dehiscentes, staminaque

diversiformia huc erlata species, an jure? — opponunt germen haud recurvatum et perigonii foliola subconsimilia.

Char. Spec. cf. *Commelyna lineolata* Bl. Dtr. II. 411. Hsskl. Dec. 24. *Aneilema* Knth. En. IV. 69. 18.

Descrpt. Perennes herbae erectae, glabrae, ramosae; *caulis* teres, 0,3 poll. crassus articulato-nodosus, viridi-purpurascens glaber; *vaginae* inferne dimidiam, superne via quartam internodiorum partem longae, cylindricae, glabrae, stiratae; *folia* oblongo-lanceolata, longe acuminata, basi amplexicaulia, margine scarioso-scabra, ad marginem tenuissime ciliata, glabra, opaca, subcarnosa, inferiore pagina glauca, venoso-lineolata; *panicula* terminalis simplex subsecunda patens, ad basin ramulorum bracteata; *bracteae* ovato-, summae lineari-lanceolata, breves submembranaceae, supremae minutae, obsoletae, subnullae; *rami* dichotomi 3—5-flori; *flores* pedunculati; *pedunculi* uti rhachis glaberrimi in anthesi 0,2 poll. longi, fructiferi 0,4 poll. longi; *perigonii foliola exteriora* ovata, acuta, concava, rubentia, patentia, ante et post anthesin conniventia, vegeta, persistentia, *interiora* alba, ovalia, marcescentia; *stamina* 6, 3 majora fertilia, 3 minima sterilia; *filamenta* filiformia, barbata, alba; *antherae* staminum majorum majores oblongae loculis parallelis fertiles, minorum minores hastatae; *germen* trigonum, glaberrimum; *stylus* filiformis; *stigma* subulatum; *fructus* perigonii foliolis externis vegetis, internisque emarcidis circumvallati, glaberrimi, trigono-subglobosi, styli rudimento coronati, triloculati, trivalves; *semina* 8 — pluria duplici serie in loculo quoque disposita.

44. CYANOTIS CRISTATA Schlt.

Char. Gen. cf. Knth. En. IV. 102; perigonii foliola exteriora calycina, viridia, interiora corollina, calycem et corollam summo jure repraesentantia; filamenta sub apice longiter barbata, supra barbam paullo incrassata et altius tenuissime subulata; antherae ovatae utrinque bilobae, loculi paralleli contigui, longitudinaliter dehiscentes, dein basi subdivaricati, postremo paralleli antheram linearem effoctam formantes; connexivum subtriangulare; stylus apice in stigma oblongum albidum urceolatum, apice fimbriatum dilatatus; fimbriae patentes, muscorum quorundam capsulam fingentes.

Char. Spec. cf. Knth. En. IV. 102. 1. Schlt. VII. 1150; *C. imbricata* Knth. l. c. 103. 2 nil nisi majore florum et bractearum numero, qui in nostris jam ternus quaternusve, quam in diagnosi *C. cristatae* distincta. — Hsskl. Dec. 26.

Descrpt. Herbae perennes in viis hortisque prope *Bidara-tjina* vulgatissimae cum *C. axillari* et *Anilemate nudifloro* R. Br.; *caulis* centralis erectus 5—7 poll. altus, a basi ramosus; *rami* in juvenilibus adscendentes, mox profusi repentes, apice tantum adscendentes, 5—14 poll. longi, geniculati nodosi teretes; *internodia* infima et summa vix 1,0 poll. longa, intermedia 2,0—2,5 poll. longa rubiginosa, intra vaginas kermesina, laevissima, ad nodos vix incrassata, glaberrima praeter lineam pilorum patentium fuscorum, e vaginae superioris facie antica decurrentem, ad insertionem vaginae superioris nunc annulo pilorum patentium, caducorum praedita; *vaginae* breves 0,2—0,4 poll. longae truncatae, in apice et linea antica dein fissa patentim ciliatae, primo pallide virides, dein albescentes striis 11—13 verticalibus rubentibus, in foliorum nervos transeuntibus, percursae, pilis sparsis longis hinc obsessae nunc glabratae; *folia* sessilia, *infima* et caulis centralis longiora et latiora; oblongo-lanceolata, acuminata, subcanaliculata, 2—3 poll. longa, 0,7—0,5 poll. lata; *ramea* ovato-lanceolata, acuta, 1,0—2,0 poll. longa, 0,5—0,8 poll. lata; *omnia* sat crassa, carnosula, utrinque glaberrima, opaca, minutissime eleganter reticulata e cellulis epidermidis dodecaëdris, in margine rubenti antrorsum ciliata; *flores* in axilla folii subcomplicati terminales sessiles, cristato-subumbellati succedanei; (pedunculi Knth. l. c. nil nisi rami floriferi, 1-foliati, nunc valde abbreviati) aut potius in pedunculo communi abbreviato, dein subcircinatim revoluto, 1—sub-2-seriatim dispositi, sessiles secundi 7—24, bracteis obtecti; *bracteae* totidem biseriatim dispositae imbricantes, apice conniventes et retrorsum curvatae; *inferiores* lanceolato-subfalcatae, 0,6 poll. longae, 0,25 poll. latae; *summae* ovato-subfalcatae, 0,4 poll. longae, 0,25 poll. latae, virides ciliatae; *pedicelli* brevissimi, kermesini; *perigonii foliola exteriora* ima basi

connata, hyalina, subalbida, supra libera, erecta, viridia, carinata, intus navicularia, 0,2 poll. longa, 0,02 poll. lata, margine et carina longiter ciliata, conniventia, aequalia; *interiora* exserta, corollam infundibuliformem subhypocraterimorpham fingentia, tubo exserto lilacino, limbo patenti azureo, lobis subrotundis, post anthesin involutis, 0,1 poll. diametro; *filamenta* alba, capillaria, erecta, parte exserta pulcherrime azureo-barbata, supra barbam paullo incrassata et altius attenuata in subulam antheriferam; barbae *pili* moniliformes e flore nondum aperto anthera clausa sumpti articulis subglobosis aut oblongis, nunc vacui nunc succo hyalino et corporibus decoloribus minutis foeti; nunc succo lilacino et corporibus minutis cyaneis densis toti aut fere toti foeti; dein antheris jam effoetis magis constricti, articulis biformibus; *plurimi articuli* globosi cyanei, inter se vix plus quam in uno puncto cohaerentes; pili alii minus profunde constricti, articulis oblongis binos articulos globosos longis decoloribus; *germen* albidum, lucidum, minutum, 0,05 poll. longum, pilis raris vertice coronatum albidis, subulatis, 2—3 articulatis; *stylus* capillaris longissimus, 0,5 poll. longus, supra medium flexuosus et dein spiraliter tortus, apice in stigma incrassatus; *stigma* urceolatum, albidum, oblongum, lucidum, 0,07 poll. longum, apice constrictum et patenti-fibriatum (musci cujusdam capsulae instar cum peristomio) cavum; *capsula* diaphana, 0,12 poll. longa fusca (nec albida!); caet. vid. Knth. l. supr. cit.

Forma robusta una cum praecedente in solo uberiore obumbrato obviam venit, cujus: *rami* basi vix procumbentes et repentes sunt, celerrime adscendenti-erecti, 12—18 poll. alti; *caulis* et *rami* purpurei lucidi, linea pilosa subglabrata, internodia plurimis 2,5—4,5 poll. longa; *ramulorum* apices tantum virides, ad nodos solummodo purpurascentes; *vaginae* inferiores totae pilosae, superiores glabratae antice tantum et ore cum foliis lanato-ciliatae; *folia* oblongo-lanceolata, 3,0—4,5 poll. longa, 0,7—0,8 poll. lata, ovato-lanceolata, 1,0—2,0 poll. longa, 0,5—0,6 poll. lata, plerumque floralia; omnia intensius saturate-viridia; *bracteae* (in unica inflorescentia tantum

reperi unicam cum flore solitario uti in *C. axillari!!*) 6—24 sat rigidae; *flores* totidem. — Reliquae partes specimina jam supra descripta quadrant. — Mensibus Februario et Martio pluviosis flores fructusque gerentem reperi formam utramque. — 1846.

45. CYANOTIS AXILLARIS Schlt.

Char. Gen. cf. speciem antecedentem.

Gen. Spec. cf. Knth. En. IV. 105. 9. Schlt. Syst. VII. 1154. Bl. En. 6. 3 sub *Tradescantia,* sed folia haud ciliata! caulis et rami vix in summo apice ad latus unum linea pilosa praediti, plerumque glaberrimi (Knth.!), vaginae glaberrimae nec puberae (Bl.!). Attamen specimina *javanica* ab hac specie haud diversa habenda cf. Hsskl. Decad. 27, ubi vaginae ramorum juvenilium (speciminum in horto botanico, pluria centa pedum supra maris superficiem elato, cultorum) pubescentes dictae.

Descrpt. Herbae in solo argilloso hortorum eorumque viis prope *Bidara-tjina* frequentissimae, in solo obumbrato multo robustiores, adscendenti-erectae, in viis et ruderatis repentes, apice tantum subadscendentes; *caulis* et *rami* teretes, subtrigoni, purpureo-fusci, in repentibus lurido-virides, glaberrimi, lucidi, in summo apice tantum nunc linea minute pilosa, mox glabrata notati, nodosi; *internodia* in {repente 0,7—1,7 / uberiore 1,5—2,5} poll. longa, {0,15 / 0,20} poll. crassa; *rami* repentes 6—24 poll. longi; caulis terminalis et apices ramorum erecti, vix 3 poll. supra solum elati; caulis et rami uberiorum 18—28 poll. alti, fastigiati; *vaginae* breves 0,2 poll. longae, apice oblique in folium transeuntes, virides, nervis 11 purpureis plus minus latis notatae, nunc totae fere (in uberioribus) purpureae, glabrae sed longiter ciliatae; *folia* linearia, canaliculata, patentia, basi amplexicaulia et paullo ciliata, supra basin glaberrima, purpureo-marginata, prima juventute minute ciliata, dein ciliis deciduis apice tantum ciliata aut tota calva et subtus ad medium, aut tota nervis purpureis tenuibus haud elevatis percursa, acuminata {1,0—2,5 / 2,0—4,0} poll. longa, {0,30—0,50 / 0,25—0,35} poll. lata; *flores* axillares terni aut quaterni rarius seni glomerati succedanei, intra folii vaginam reconditi, in anthesi

tantum perigonii foliolis interioribus corollinis exsertis; *bractea* oblongo-lanceolata, acuminata, ciliata, 0,5 poll. longa, 0,1 poll. lata, glomerulum sustinens, flavescenti-viridis, lucidula, nervo purpureo percursa; *bracteolae* carinatae, 3-nerviae naviculares, 0,2—0,3 poll. longae, hyalinae, trinerviae, nervis purpureis vix ciliatae, acuminatae sub quoque flore; *flores* quam in *C. cristata* majores sed pallide lilacini, structura autem tota cum iis hujus speciei congrui; *pedunculi* brevissimi, trigoni, virides; *perigonii foliola exteriora* 0,4 poll. longa, carina ciliata; *foliolorum interiorum connatorum tubus*, 0,45 poll. longus, albidus, cylindricus, versus faucem dilatatus; *limbus* patens 3-lobus; *lobi* ovato-lanceolati, dein corrugato-involuti; *stamina C. cristatae, pili* autem pallidiores cyanei et *filamenta* sub apice globoso inflata et supra globulum hunc hyalinum acutissime subulata; *antherae* utrinque bilobae aurantiacae; *loculi* paralleli; *pollen* globosum aurantiacum; *pili* filamentorum pariter moniliformi-constricti; *articuli* (in filamento cum anthera inaperta floris adhuc clausi) globosi nunc fusiformes, nunc oblongi, nunc lineares, 3—4 et plures articulos globosos longi, succum lilacinum et corpuscula rariora, minutissima, intensius colorata continentes; *germen* apice sub-3-lobum, lobis obtusis, pilis erectis sat longis obtectis; caet. *C. cristatae; capsula* 0,25 poll. longa, oblonga, trigona, apice triloba, lobis ovatis bifidis, laciniis acutiusculis, ciliatis, suberectis; styli rudimentum intra lobos reconditum; *semina* quam in *C. cristata* majora, subteretia, fusco-nigra, utrinque truncata, in extrémitate embryonali umbonata; *albumen* nigrescens copiosum, semen explens; cavitas embryonalis parva subcylindrico-conica. — Mensibus Februario et Martio flores fructusque gerentem reperi. — 1846.

ALISMACEAE R. BR.

46. SAGITTARIA HIRUNDINACEA BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1042. Knth. En. III. 155. Msn. Gen. 364. Comm. 273. 5.

Char. Spec. cf. Bl. En. 34. Hsskl. Dec. 28. Knth. III. 158. 9.

Observ. *S. triflora* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 84, *S. pusilla* Bl. En. 34 nec Nutt., *S. Blumei* Knth. l. c. 10, *S. obtusissima* Hsskl. Cat. 152. 2 differt: foliis subrotundis obtusissimis, laciniis baseos obtusis divergentibus, pedunculis subumbellatis, umbellulis 3-floris; — *S. guanyaensis* H.K. Knth. l. c. 161. 25 quam affinem habet Blumeus clss. differt: foliis subrotundo-ovatis, obtusis, pedunculo simplici!

Descrpt. Herbae palustres perennes, in palustribus et oryzetis *Javae occidentalis* frequentes; caulis subterraneus; folia petiolo longo multangulari crasso medullari, ovato-sagittata, glabra, integerrima; baseos laciniae reliqua parte longiores acuminatissimae divergentes; pedunculus erectus 3 ped. altus strictus multangularis, medullaris, racemosus, basi ramosus; flores bracteati, bractea ovato-lanceolata, acuta sive acuminata, membranacea, alba, ternatim verticillati, infimi, pistilligeri, staminibus rudimentariis, superiores hermaphroditi; perigonii foliola exteriora 3 reflexa, pedunculo adpressa, ovato-navicularia, albicantia, interiora 3 corolloidea, patentia, cuneato-subrotunda, margine subcrenulata alba; stamina plurima 3—5-seriata, filamenta externa brevissima, antherae erectae oblongae, lateraliter rimis dehiscentes, luteae; germina plurima libera in capitulum disposita in receptaculo solido carnoso; stylus brevissimus, stigma obtusum; achaenia membranacea, compressa, marginata, muriculata, nitida, viridia, decidui. — Nomen sundense totius generis: *E'tjèng.*

FLAGELLARIEAE ENDL.

47. FLAGELLARIA INDICA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1054. Knth. En. III. 369. Msn. Gen. 406. Comm. 310. 14.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 1492. Hsskl. Pugill. nov. 1. Knth. l. c. 370.

Descriptioni addenda: Frutex alte scandens; rami herbacei ramosi, succo aquoso, amaro foeti, uberiores 0,4—0,5 poll. crassi, floriferi 0,2—0,1 poll. crassi, omnes teretes; ramorum uberiorum vaginae 2,5—3,0 poll. longae subglaucescentes, floriferorum 0,8—1,2 poll. longae, glaberrimae, lucidae, omnes cylindricae; folia horizontalia patentia, ramorum uberiorum dein reclinata, basi subcordato-rotundata, oblongo-

lanceolata, uberiora ⅓ supra basin 2 poll., ad basin 1,2 poll. lata, ad acumen usque 12 poll. longa, acumen 4—6 poll. longum, rigidissimum involutum, apice tenuiore lacerato-3-fidum; ramorum floriferorum ad basin 0,4—0,6 poll., medio 0,8—1,0 poll. lata, una cum acumine 0,6—1,6 poll. longo 3—7 poll. longa; petiolus cartilagineus, albus, lucidus, reflexus, in uberioribus 0,5 poll. latus, 0,3 poll. longus; inflorescentia albida, foliis superioribus sublongior, 3,5 poll. longa. — In Javae montibus altitudine 3—4000 ped. supra mare frequens occurrit. — Nom. sund.: *O'ar.*

MELANTHACEAE R. BR.

48. DISPORUM PULLUM Slsb.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1082. Knth. En. IV. 206. Msn. Gen. Comm. 371.

Char. Spec. cf. Schlt. Syst. VII. 371. Knth. l. c. 208. 8 — antherae obtusae, connectivo mucronulatae; stylus teres 3-fidus, laciniis erectis, intus stigmatosis, apice reflexis. — *D. fulvum* Hsskl. Pugill. 20.

D e s c r p t. Caulis 3,0—3,5 poll. altus teres, basi 0,2—0,4 poll. crassus ramosissimus; rami e foliis decurrentibus angulati, denuo ramosi; ramuli plerumque simplices, virides nec purpureo-striati (Schlt.); folia caulina sessilia, semiamplexicaulia, dein subpetiolata, ovato-lanceolata, ad basin albida; ramea longiter acuminata ad 4 poll. longa, 0,25—0,75 poll. lata; umbellae oppositifoliae (aut potius terminales, ramo axillari elongato lateraliter adpresso et adnato) 2—6-florae; flores nutantes; bracteae ad basin umbellae foliiformes (aut potius folia floralia) 1— rarius 2 suboppositae; perigonii foliola purpureo-fusca, basi calcarato-gibbosa et apice viridiuscula, dorso carinata, versus basin angustata; stamina germen cum stylo aequantia, perigonio breviora; filamenta basi incrassata, subteretia versus apicem attenuata, nec subulata, albescentia viridia; antherae extrorsae, luteae vix supra basin affixae, erectae, obtusae, connectivo viridi mucronulatae; loculi oppositi, rima longitudinali dehiscentes, filamentis vix plus duplo minores; germen apice attenuatum laete viride glaberrimum,

vix longitudine antherarum dein nigrescens; stylus emarcidus saepius persistens.

PONTEDERIACEAE A. RCH.

49. MONOCHORIA VAGINALIS PRSL.

Char. Famil. cf. Msn. Gen. 397. Endl. Gen. p. 137. Knth. En. IV. 118, laciniae autem perigonii ante anthesin nullo modo spiraliter convolutivae sed planae imbricativae; stigma obsolete 3-lobum, nec 6-lobum; testa albumini haud adhaerens.

Char. Gen. cf. Knth. En. IV. 132. Msn. Gen. 398. Endl. Gen. 1088. *b.* β, sed laciniae perigonii exteriores, uti Roxburghius recte delineavit angustiores, anthera sexta discolor, stylus haud persistens, sed vix baseos rudimentum capsulam terminans; Hsskl. Dec. 29 ad fin.

Char. Spec. Knth. En. IV. 134. 4, anthera autem longior coerulescens, omnes conformes, germen evidenter 3-loculare, testa recens albumini haud adhaerens; *Pontederia* L. Bl. En. 32. 1. *Olus palustre* Rmph. amb. VI. 178. t. 75. 1 icon pessissima, quae forsan majore jure ad *P. paucifloram* Bl. En. 33. 2 adscribenda esset.

Descrpt. Herbae palustres prope *Weltevreden* copiosae in fossis et ad margines aquarum stagnantium, ab incolis pariter Malaïis ac Sundensibus *E'tjeng* dictae et recentes uti decoctae ad oryzam coctam lubenter cibos adhibitae, elegantes, robustae, caespitosae; *radices* fibrosae, e basi caulis spiraliter dispositae, vaginasque perforantes albidae, flexuosae, spongiosae, 2—4 poll. longae, fibrillis tenuissimis ramosis intermixtae et obsitae; *caulis* vaginarum basi obtectus et occultus, valde abbreviatus ramosus; *rami* erecti aut erecto-patentes, a caule subradiatim divergentes 2—8, basi vaginis in ramis pauci-ramosis foliosis, in multi-ramosis subaphyllis obtecti, ex earum axillis orientes, supra basin nudi, summo apice folio florali et racemo terminati, semiteretes, externe convexi, interne plani, 9—12 poll. longi, 0,5—0,3 poll. crassi spongiosi, in ima basi, vaginis obtecta, albidi, paullo supra laete persicini et sensim kermesini, in parte nuda basi laete, apicem versus intense virides glaberrimi, luciduli; *cellulae epidermidis* a facie visae lineares utrinque obtuse truncatae, margine tenuissimo integerrimo, in superiore ramorum parte angustiores et utrinque paullo obtuseque attenuatae; *stomata*

inferne nulla in parte viridi sparsa, sed non copiosa oblonga e cellulis lineari-oblongis, obtusis, curvatis, rimam lineari-oblongam utrinque attenuatam, granulosam minus diaphanam cingentibus (an forsan cellulae 4, quarum externae, hyalinae, internas angustissimas granulis decoloribus foetas, arcte sibi adpressas rimulam fingentes cingunt? cf. Schld. l. c. 264 f. 77 et 78, si rimulam ad 0 reductam sumas); *canales aëreae* conformatae e cellulis elongatis, utrinque truncatis, multangulis, ratione lacunarum irregularium parvis, earumque parietes constituentibus; saepe per 3—6 radiatim e fasciculo vasorum divergentes et inde, sed valde irregulariter (fig. 41 Schld. l. c. p. 236) cellulas radiatas simulantes, hinc membrana tenuissima reticulata clausae quae vaso spirali tenuissimo e fasciculo collaterali orto, est percursa; *membrana* haec e cellulis radiatis constans, radiis brevissimis ductus intercellulares, obtuse triangulares nunc subrotundos aut oblongos, sat magnos, in sectione verticali lineares, conformantibus (cf. Schld. l. c. p. 236 f. 42 plane quadrans icon!); *cristalli* (rhaphides cf. Schld. l. c. 165, 3. *b*.) tenuissimi, fasciculati verticales (an intra cellulam propriam contenti? membrana cellulae mihi haud conspicua!) inter cellulas quae vasorum fasciculum cingunt et parietes canalium constituunt, copiosissimi acutissimi; *chlorophylli granula* in superiore ramorum parte in cellulis pauca sparsa subglobosa minuta; *petioli* basi longiter vaginati; *vaginae* ramos amplectentes, antice apertae et margine, e cellulis transversis constante, tenuissimae, hyalinae, ima basi albidae, supra basin kermesinae, apicem versus viridiusculae et inde fuscae, glabrae, *exteriores* foliiferae, dorso convexae, *interiores* aphyllae, dorso carinatae, 4,0—6,0 poll. longae, 0,6—0,8 poll. crassae, glabrae, tenuissime sulcatae indeque asperulae; *lingula* tenuissima in foliiferis magna ovato-lanceolata, acuminata, 1,0—1,5 poll., in aphyllis 0,3—0,5 poll. longa, ovata, obtusa, petioli et folii loco dorso mucrone viridi subulato plus minus elongato, 0,5—2,5 poll. longo, glabro, flexuoso, subtorto praedita; *petioli* erecti teretes ad apicem et basin intus plani, versus apicem sensim attenuati, 9—11 poll. longi, basi

0,4—0,3—, apice 0,20—0,15 poll. crassi, glaberrimi, virides, sublucidi, fistulosi, spongiosi, pariter ac rami constructi; *canalis aërea* centralis (fistula) sat magna pariter ac reliquae hanc cingentes membranis transversis intercepta, e plane iisdem cellulis radiatis, ductus intercellulares transverse oblongos aut ovales cingentibus (cf. Schld. l. c. p. 236 f. 43, quod ad ductus tantum!); *cellulae epidermidis* et *stomata* iis ramorum conformes; *folia* cordata acuminata, lobis baseos subrotundis, altero paullo majore, 3,0—3,5 poll. longa, 2,5—3,0 poll. lata, ramorum juvenilium saepe leviter cordata, ovato-lanceolata, longiter acuminata, 2,0 poll. longa, 1,2 poll. lata, a puncto insertionis radiatim tenuissime nervoso-striata, nervo medio vix prominulo, utrinque glabra, opaca, supra intense, subtus pallide subglaucescenti-viridia; *cellulae epidermidis* paginae utriusque subconformes a facie visae plerumque 5-, nunc 4—6-gonae, margine tenui, lateribus rectis nunc curvatis; *stomata* plurima ovalia, caeterum iis jam descriptis conformia, sed majora; *cellulae* binae vacuae, exteriores oblongae, curvatae, interiores concentricae, granulis foetae, lineares nunc curvatae hiantes, rimulam angustam ellipticam cingentes, nunc margine interiore contiguae rimulam claudentes; *parenchyma* sub folii epidermidi quadrato-reticulatum lacunosum; *folium florale* solitarium erectum, ramo florifero continuum, foliis reliquis subconforme; *petiolus* basi vaginans, vagina 2 poll. longa et supra vaginam lingula brevissima, acuta aut subulata, 0,05—0,20 poll. longa terminata hiante (spatha *Aroidearum*) et dein paullo supra basin decidua, supra *vaginam* teres et summo apice complanatus, 4—5 poll. longus, caeterum petiolo communi conformis; *folium* reliquis paullo majus et robustius 5 poll. longum, 4 poll. latum, caeterum conforme; *pedunculus* terminalis ante anthesin valde abbreviatus, erectus, in anthesi 0,4 poll. longus, 0,25 poll. crassus, patenti-erectus, fructifer paullo elongatus 0,5 poll. longus patentissimus, rarius suberectus, laete viridis, glaberrimus, lucidus, racemiferus; *bractea* ad basin racemi (spatha *Iridearum*) nil nisi vagina aphylla, oblongo-lanceo-

lata, subulato-acuminata, basi racemi axin amplectens, primo marginibus imbricatis subconvoluta, clausa racemum totum arcte includens (spadicis instar *Homalonematis* a spatha inclusi), dein hians, vaginae folii floralis opposita, 1,5—2,0 poll. longa, primo laete virens, praeprimis versus marginem tenuissima, margine ipso hyalino, dein magis robusta viridis navicularis persistens, racemum sustinens; *racemus* 15—18 florus; *flores* in spiras 3 congesti, spiris 5-, 6- et 7-floris; *axis communis* 2 poll. longa, ima basi nuda 0,5 poll. longa, 0,2 poll. crassa, laete viridis glaberrima, lucida, apicem versus sensim in pedunculos soluta et attenuata; *pedunculi* erecti teretes 0,4 poll. longi, 0,06 poll. crassi, in axi decurrentes glaberrimi, lucidi, pallide virides, fructiferi subtrigoni, atrovirides, paullo incrassati, structura interiore eadem ac petiolorum, sed non fistulosi et canalis interioris majoris loco tela cellulosa spongiosa a canalibus minoris lucis cinctis; *epidermidis cellulae* eaedem ac ramorum; *perigonium* sat magnum lilacinum, biseriatum, 6-partitum; *laciniae externae* paullo angustiores, caeterum internis conformes, oblongo-lanceolatae, acuminatae, 0,5—0,6 poll. longae, 0,2 poll. latae, dorso nervo medio crasso viridi prominulo percursae, ante anthesin imbricatae, in anthesi companulato-conniventes, subfornicatae, marginibus internarum margines obtegentes; post anthesin apice subconvolutae aut subcontortae et margine emarcidae, nervo medio rigido ultra medium vegeto, persistentes et fructum arcte includentes; *cellulae* epidermidis iis folii subsimiles, sed minores et papullosae succo lilacino foetae; *stamina* 6, ima basi laciniarum perigonii adnata, iisque opposita subadscendenti-erecta, per paria approximata, 5 aequalia, 6-tum difforme majus; *filamenta* lilacina, complanata, basi dilatata, apicem versus subulato-attenuata, 0,15 poll. longa, 0,03 poll. lata, subcurvata; *sextum* inferum duplo latius et paullo longius, apice bifidum, lacinia altera minore acuta, antherifera, altera majore et subcucullata, lanceolata, subinflexa, ananthera; *antherae* omnes fertiles, 5 luteae, erectae, complanatae, lineari-lanceolatae, basi subsagittato-bifidae, apice

obtusae, subbilobae, 0,09 poll. longae, 0,02 poll. latae, biloculatae; *loculi* teretes paralleli contigui, connectivo tenuissimo adnati, e cellulis angustissimis longitudinaliter seriatis transverse striati, longitudinaliter ad latera connectivo opposita dehiscentes; *pollen* lineari-ellipticum flavescens sat magnum, striis (rimis?) tribus hyalinis longitudinaliter notatum, aqua satiatum oblongum, utrinque obtusum, dein ovale glabrum, fovillam in saccum, pollinis membranam externam haud explentem, ellipticum continens et inde, uti seminis raphe altero latere notatum, in immaturo autem saccus internus intra membranam externam totus liber; *cellulae* adsunt pollini interspersae teretiusculae, utrinque truncatae fasciculum cristallorum, jam supra laudatorum, continentes liberae, tenuissimae, hyalinae, polline duplo longae, eoque aqua satiato paullo latiores; *fovilla* copiosa, granulosa; *anthera sexta* eadem ac reliquae forma sed major, 0,15 poll. longa, 0,06 poll. lata, lilacina et polline copioso conformi, fovilla copiosa farcto foetum; *germen* subtrigonum ovatum, viride glabrum, sublucidum, 0,15 poll. altum, 0,12 poll. crassum, 3-loculatum; *receptacula* (placentae) 3, centro radiatim inserta eique adnata ibique attenuata, antrorsum dilatata, sectione transversali subcordata, undique gemmulis copiosis tecta; *septa* receptaculorum medio ad incisuram inserta, tenuia obliqua; *gemmulae* horizontales obovato-oblongae, albidae, glabrae; *stylus* teretiusculus subtrigonus, apicem versus attenuatus, lilacino-albidus, oblique insertus, germinis longitudine; *stigma* albidum capitatum, obsolete 3-lobum, papillosum; *papillae* cylindricae patentes tenuissimae, hyalinae, sub apice paullo constrictae et inde apice capitellatae; *fructus* primo toti, dein ad medium tantum perigonii laciniarum nervis vegetis viridibus adpressis suffulti, subtrigono-ovati, 0,4 poll. alti, 0,3 poll. crassi, apice styli basi rudimentaria apiculati, leviter 3-sulcati, virides lucidi, dein nigrescentes inflati (indehiscentes?), cum perigonio ab apice pedunculorum persistentium decidui (aut nunc persistentes? 3-valves, valvis septiferis?), epicarpio carnoso-membranaceo tenui, 3-loculati; *septa* e su-

turis orta, viridia, tota bilamellata, lamellis divergentibus, ad margines laciniarum divergentium receptaculorum bipartitorum transeuntibus et sic loculos 3 clausos, a pericarpio solutos et solummodo in suturis cohaerentes, e dimidiis loculorum collateralium consistentes formantia, ita ut fructus fiant cavi et semivacui; *receptacula* 3 albido-flava, profunde bipartita et inde 6 per paria basi cohaerentia fingentia, singula longitudinaliter 6-sulcata et in sic ortis elevationibus undique semina gerentia, spongiosa, cristallis supra dictis foeta; *semina* minuta, oblongo-obovata, flavo-fusca, copiosa, ope funiculi umbilicalis brevis inserta, horizontalia, apice apiculata, striis 12 elevatis longitudinalibus ab apice ad basin percurrentibus badiis notata, altero latere raphe hyalina praedita, glabra, sublucida, albuminosa; *testa* membranacea tenuis transverse striata; *albumen* liberum, periphericum, candidum, farinosum e granulis copiosis, minutis, oblongis, cuneatis, altero latere exsculptis, cavis subcupuliformibus (cf. Schld. l. c. p. 178 f. 8), ope tinctura Jodii coeruleis constans; *embryo* cylindricus longitudine albuminis; *radicula* paullo incrassata, in seminis parte inferiore versus hilum spectans. — Mense Aprili ad Majum flores fructusque gerentem reperi. — *1846.*

50. MONOCHORIA PAUCIFLORA Knth.

Char. Spec. cf. Knth. En. IV. 135. 7. *Pontederia* Bl. Hsskl. Dec. 29 a praecedente e descriptione Roxbrgh. Schlt. VII. 1146 differt hisce notis:

Descrpt. Foliis 2,25 poll. longis, 1,75 poll. latis; ramis semiteretibus, 4—6 poll. longis, umbelliferis, vaginae petioli folii floralis 0,9 poll. longa, e qua umbellula; lingula vaginae petiolorum fere pollicari, ovato-truncata, concava purpurascenti; bractea ovato-lanceolata, acuminata, foliacea, patente ad apicem pedunculi 0,2—0,3 poll. longi, umbelliferi, erecti, 5-flori teretis; pedicellis 1,0 poll. longis, punctatis, gracilibus, floribus perigonio gamophyllo, tubo brevissimo, patente diametro 0,8 poll., foliolis 0,5 poll. longis, aequilongis, oblongo-lanceolatis, a basi patentibus; staminibus

4 minoribus, 2 majoribus, quorum 1 maximo; filamento hujus maximo lato bifido; antheris staminum majorum coeruleis 0,2 poll. longis; stylo oblique inserto declinato, apice adscendente! — Nomen sund.: *E'tjeng*.

LILIACEAE LNDL.

51. LILIUM LONGIFLORUM Thub. β. SUAVEOLENS.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1098. Knth. En. IV. 256. Msn. Gen. 401.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 417. 418. Knth. En. IV. 266. 29 et 30 β. Hsskl. Pugill. 21.

Descrpt. Caulis teres, 2,0—2,5 ped. altus glaber, 2—3-florus rarius 1-florus erectus; folia lineari-lanceolata, 3-nervia, nervo medio crassiore carinata, basi angustata, 3—5 poll. longa, 0,4—0,5 poll. lata, dense sparsa; superiora lanceolata, nervis lateralibus evanidis, summa (saepius) ovato-lanceolata, subverticillata, a reliquis ± remota, omnia subcoriacea, intense viridia, glabra, laevia; flores plerumque 2 rarius 1—3 subumbellati terminales; pedunculi glabri, erecti, laeves paullo recurvi, nunc folio uno praediti; perigonium hexaphyllum tubulato-campanulatum, subnutans candidum, odoratissimum; basi ad duas tertias partes subtubulosum; limbus patens recurvus; foliola 6—8 poll. longa, interiora 3 latiores, exteriora ad pollicem lata, nervo medio intus flavescenti-viridi, extus albescente prominente, interiorum complanato (ita, ut nervus margines foliolorum exteriorum in sulco, hoc modo orto, recipiat et arcte amplectatur, qua re perigonium primo visu gamophyllum ad medium fere sex-partitum videtur!), splendidissima, glaberrima, oblongo-lanceolata, basi spathulato-attenuata, apice obtusiuscula, interiora submarginata; stamina 6; filamenta albescentia, complanata, versus apicem subulata, lutescentia, adscendentia, foliolis minora; antherae erectae, oblongae, vitellinae; germen prismaticum obsolete hexagonum (aut potius trigonum, lateribus impressis sulco longitudinali), tertiam partem styli longum, laevissimum, viride; stylus viridi-lutescens filiformis, crassus, versus apicem clavatus, fila-

menta excedens; stigma valde crassum tricolle revolutum, capitato-3-lobum. — E *Japonia* introducta in horto Bogoriensi, inde pariter ac plurimae plantae Japoniae in hortum supplementarium ad *Tjipannas*, 3450 ped. supra mare elatum translatae uberrimae vegetant!

52. SANSEVIERA FLEXUOSA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1113. Msn. Gen. 398.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 360 et 1678. Hsskl. Dec. 30.

Descriptioni Schlt. l. c. addenda: Folia rami florentis 10—11 poll. longa, 1 poll. lata; panicula terminalis 10 poll. alta, 4 poll. lata, recta tota glabra; rami alterni solitarii patentes adscendentes subcompressi racemoso-multiflori, 1—3 poll. longi, versus apicem decrescentes; bracteae infimae nil nisi folia minora; superiores membranaceae marcescentes patentes, ramo adpressae, lanceolatae, acuminatae, planiusculae, parce nervosae, sordide stramineae, ad magnitudinem minutam decrescentes; flores 2—3-ni ex axillis bractearum ovatarum, acuminatarum, membranacearum, concavarum, fuscescentium, 0,1—0,2 poll. longarum; pedunculi liberi erecto-patentes teretiusculi, 0,2—0,3 poll. longi, laterales basi bracteola minuta, subtruncata, membranacea fulti; perigonium 1,0 poll. longum, pallide flavum; tubus 0,3—0,4 poll. longus, subangulatus, faucem versus leviter constrictus, basi paullo inflatus; laciniae lineares canaliculatae, subtortae, obtusiusculae, glabrae, defloratae, subsquarroso-patentes; stamina subaequalia laciniarum basi inserta easque subaequantia; filamenta linearia filiformia, membranacea, subundulata, apice subulata glabra; antherae oblongae pendulae basi ad $\frac{1}{8}$ usque bifidae apice emarginatae, pallide luteae, 0,1 poll. longae; germen obverse oviforme, 6-sulcum glabrum croceum, in stylum apice attenuatum; stylus filiformis, filamentis paullo longior albus; stigma crassum, leviter 3-lobum. — Nomen sund. hujus et sequentis speciei: *Hánjuang kassíntu.*

53. SANSEVIERA JAVANICA Bl.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 360 et 1678. 16. Hsskl. Pugill. nov. 2.

Descriptioni addenda habeo haecce: Folia praeprimis subtus lucida, breviter sed rigide acuminata, ramorum sterilium uberiorum 5—8 poll. longa, 2,0—2,5 poll. lata, ramorum floriferorum, 3—5 poll. longa, 1,5—1,7 poll. lata, oblongo- s. elliptico-lanceolata; versus basin in uberioribus canaliculata in petiolum vaginantem latum vix tortum attenuata; petioli in ramis floriferis graciles, tenues, semitorti; panicula 6 poll. alta, basi 4—5 poll. lata, rami inferiores adscendentes 3—4 poll. longi; bracteae ramorum inferiores 3—4-, superiores 2—1-florae flavescentes; pedicelli liberi erecto-patentes s. erecti, 0,4 poll. longi, basi graciles teretes, supra medium articulati; et dein obverse-conico-incrassati, flavescenti-virides, singuli basi bracteola subrotunda, acutiuscula, convoluta inclusi; perigonium 0,7—0,8 poll. longum, flavescenti-viride; *tubus* supra basin subinflatus 0,4 poll. longus versus faucem constrictus, laciniae lineares basi angustiores canaliculatae, filamenta recipientes, apice concavae, crassiusculae, laeves, exteriores interioribus aequilatae, omnes erecto-patentes subflexuosae; stamina *S. fruticosae* (cf. Schlt. l. c. 1679) sed laciniis breviora; germen oblongo-subcylindricum obsolete 6-sulcum, apice truncatum, glabrum, flavescens lucidum, stylus albus capillaris; stigma stylo plus 3-plo crassius. — Altitudine 2—4000 ped. supra occurit in Javae montibus umbrosis.

β. *foliis maculatis*, Nomen sund.: *H. k. blàng* } varietatem
γ. *foliis pictis*, — — *H. k. túlis* }

utramque in sylvis littoralibus australibus Bantam provinciae Javae occidentalis altitudine supra dicta reperi anno 1841.

54. DIANELLA MONTANA Bl. β. LATIFOLIA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1160. Meisn. Gen. 402.

Char. Spec. cf. Bl. En. 13. Schlt. VII. 350 et 1677. Hsskl. Pugill. 3.

Descrpt. *Folia* 1,5—1,6 poll. láta, pars inferior folii Schlt. l.c. est vagina compressa equitans 0,7 poll. láta; *pedun-*

culus communis 2,0—2,5 ped. longus subteres, uno latere versus basin angulato-submembranaceus subscabridus; ramuli inflorescentiae inferiores subteretes, superiores leviter angulosi vix scabridi, inferioros 8 poll., superiores 2—1 poll. longi; racemuli singuli 6—8-flori; *pedicelli* bracteola carinato-acuminata viridi suffulti, 0,3—0,5 poll. longi patentes glabri; *perigonii* foliola exteriora extus viridi-fusca, intus lurido-albida, subconcava, ovato-lanceolata, acuta, interiora alterna petaloidea albida, dorso medio extus flavescentia, omnia erecto-patentia, subaequalia, persistentia, marcescentia; *stamina* hypogyna vix imo perigonio inserta; filamenta adscendenti-curvata, plana viridiuscula, germen dimidium vix aequilonga, versus apicem paullo latiora, apice in corpusculum ovatum compressum, aurantiacum, glandulosum incrassata; antherae filamento toto aequilongae, 0,15 poll. longae, lineari-lanceolatae, pallide flavae, basi emarginatae, filamenti apici insidentes, acuminatae; loculi basi divergentes; *germen* pyramidato-subglobosum viride, lucidum in stylum attenuatum, crassum, subcarnosum, 3-loculatum; gemmulae placentae, crassae 3-gonae, 2-seriatim superposite insertae; stylus albus, e basi flexuoso-geniculata filiformi-subulatus; *fructus* succosi globosi aut irregulariter complanati, 1—3-loculati; *semina* in loculis 4 abortu 2. — Varietas *a. angustifolia* differt: foliis 0,8 poll. latis, multo magis scabris, racemis multifloris etc. cf. Schlt. l. c. — Habitat altitutine 400—5000 ped. supra mare. — Nom. sund.: *A'kar tjamáka.*

SMILACEAE R. BR.

55. EUSTREPHUS LEUCANTHUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1162 juxta *Ruscum* Trnf. Endl. Gen. 1188 ponendum genus! — cf. Msn. Gen. 402.

Diagn. Floribus albidis cernuis, foliis oblongo-lanceolatis!

Descrpt. Frutex scandens humilis ramosissimus; rami teretes compressiusculi virides glabri ramuli subdistichi patentissimi; folia subsessilia, alterna, subdisticha, ob-

vix longitudine antherarum dein nigrescens; stylus emarcidus saepius persistens.

PONTEDERIACEAE A. RCH.

49. MONOCHORIA VAGINALIS Prsl.

Char. Famil. cf. Msn. Gen. 397. Endl. Gen. p. 137. Knth. En. IV. 118, laciniae autem perigonii ante anthesin nullo modo spiraliter convolutivae sed planae imbricativae; stigma obsolete 3-lobum, nec 6-lobum; testa albumini haud adhaerens.

Char. Gen. cf. Knth. En. IV. 132. Msn. Gen. 398. Endl. Gen. 1088. *b.* β, sed laciniae perigonii exteriores, uti Roxburghius recte delineavit angustiores, anthera sexta discolor, stylus haud persistens, sed vix baseos rudimentum capsulam terminans; Hsskl. Dec. 29 ad fin.

Char. Spec. Knth. En. IV. 134. 4, anthera autem longior coerulescens, omnes conformes, germen evidenter 3-loculare, testa recens albumini haud adhaerens; *Pontederia* L. Bl. En. 32. 1. *Olus palustre* Rmph. amb. VI. 178. t. 75. 1 icon pessissima, quae forsan majore jure ad *P. paucifloram* Bl. En. 33. 2 adscribenda esset.

Descrpt. Herbae palustres prope *Weltevreden* copiosae in fossis et ad margines aquarum stagnantium, ab incolis pariter Malaïis ac Sundensibus *E'tjeng* dictae et recentes uti decoctae ad oryzam coctam lubenter cibos adhibitae, elegantes, robustae, caespitosae; *radices* fibrosae, e basi caulis spiraliter dispositae, vaginasque perforantes albidae, flexuosae, spongiosae, 2—4 poll. longae, fibrillis tenuissimis ramosis intermixtae et obsitae; *caulis* vaginarum basi obtectus et occultus, valde abbreviatus ramosus; *rami* erecti aut erecto-patentes, a caule subradiatim divergentes 2—8, basi vaginis in ramis pauci-ramosis foliosis, in multi-ramosis subaphyllis obtecti, ex earum axillis orientes, supra basin nudi, summo apice folio florali et racemo terminati, semiteretes, externe convexi, interne plani, 9—12 poll. longi, 0,5—0,3 poll. crassi spongiosi, in ima basi, vaginis obtecta, albidi, paullo supra laete persicini et sensim kermesini, in parte nuda basi laete, apicem versus intense virides glaberrimi, luciduli; *cellulae epidermidis* a facie visae lineares utrinque obtuse truncatae, margine tenuissimo integerrimo, in superiore ramorum parte angustiores et utrinque paullo obtuseque attenuatae; *stomata*

inferne nulla in parte viridi sparsa, sed non copiosa oblonga e cellulis lineari-oblongis, obtusis, curvatis, rimam lineari-oblongam utrinque attenuatam, granulosam minus diaphanam cingentibus (an forsan cellulae 4, quarum externae, hyalinae, internas angustissimas granulis decoloribus foetas, arcte sibi adpressas rimulam fingentes cingunt? cf. Schld. l. c. 264 f. 77 et 78, si rimulam ad 0 reductam sumas); *canales aëreae* conformatae e cellulis elongatis, utrinque truncatis, multangulis, ratione lacunarum irregularium parvis, earumque parietes constituentibus; saepe per 3—6 radiatim e fasciculo vasorum divergentes et inde, sed valde irregulariter (fig. 41 Schld. l. c. p. 236) cellulas radiatas simulantes, hinc membrana tenuissima reticulata clausae quae vaso spirali tenuissimo e fasciculo collaterali orto, est percursa; *membrana* haec e cellulis radiatis constans, radiis brevissimis ductus intercellulares, obtuse triangulares nunc subrotundos aut oblongos, sat magnos, in sectione verticali lineares, conformantibus (cf. Schld. l. c. p. 236 f. 42 plane quadrans icon!); *cristalli* (rhaphides cf. Schld. l. c. 165, 3. *b.*) tenuissimi, fasciculati verticales (an intra cellulam propriam contenti? membrana cellulae mihi haud conspicua!) inter cellulas quae vasorum fasciculum cingunt et parietes canalium constituunt, copiosissimi acutissimi; *chlorophylli granula* in superiore ramorum parte in cellulis pauca sparsa subglobosa minuta; *petioli* basi longiter vaginati; *vaginae* ramos amplectentes, antice apertae et margine, e cellulis transversis constante, tenuissimae, hyalinae, ima basi albidae, supra basin kermesinae, apicem versus viridiusculae et inde fuscae, glabrae, *exteriores* foliiferae, dorso convexae, *interiores* aphyllae, dorso carinatae, 4,0—6,0 poll. longae, 0,6—0,8 poll. crassae, glabrae, tenuissime sulcatae indeque asperulae; *lingula* tenuissima in foliiferis magna ovato-lanceolata, acuminata, 1,0—1,5 poll., in aphyllis 0,3—0,5 poll. longa, ovata, obtusa, petioli et folii loco dorso mucrone viridi subulato plus minus elongato, 0,5—2,5 poll. longo, glabro, flexuoso, subtorto praedita; *petioli* erecti teretes ad apicem et basin intus plani, versus apicem sensim attenuati, 9—11 poll. longi, basi

0,4—0,3—, apice 0,20—0,15 poll. crassi, glaberrimi, virides, sublucidi, fistulosi, spongiosi, pariter ac rami constructi; *canalis aërea* centralis (fistula) sat magna pariter ac reliquae hanc cingentes membranis transversis intercepta, e plane iisdem cellulis radiatis, ductus intercellulares transverse oblongos aut ovales cingentibus (cf. Schld. l. c. p. 236 f. 43, quod ad ductus tantum!); *cellulae epidermidis* et *stomata* iis ramorum conformes; *folia* cordata acuminata, lobis baseos subrotundis, altero paullo majore, 3,0—3,5 poll. longa, 2,5—3,0 poll. lata, ramorum juvenilium saepe leviter cordata, ovato-lanceolata, longiter acuminata, 2,0 poll. longa, 1,2 poll. lata, a puncto insertionis radiatim tenuissime nervoso-striata, nervo medio vix prominulo, utrinque glabra, opaca, supra intense, subtus pallide subglaucescenti-viridia; *cellulae epidermidis* paginae utriusque subconformes a facie visae plerumque 5-, nunc 4—6-gonae, margine tenui, lateribus rectis nunc curvatis; *stomata* plurima ovalia, caeterum iis jam descriptis conformia, sed majora; *cellulae* binae vacuae, exteriores oblongae, curvatae, interiores concentricae, granulis foetae, lineares nunc curvatae hiantes, rimulam angustam ellipticam cingentes, nunc margine interiore contiguae rimulam claudentes; *parenchyma* sub folii epidermidi quadrato-reticulatum lacunosum; *folium florale* solitarium erectum, ramo florifero continuum, foliis reliquis subconforme; *petiolus* basi vaginans, vagina 2 poll. longa et supra vaginam lingula brevissima, acuta aut subulata, 0,05—0,20 poll. longa terminata hiante (spatha *Aroidearum*) et dein paullo supra basin decidua, supra *vaginam* teres et summo apice complanatus, 4—5 poll. longus, caeterum petiolo communi conformis; *folium* reliquis paullo majus et robustius 5 poll. longum, 4 poll. latum, caeterum conforme; *pedunculus* terminalis ante anthesin valde abbreviatus, erectus, in anthesi 0,4 poll. longus, 0,25 poll. crassus, patenti-erectus, fructifer paullo elongatus 0,5 poll. longus patentissimus, rarius suberectus, laete viridis, glaberrimus, lucidus, racemiferus; *bractea* ad basin racemi (spatha *Iridearum*) nil nisi vagina aphylla, oblongo-lanceo-

lata, subulato-acuminata, basi racemi axin amplectens, primo marginibus imbricatis subconvoluta, clausa racemum totum arcte includens (spadicis instar *Homalonematis* a spatha inclusi), dein hians, vaginae folii floralis opposita, 1,5—2,0 poll. longa, primo laete virens, praeprimis versus marginem tenuissima, margine ipso hyalino, dein magis robusta viridis navicularis persistens, racemum sustinens; *racemus* 15—18 florus; *flores* in spiras 3 congesti, spiris 5-, 6- et 7-floris; *axis communis* 2 poll. longa, ima basi nuda 0,5 poll. longa, 0,2 poll. crassa, laete viridis glaberrima, lucida, apicem versus sensim in pedunculos soluta et attenuata; *pedunculi* erecti teretes 0,4 poll. longi, 0,06 poll. crassi, in axi decurrentes glaberrimi, lucidi, pallide virides, fructiferi subtrigoni, atrovirides, paullo incrassati, structura interiore eadem ac petiolorum, sed non fistulosi et canalis interioris majoris loco tela cellulosa spongiosa a canalibus minoris lucis cinctis; *epidermidis cellulae* eaedem ac ramorum; *perigonium* sat magnum lilacinum, biseriatum, 6-partitum; *laciniae externae* paullo angustiores, caeterum internis conformes, oblongo-lanceolatae, acuminatae, 0,5—0,6 poll. longae, 0,2 poll. latae, dorso nervo medio crasso viridi prominulo percursae, ante anthesin imbricatae, in anthesi companulato-conniventes, subfornicatae, marginibus internarum margines obtegentes; post anthesin apice subconvolutae aut subcontortae et margine emarcidae, nervo medio rigido ultra medium vegeto, persistentes et fructum arcte includentes; *cellulae* epidermidis iis folii subsimiles, sed minores et papullosae succo lilacino foetae; *stamina* 6, ima basi laciniarum perigonii adnata, iisque opposita subadscendenti-erecta, per paria approximata, 5 aequalia, 6-tum difforme majus; *filamenta* lilacina, complanata, basi dilatata, apicem versus subulato-attenuata, 0,15 poll. longa, 0,03 poll. lata, subcurvata; *sextum* inferum duplo latius et paullo longius, apice bifidum, lacinia altera minore acuta, antherifera, altera majore et subcucullata, lanceolata, subinflexa, ananthera; *antherae* omnes fertiles, 5 luteae, erectae, complanatae, lineari-lanceolatae, basi subsagittato-bifidae, apice

obtusae, subbilobae, 0,09 poll. longae, 0,02 poll. latae, biloculatae; *loculi* teretes paralleli contigui, connectivo tenuissimo adnati, e cellulis angustissimis longitudinaliter seriatis transverse striati, longitudinaliter ad latera connectivo opposita dehiscentes; *pollen* lineari-ellipticum flavescens sat magnum, striis (rimis?) tribus hyalinis longitudinaliter notatum, aqua satiatum oblongum, utrinque obtusum, dein ovale glabrum, fovillam in saccum, pollinis membranam externam haud explentem, ellipticum continens et inde, uti seminis raphe altero latere notatum, in immaturo autem saccus internus intra membranam externam totus liber; *cellulae* adsunt pollini interspersae teretiusculae, utrinque truncatae fasciculum cristallorum, jam supra laudatorum, continentes liberae, tenuissimae, hyalinae, polline duplo longae, eoque aqua satiato paullo latiores; *fovilla* copiosa, granulosa; *anthera sexta* eadem ac reliquae forma sed major, 0,15 poll. longa, 0,06 poll. lata, lilacina et polline copioso conformi, fovilla copiosa farcto foetum; *germen* subtrigonum ovatum, viride glabrum, sublucidum, 0,15 poll. altum, 0,12 poll. crassum, 3-loculatum; *receptacula* (placentae) 3, centro radiatim inserta eique adnata ibique attenuata, antrorsum dilatata, sectione transversali subcordata, undique gemmulis copiosis tecta; *septa* receptaculorum medio ad incisuram inserta, tenuia obliqua; *gemmulae* horizontales obovato-oblongae, albidae, glabrae; *stylus* teretiusculus subtrigonus, apicem versus attenuatus, lilacino-albidus, oblique insertus, germinis longitudine; *stigma* albidum capitatum, obsolete 3-lobum, papillosum; *papillae* cylindricae patentes tenuissimae, hyalinae, sub apice paullo constrictae et inde apice capitellatae; *fructus* primo toti, dein ad medium tantum perigonii laciniarum nervis vegetis viridibus adpressis suffulti, subtrigono-ovati, 0,4 poll. alti, 0,3 poll. crassi, apice styli basi rudimentaria apiculati, leviter 3-sulcati, virides lucidi, dein nigrescentes inflati (indehiscentes?), cum perigonio ab apice pedunculorum persistentium decidui (aut nunc persistentes? 3-valves, valvis septiferis?), epicarpio carnoso-membranaceo tenui, 3-loculati; *septa* e su-

turis orta, viridia, tota bilamellata, lamellis divergentibus, ad margines laciniarum divergentium receptaculorum bipartitorum transeuntibus et sic loculos 3 clausos, a pericarpio solutos et solummodo in suturis cohaerentes, e dimidiis loculorum collateralium consistentes formantia, ita ut fructus fiant cavi et semivacui; *receptacula* 3 albido-flava, profunde bipartita et inde 6 per paria basi cohaerentia fingentia, singula longitudinaliter 6-sulcata et in sic ortis elevationibus undique semina gerentia, spongiosa, cristallis supra dictis foeta; *semina* minuta, oblongo-obovata, flavo-fusca, copiosa, ope funiculi umbilicalis brevis inserta, horizontalia, apice apiculata, striis 12 elevatis longitudinalibus ab apice ad basin percurrentibus badiis notata, altero latere raphe hyalina praedita, glabra, sublucida, albuminosa; *testa* membranacea tenuis transverse striata; *albumen* liberum, periphericum, candidum, farinosum e granulis copiosis, minutis, oblongis, cuneatis, altero latere exsculptis, cavis subcupuliformibus (cf. Schld. l. c. p. 178 f. 8), ope tinctura Jodii coeruleis constans; *embryo* cylindricus longitudine albuminis; *radicula* paullo incrassata, in seminis parte inferiore versus hilum spectans. — Mense Aprili ad Majum flores fructusque gerentem reperi. — 1846.

50. MONOCHORIA PAUCIFLORA Knth.

Char. Spec. cf. Knth. En. IV. 135. 7. *Pontederia* Bl. Hsskl. Dec. 29 a praecedente e descriptione Roxbrgh. Schlt. VII. 1146 differt hisce notis:

Descrpt. Foliis 2,25 poll. longis, 1,75 poll. latis; ramis semiteretibus, 4—6 poll. longis, umbelliferis, vaginae petioli folii floralis 0,9 poll. longa, e qua umbellula; lingula vaginae petiolorum fere pollicari, ovato-truncata, concava purpurascenti; bractea ovato-lanceolata, acuminata, foliacea, patente ad apicem pedunculi 0,2—0,3 poll. longi, umbelliferi, erecti, 5-flori teretis; pedicellis 1,0 poll. longis, punctatis, gracilibus, floribus perigonio gamophyllo, tubo brevissimo, patente diametro 0,8 poll., foliolis 0,5 poll. longis, aequilongis, oblongo-lanceolatis, a basi patentibus; staminibus


obtusae, subbilobae, 0,09 poll. longae, 0,02 poll. latae, biloculatae; *loculi* teretes paralleli contigui, connectivo tenuissimo adnati, e cellulis angustissimis longitudinaliter seriatis transverse striati, longitudinaliter ad latera connectivo opposita dehiscentes; *pollen* lineari-ellipticum flavescens sat magnum, striis (rimis?) tribus hyalinis longitudinaliter notatum, aqua satiatum oblongum, utrinque obtusum, dein ovale glabrum, fovillam in saccum, pollinis membranam externam haud explentem, ellipticum continens et inde, uti seminis raphe altero latere notatum, in immaturo autem saccus internus intra membranam externam totus liber; *cellulae* adsunt pollini interspersae teretiusculae, utrinque truncatae fasciculum cristallorum, jam supra laudatorum, continentes liberae, tenuissimae, hyalinae, polline duplo longae, eoque aqua satiato paullo latiores; *fovilla* copiosa, granulosa; *anthera sexta* eadem ac reliquae forma sed major, 0,15 poll. longa, 0,06 poll. lata, lilacina et polline copioso conformi, fovilla copiosa farcto foetum; *germen* subtrigonum ovatum, viride glabrum, sublucidum, 0,15 poll. altum, 0,12 poll. crassum, 3-loculatum; *receptacula* (placentae) 3, centro radiatim inserta eique adnata ibique attenuata, antrorsum dilatata, sectione transversali subcordata, undique gemmulis copiosis tecta; *septa* receptaculorum medio ad incisuram inserta, tenuia obliqua; *gemmulae* horizontales obovato-oblongae, albidae, glabrae; *stylus* teretiusculus subtrigonus, apicem versus attenuatus, lilacino-albidus, oblique insertus, germinis longitudine; *stigma* albidum capitatum, obsolete 3-lobum, papillosum; *papillae* cylindricae patentes tenuissimae, hyalinae, sub apice paullo constrictae et inde apice capitellatae; *fructus* primo toti, dein ad medium tantum perigonii laciniarum nervis vegetis viridibus adpressis suffulti, subtrigono-ovati, 0,4 poll. alti, 0,3 poll. crassi, apice styli basi rudimentaria apiculati, leviter 3-sulcati, virides lucidi, dein nigrescentes inflati (indehiscentes?), cum perigonio ab apice pedunculorum persistentium decidui (aut nunc persistentes? 3-valves, valvis septiferis?), epicarpio carnoso-membranaceo tenui, 3-loculati; *septa* e su-

turis orta, viridia, tota bilamellata, lamellis divergentibus, ad margines laciniarum divergentium receptaculorum bipartitorum transeuntibus et sic loculos 3 clausos, a pericarpio solutos et solummodo in suturis cohaerentes, e dimidiis loculorum collateralium consistentes formantia, ita ut fructus fiant cavi et semivacui; *receptacula* 3 albido-flava, profunde bipartita et inde 6 per paria basi cohaerentia fingentia, singula longitudinaliter 6-sulcata et in sic ortis elevationibus undique semina gerentia, spongiosa, cristallis supra dictis foeta; *semina* minuta, oblongo-obovata, flavo-fusca, copiosa, ope funiculi umbilicalis brevis inserta, horizontalia, apice apiculata, striis 12 elevatis longitudinalibus ab apice ad basin percurrentibus badiis notata, altero latere raphe hyalina praedita, glabra, sublucida, albuminosa; *testa* membranacea tenuis transverse striata; *albumen* liberum, periphericum, candidum, farinosum e granulis copiosis, minutis, oblongis, cuneatis, altero latere exsculptis, cavis subcupuliformibus (cf. Schld. l. c. p. 178 f. 8), ope tinctura Jodii coeruleis constans; *embryo* cylindricus longitudine albuminis; *radicula* paullo incrassata, in seminis parte inferiore versus hilum spectans. — Mense Aprili ad Majum flores fructusque gerentem reperi. — 1846.

50. MONOCHORIA PAUCIFLORA Knth.

Char. Spec. cf. Knth. En. IV. 135. 7. *Pontederia* Bl. Hsskl. Dec. 29 a praecedente e descriptione Roxbrgh. Schlt. VII. 1146 differt hisce notis:

Descrpt. Foliis 2,25 poll. longis, 1,75 poll. latis; ramis semiteretibus, 4—6 poll. longis, umbelliferis, vaginae petioli folii floralis 0,9 poll. longa, e qua umbellula; lingula vaginae petiolorum fere pollicari, ovato-truncata, concava purpurascenti; bractea ovato-lanceolata, acuminata, foliacea, patente ad apicem pedunculi 0,2—0,3 poll. longi, umbelliferi, erecti, 5-flori teretis; pedicellis 1,0 poll. longis, punctatis, gracilibus, floribus perigonio gamophyllo, tubo brevissimo, patente diametro 0,8 poll., foliolis 0,5 poll. longis, aequilongis, oblongo-lanceolatis, a basi patentibus; staminibus



4 minoribus, 2 majoribus, quorum 1 maximo; filamento hujus maximo lato bifido; antheris staminum majorum coeruleis 0,2 poll. longis; stylo oblique inserto declinato, apice adscendente! — Nomen sund.: *E'tjeng.*

LILIACEAE LNDL.

51. LILIUM LONGIFLORUM Thub. β. SUAVEOLENS.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1098. Knth. En. IV. 256. Msn. Gen. 401.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 417. 418. Knth. En. IV. 266. 29 et 30 β. Hsskl. Pugill. 21.

Descrpt. Caulis teres, 2,0—2,5 ped. altus glaber, 2—3-florus rarius 1-florus erectus; folia lineari-lanceolata, 3-nervia, nervo medio crassiore carinata, basi angustata, 3—5 poll. longa, 0,4—0,5 poll. lata, dense sparsa; superiora lanceolata, nervis lateralibus evanidis, summa (saepius) ovato-lanceolata, subverticillata, a reliquis ± remota, omnia subcoriacea, intense viridia, glabra, laevia; flores plerumque 2 rarius 1—3 subumbellati terminales; pedunculi glabri, erecti, laeves paullo recurvi, nunc folio uno praediti; perigonium hexaphyllum tubulato-campanulatum, subnutans candidum, odoratissimum; basi ad duas tertias partes subtubulosum; limbus patens recurvus; foliola 6—8 poll. longa, interiora 3 latiores, exteriora ad pollicem lata, nervo medio intus flavescenti-viridi, extus albescente prominente, interiorum complanato (ita, ut nervus margines foliolorum exteriorum in sulco, hoc modo orto, recipiat et arcte amplectatur, qua re perigonium primo visu gamophyllum ad medium fere sex-partitum videtur!), splendidissima, glaberrima, oblongo-lanceolata, basi spathulato-attenuata, apice obtusiuscula, interiora submarginata; stamina 6; filamenta albescentia, complanata, versus apicem subulata, lutescentia, adscendentia, foliolis minora; antherae erectae, oblongae, vitellinae; germen prismaticum obsolete hexagonum (aut potius trigonum, lateribus impressis sulco longitudinali), tertiam partem styli longum, laevissimum, viride; stylus viridi-lutescens filiformis, crassus, versus apicem clavatus, fila-

menta excedens; stigma valde crassum tricolle revolutum, capitato-3-lobum. — E *Japonia* introducta in horto Bogoriensi, inde pariter ac plurimae plantae Japoniae in hortum supplementarium ad *Tjipannas*, 3450 ped. supra mare elatum translatae uberrimae vegetant!

52. SANSEVIERA FLEXUOSA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1113. Msn. Gen. 398.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 360 et 1678. Hsskl. Dec. 30.

Descriptioni Schlt. l. c. addenda: Folia rami florentis 10—11 poll. longa, 1 poll. lata; panicula terminalis 10 poll. alta, 4 poll. lata, recta tota glabra; rami alterni solitarii patentes adscendentes subcompressi racemoso-multiflori, 1—3 poll. longi, versus apicem decrescentes; bracteae infimae nil nisi folia minora; superiores membranaceae marcescentes patentes, ramo adpressae, lanceolatae, acuminatae, planiusculae, parce nervosae, sordide stramineae, ad magnitudinem minutam decrescentes; flores 2—3-ni ex axillis bractearum ovatarum, acuminatarum, membranacearum, concavarum, fuscescentium, 0,1—0,2 poll. longarum; pedunculi liberi erecto-patentes teretiusculi, 0,2—0,3 poll. longi, laterales basi bracteola minuta, subtruncata, membranacea fulti; perigonium 1,0 poll. longum, pallide flavum; tubus 0,3—0,4 poll. longus, subangulatus, faucem versus leviter constrictus, basi paullo inflatus; laciniae lineares canaliculatae, subtortae, obtusiusculae, glabrae, defloratae, subsquarroso-patentes; stamina subaequalia laciniarum basi inserta easque subaequantia; filamenta linearia filiformia, membranacea, subundulata, apice subulata glabra; antherae oblongae pendulae basi ad ⅓ usque bifidae apice emarginatae, pallide luteae, 0,1 poll. longae; germen obverse oviforme, 6-sulcum glabrum croceum, in stylum apice attenuatum; stylus filiformis, filamentis paullo longior albus; stigma crassum, leviter 3-lobum. — Nomen sund. hujus et sequentis speciei: *Hánjuang kasíntu.*

53. SANSEVIERA JAVANICA Bl.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 360 et 1678. 16. Hsskl. Pugill. nov. 2.

Descriptioni addenda habeo haecce: Folia praeprimis subtus lucida, breviter sed rigide acuminata, ramorum sterilium uberiorum 5—8 poll. longa, 2,0—2,5 poll. lata, ramorum floriferorum, 3—5 poll. longa, 1,5—1,7 poll. lata, oblongo- s. elliptico-lanceolata; versus basin in uberioribus canaliculata in petiolum vaginantem latum vix tortum attenuata; petioli in ramis floriferis graciles, tenues, semitorti; panicula 6 poll. alta, basi 4—5 poll. lata, rami inferiores adscendentes 3—4 poll. longi; bracteae ramorum inferiores 3—4-, superiores 2—1-florae flavescentes; pedicelli liberi erecto-patentes s. erecti, 0,4 poll. longi, basi graciles teretes, supra medium articulati; et dein obverse-conico-incrassati, flavescenti-virides, singuli basi bracteola subrotunda, acutiuscula, convoluta inclusi; perigonium 0,7—0,8 poll. longum, flavescenti-viride; *tubus* supra basin subinflatus 0,4 poll. longus versus faucem constrictus, laciniae lineares basi angustiores canaliculatae, filamenta recipientes, apice concavae, crassiusculae, laeves, exteriores interioribus aequilatae, omnes erecto-patentes subflexuosae; stamina *S. fruticosae* (cf. Schlt. l. c. 1679) sed laciniis breviora; germen oblongo-subcylindricum obsolete 6-sulcum, apice truncatum, glabrum, flavescens lucidum, stylus albus capillaris; stigma stylo plus 3-plo crassius. — Altitudine 2—4000 ped. supra occurit in Javae montibus umbrosis.

β. *foliis maculatis*, Nomen sund.: *H. k. blàng* } varietatem
γ. *foliis pictis*, — — *H. k. túlis* }
utramque in sylvis littoralibus australibus Bantam provinciae Javae occidentalis altitudine supra dicta reperi anno 1841.

54. DIANELLA MONTANA Bl. β. LATIFOLIA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1160. Meisn. Gen. 402.
Char. Spec. cf. Bl. En. 13. Schlt. VII. 350 et 1677. Hsskl. Pugill. 3.

Descrpt. *Folia* 1,5—1,6 poll. lata, pars inferior folii Schlt. l. c. est vagina compressa equitans 0,7 poll. lata; *pedun-*

culus communis 2,0—2,5 ped. longus subteres, uno latere versus basin angulato-submembranaceus subscabridus; ramuli inflorescentiae inferiores subteretes, superiores leviter angulosi vix scabridi, inferioros 8 poll., superiores 2—1 poll. longi; racemuli singuli 6—8-flori; *pedicelli* bracteola carinato-acuminata viridi suffulti, 0,3—0,5 poll. longi patentes glabri; *perigonii* foliola exteriora extus viridi-fusca, intus lurido-albida, subconcava, ovato-lanceolata, acuta, interiora alterna petaloidea albida, dorso medio extus flavescentia, omnia erecto-patentia, subaequalia, persistentia, marcescentia; *stamina* hypogyna vix imo perigonio inserta; filamenta adscendenti-curvata, plana viridiuscula, germen dimidium vix aequilonga, versus apicem paullo latiora, apice in corpusculum ovatum compressum, aurantiacum, glandulosum incrassata; antherae filamento toto aequilongae, 0,15 poll. longae, lineari-lanceolatae, pallide flavae, basi emarginatae, filamenti apici insidentes, acuminatae; loculi basi divergentes; *germen* pyramidato-subglobosum viride, lucidum in stylum attenuatum, crassum, subcarnosum, 3-loculatum; gemmulae placentae, crassae 3-gonae, 2-seriatim superposite insertae; stylus albus, e basi flexuoso-geniculata filiformi-subulatus; *fructus* succosi globosi aut irregulariter complanati, 1—3-loculati; *semina* in loculis 4 abortu 2. — Varietas *a. angustifolia* differt: foliis 0,8 poll. latis, multo magis scabris, racemis multifloris etc. cf. Schlt. l. c. — Habitat altitutine 400—5000 ped. supra mare. — Nom. sund.: *A'kar tjamáka.*

SMILACEAE R. BR.

55. EUSTREPHUS LEUCANTHUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1162 juxta *Ruscum* Trnf. Endl. Gen. 1188 ponendum genus! — cf. Msn. Gen. 402.

Diagn. Floribus albidis cernuis, foliis oblongo-lanceolatis!

Descrpt. Frutex scandens humilis ramosissimus; rami teretes compressiusculi virides glabri ramuli subdistichi patentissimi; folia subsessilia, alterna, subdisticha, ob-

longo-lanceolata $\left\{\begin{matrix}1,5-2,5 \text{ poll. longa}\\0,2-0,3 \text{ poll. lata}\end{matrix}\right\}$, integerrima, 9—11 nervia, glaberrima, sublucida, pallide viridia, subglaucescentia; pedunculi axillares bini nunc 1—3-ni, 1-flori, apice cernui; flores hermaphroditi; perigonium persistens 6-phyllum albido-coloratum; foliola aequilonga, interna margine fimbriata, patentissima, apice revoluta, externa suberecta; filamenta in tubum cylindricum, truncatum viridem, germinis stipitem cingentem connata; antherae 6 sessiles terminales conniventes introrsae, basi sagittato-dilatatae, apice subulato-attenuatae, loculi ab apice basin versus laterali rima dehiscentes; germen stipitatum, 3-loculatum; stylus cylindricus exsertus; stigma obtuse trilobum. — Per annos sex semper florentem nec unquam fructiferum observavi; species an introducta? an Javae incola?

OPHIOPOGONEAE ENDL.

56. PELIOSANTHES JAVANICA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1194, qui jam incaute sejunctum dicit ab hoc genere *Bulbospermum* Bl. En. 15. Schlt. VII. 363. Endl. Gen. 1193.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. p. 298, Adnot. 170. 1.

Descrpt. Pedunculi in anthesi cernui, fructigeri erecti, perigonium lurido-viridi-lilacinum, siccando viridiusculum, marcescenti-deciduum (nec persistens fructus plures cingens!). Germen triloculatum, profunde longitudinaliter trisulcum; gemmulae in loculis 4 basifixae collaterales; stylus unicus triqueter (e 3-bus connatis) crassiusculus, germini continuus; stigma minutum radiato-trifidum; fructus abortu 1-loculati, oviformes 1-spermi (abortu?); semen fructum totum implens, oviforme, pericarpio dein disrupto liberum; albumen carnosum, crassum; embryo basilaris minutus; radicula versus basin spectans. — In sylvis montanis litoralibus australibus provinciae *Bantam* Javae occidentalis frequens. Nom. sund.: *Pöpötjángan léüt* (litteralis).

HYDROCHARIDEAE R. BR.

57. HYDRILLA ANGUSTIFOLIA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1208 et Sppl. III p. 59, ubi recte *Hydrospondylus* meus (Msn. Gen. 366 et Sppl. 355. 27/1) huc refertur); flores autem monoici, spatha staminigera haud irregulariter rupta sed bifida; perigonii foliola interioribus floris pistilligeri angustiora; gemmulae superiores pendulae; bacca succo glutinoso foeta.

Char. Spec. cf. Hsskl. l. c. in Endl. et Msn. ll. supra cit. Hsskl. Catal. 1129. 1, ubi gemmulas 6—8 et stigmata 3—4 laudavi, pariter ac sepala et petala 3 pro perigonii laciniis 6 biseriatis.

Descrpt. Herbae aquaticae in lacubus et stagnantibus prope *Weltevreden*, prope *Buitenzorg* (860 ped. supra mare elat.) et ad pedem montis ignivomi *Gedeh* (altitudine 3500 ped. supra mare) copiosae et *Potamogetones* europaeas repraesentantes; *Najadi indicae* L. intermixtae fluitantes; *caulis* fluitans abbreviatus ramos 10 et plures radicesque plurimas verticillatim emittens; *radices* longae debiles filiformes simplices glabrae, apice spongiola longa calyptraeformi acminata tectae; *rami* elongati ad 2 ped. et ultra longi teretes glaberrimi, nodosi, nec articulati, pariter verticillatim ramosi; *folia* verticillata, infima 3—4-, superiora 5—7-na, inferioras quamaeformia, oblongo-lanceolata, acuminata, adpressa, superiora linearia patentissima, 0,3—1,2 poll. longa, 0,07 poll. lata acuta, margine undulata et minute mucronulato-serrata; *flores* pistilligeri et staminigeri in eodem ramo, sed diversis ramulis ultimis, an forsan in eodem ramulo seriori tempore egredientes? *spathae* florum staminigerorum sessiles in axilla quaque foliorum 5—7; *spatha* submersa, depresso-subglobosa, subtrigona, tenerrima, 0,2 poll. alta, vertice muricata, persistens, dein vertice bivalvis; *valvae* aequales foliis parallelae; *flos* breviter pedunculatus intra spatham, dein deciduus, natans liber; *perigonium* biseriatum hexaphyllum; *foliola exteriora* 3, ante anthesin valvata, in anthesi elastice (instar capsulae 3-coccae) resilientia, semiglobosa, atroviridia, sepaloidea, glaberrima, nitida, apice vix acutiusculo; *interna* 3 petaloidea alterna linearia, lutescenti-hyalina, tenerrima, nitida, inflexa, antheras fornicatim obte-

gentia, apice summo subrecurva, hyalina, dein tota recurva; *filamenta* 3 brevia erecta, laciniis perigonii exterioribus opposita, alba; *antherae* subgloboso-reniformes luteae 2-loculatae, elastice dehiscentes; *pollen* globosum sat magnum album; *spatha* floris pistilligeri primo conica, cylindrica, 0,02 poll. longa, tenerrima, basi extus pilis teneris cincta, dein cylindrica, acuta, postremo apice lateraliter rumpens 0,2 poll. longa; *flos pistilliger* in basi spathae sessilis, primo e basi crassiore cylindricus, apice clavatus, dein perigonii tubo elongato, spatha rupta exsertus, germine intra spatham remanente; *perigonium* germini adnatum, supra id constrictum in tubum tenuissimum gracilem flexuosum, hyalinum, 2 poll. longum; *limbus* ante anthesin clavatus, obtusiusculus, dein patentissimus, hexaphyllus, hyalinus, in aquae superficie natans; *foliola* uninervia biseriata, *exteriora* obovato-oblonga, basi cuneata, apice concaviuscula hamulata, *interiora* angustiora, obovato-linearia, obtusiuscula; *germen* lineare-oblongum, 1-loculatum; *gemmulae* 3—5, inferiores adscendentes, superiores pendulae; raphe crassa gemmulas semicingens; *stylus* longissimus, in tubo perigonii inclusus, nec adnatus, capillaris; *stigmata* 3 in fauce perigonii exserta divaricata, oblongolineria, viridia, crassiuscula, tota papillis longis, obtusis, hyalinis tecta aut potius cellulis obtusis marginalibus haud adpressis sed patentibus, chlorophylli granulos pauciores tantum continentibus, e quorum motione circulatio succi optime conspicienda; *fructus* baccatus indehiscens cylindricus viridis, 0,6 poll. longus, in stylum vegetum attenuatus, basi tuberculato-muricatus, versus apicem spinulis muricato-ramosis, patentissimis, sat crassis obsitus, 1-loculatus, succo glutinoso, hyalino foetus; *semina* 5 ope fili umbilicalis brevis, sub apice inserti superiora pendula, inferiora erecta, albida glabra, elliptica, oblonga, utrinque attenuata, apice acuminatissima, 0,1 poll. longa, 0,02 poll. crassa; *membrana externa*, crassa viridiuscula, coriacea, glabra, extus tessellata, tessellae sublente forti sunt cellulae globulos oblongos (amylum) 5—6 conglobatos continentes dodecaëdrae; *interna* hyalina, tenerrima;

embryo crassus amylo foetus monocotyledoneus. — Mensibus Januario ad Junium 1846 et omnibus reliquis mensibus, exceptis forsan ad littora mensibus (Julio et Augusto) calidissimis flores, fructusque gerens.

HYPOXIDEAE R. BR.

58. CURCULIGO RECURVATA DRYAND.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1263. Msn. Gen. 397, — sed perigonii tubus dein incrassatus stylique basi adnatus, trigonus subturbinatus, limbus persistens marcescens, filamenta fauci inserta, gemmulae in loculis 10, serie duplici verticali; stylus laciniis limbi vix brevior subtrigonus.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 757 et 1719. Hsskl. Dec. 33.

Descrpt. addenda haecce: Petioli glabri profunde canaliculati, 3—5 poll. longi, versus basin in vaginam caulem amplectentem rufo-villoso-pubescentem dilatati; pedunculi ancipites, longitudine fere vaginarum, 3—4 poll. longi, rufescenti-villoso-tomentosi, superne recurvi; bracteae lanceolatae, acuminatae margine (costaque media infimarum carinata) antrorsum rufescenti-ciliatae, apicem versus ciliis numerosioribus et longioribus, laete virides, glabrae nitidae, intus 5-nervosae, floribus paullo longiores; flores plurimi; calyx in alabastro rufovillosus, imbricatus trigono-obovatus; tubus (vid. supr.) rufotomentosus, ad faucem incrassatus parum constrictus; limbi laciniae exteriores interioribus paullo longiores et angustiores, extus villosae interiores extus linea media villis rufis; antherae ante et post anthesin plane liberae! (nec adhaerentes Schlt.), introrsae conniventes, dein patentes; connectivum validum luteum dein nigrescens; loculi paralleli, longitudinaliter intus rima dehiscentes, luteo-, defloratae sulphureo-marginati; germen trigono-turbinatum hinc inde complanatum (revera tubus calycis) intra tubi partem inferiorem; stylus staminibus vix longior, apice incrassatus, stigma trilobum. — Nomen sund.: *Marássi* s. *Parássi*.

AMARYLLIDEAE R. BR.

59. AMARYLLIS (ZEPHYRANTHES) TUBISPATHA Herit.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1273. Msn. Gen. 393.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 798. 2 descrpt. Ker, a qua *Poirettianum* specimen distinctum esse videtur; an Keriana forsan magis adfinis *A. chloroleucae* Ker? — Hsskl. Pugill. 4. — Nostra quoad corollam et spatham ad posteriorem (Schlt. l. c. 796. 1) ducenda videtur.

A descriptione supra laudata nostra differt hisce: Folia 6 poll. longa, 0,2 poll. lata apice plana, medio concaviuscula viridia; petioli 5—6 poll. longi; spatha laete sanguinea, segmentis acuminato-subulatis, in fructiferis pedunculis emarcido-evanida, 1,2 poll. longa; pedicellus florifer 0,9—1,0 poll. longus; fructifer, 1,4 poll. longus erectus; perigonium 1,4 poll. longum, parte inferiore 0,5—0,6 poll. longa viridi, superiore candida, summo apice stria purpurascente vix conspicua notata; laciniae exteriores 0,5, interiores 0,4 poll. latae acutae, ad apicem intus minute tuberculato-mucronatae; stamina erecta conniventia; filamenta alterna breviora basi viridia, apice candida 0,6—0,9 poll. longa; antherae 0,5 poll. longae; stylus 1,3 poll. longus candidus, basi viridiusculus; stigmata 3 linearia, unicum longius revolutum; capsula 3-loculata, sub-3-cocca; semina in nostro specimine semper sterilia evadunt! — A botanophilo divo *Blattermann* benevole horto Bogoriensi communicata; undenam allata mihi ignotum.

60. AMARYLLIS RADIATA Herit.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 831 — diagn. bona! — descriptio a nostro specimine paullo diversa: bulbo minore, magnitudine ovi columbini, pallide fusco, foliis paullo latioribus, pedunculo forsan breviori, floribus 4—5, pedicellis brevioribus, perigonio horizontaliter patente, tubo subnullo.

Descrpt. Bulbus oviformis, magnitudine ovi gallini utrinque angustatus subnigrescens; folia bifariam fasciata 0,2 — 0,3 poll. lata, obtusiuscula subglaucescentia; subtus nervo medio carinata 1—2 ped. longa, caespitosa, suberecta; pedunculus terminalis, foliis vix longior rubescens teres compressiusculus, obsolete angulato-striatus umbellifer; umbella

4-bracteata; bracteae binae exteriores majores, omnes dein marcescentes reflexae, pedunculo adpressae; pedicelli trigoni crassi rubescentes, patentes bracteis plus duplo breviores, 1,0 poll. longi, apice incrassati obsolete trigono-globosi; perigonium tubo 0,25 poll. longo sexpartitum; laciniae 1-seriatae, lineari-lanceolatae, purpureae, apice ± albescentes, integerrimae, subundulatae erectae, dein verticali-patentes apice reflexae aut revolutae, 5 saepe superiores, unica inferior et inde florem subirregularem subbilabiatum referentes, 1,5 poll. longae, 0,2—0,3 poll. latae; stamina 6 ante anthesin tridyma dein subaequalia; filamenta descendentia aut horizontalia versus apicem adscendentia, laciniis calycinis vix duplo longiora, basi purpurea, apice rosea; antherae medio dorso affixae erectae, dein incumbentes versatiles biloculatae atropurpureae; pollen luteum; germen perigonii fundo tubuloso adnatum triloculatum; stylus filiformis filamentis aequilongus; stigma obtusiusculum minutum.

61. AMARYLLIS FULGIDA Ker.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 821. — An species hybrida forsan?

Descrpt. Folia (in specimine florifiero) pauca subcanaliculato-compressa, subfalcata 1,0 poll. lata, 12 poll. longa; pedunculus terminalis, 1,5—2,0 ped. longus, crassus fistulosus, teres basi rubescens pruinosus, apice paullo attenuatus umbellifer; umbella 2—4-flora bracteata; bracteae binae externae, basi connatae, maximae rubentes, pedicellis plus duplo longiores, suberectae, lanceolatae, margine inflexae, dein marcescentes reflexae, pedunculo adpressae; internae 2—4 plus minus lanceolato-acuminatae, exterioribus alternae, minus coloratae, quartam partem minores; pedicelli obsolete trigoni, virides 1,5 poll. longi, apice incrassati, erecti; perigonium primo erectum dein patens; tubus supra germen genuflexus, brunneus ad germen atroviridis; limbus infundibuliformis 6-partitus, subbiseriatus, laciniae 3 exteriores latiores sub apice hamulatae, omnes spathulato-lanceolatae, 2,5 poll. longae, 1,0 poll. latae, supra intense miniatae, stria media 0,2—0,3 poll.

lata ad medium viridi flavescenti uti et fundus calycis, nervis undulatis saturatioribus, margine undulato-crispulis, subtus laetiores, stria media brunnea, dein supra fere purpureae margine hinc albido-striatae; stamina 6 fauci inserta laciniis dimidio breviora; filamenta arcuata primo de-, dein adscendentia, roseo-miniata, filiformia, apice subulata; antherae lilacinae, medio dorso affixae, incumbentes versatiles; pollen flavescens; germen adnatum triloculatum; gemmulae plures in loculo quoque biseriatae; stylus basi tubo adhaerens, descendens, versus apicem rubens adscendens filiformis, filamentis longior; stigma albidum obtuse trilobum dein tripartitum, laciniis revolutis; capsula pulvinata depresso-sphaerica quasi umbraculata; valvae medio septifera, serie duplici alternatim seminiferae; semina obovata, complanata, papyracea; integumentum exterius nigrum cavum; albumen conforme subcorneum.

62. CRINUM LORIFOLIUM-LONGIFOLIUM Schlt.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1276. Msn. Gen. 394.
Char. Spec. cf. Schlt. VII. 875 et 874 — forsan hybrida e speciebus diversis ad *C. capense* et *erubescens* pertinentibus!

Descrpt. Folia lorato-lanceolata inferne 2 poll. lata, 3—4 ped. longa, canaliculata striata, flexuosa, margine serrulato-scabra, glaucescentia; pedunculus 2 ped. longus compresso-teres, 0,4—0,5 poll. crassus pallide viridis, rore glauco tectus; spatha bifida umbellifera: umbella 12—16-flora bracteosa; bracteae lineares; pedicelli crassi solidi, 1—3 poll. longi, compresso-teretes aut obsolete trigoni; tubus perigonii basi germini adnatus, oviformi-incrassatus, 0,3—0,5 poll. longus, dein constrictus, glaberrimus haud sulcatus aut striatus, limbus ima basi curvatus, infundibuliformis, subcampanulatus, 3,5—4,5 poll. longus, 6-fidus, odoratissimus; basi ad lacinias 2,0—2,5 poll. longus, pallide viridis aut rubens; laciniae 3 exteriores paullo angustiores acuminatae, 3 interiores calloso-obtusiusculae, ovato-lanceolatae, albidae, stria media 0,2—0,3 poll. lata, viridi aut rosea, ad apicem subevanida, 1,5—2,0

poll. longae; stamina 6 inclusa; filamenta inaequalia descendenti-assurgentia alba aut rosea; antherae apertae semi-lunares versatiles; pollen albidum; stylus staminibus conformis sed longior, lacinias perigonii aequans; stigma obtusum trilobum papillosum; fructus carnosus, dein siccus, depresso-globosus diametro 1 poll., trilocalatus, loculis monospermis, seminibus crassis, hemisphaericis 0,5—0,7 poll. diametro, umbilico centrali excavato, — aut trigono-globosus, diametro 2 poll., loculorum dissepimentis, subevanidis, seminibus 16—∞ varie formatis angulatis; — cotyledones crassissimae carnosae; gemma horizontalis, oblonga centralis.

68. CRINUM ZEYLANICUM Ker.

Char. Spec. Schlt. VII. 857.

Descrpt. Bulbus crassus; folia lato-fasciata, apice lanceolata, 3—4 poll. lata, ad 3 ped. longa, basi sub-canaliculata; pedunculus crassus 3 ped. longus, solidus, obsolete compressus ruber albido-pruinosus spiraliter tortus (ita ut pedunculus orbem totum describat) umbellifer bracteatus; bracteae 2 exteriores lato-lanceolatae oppositae, longitudine fere tubi calycini; umbella 10—15-flora bracteolata; bracteolae lineari-lanceolatae, longitudine bractearum pariter axillae rubentes; flores subsessiles; pedicelli 0,2—0,3 poll. longi complanati, 0,2—0,3 poll. lati et 0,1 poll. crassi; perigonii fragrantis tubus basi germini adnatus, supra basin longissimus flexuosus 2,0—2,5 poll. longus extus rubro-striatus, intus filamentis adnatus, viridi-flavescens, limbus sexpartitus; laciniae aequales, 3 exteriores spathulatae, apice lanceolatae, sub apice hamulatae, albidae, subtus stria media latissima ad apicem intense purpurea; stamina 6; filamenta a fauce libera alba, filiformia, recta, apice subulata; antherae medio dorso affixae incumbentes ante anthesin rectae, effoetae semilunares aut subannulares; germen biloculatum; gemmulae in loculis plurimae biseriatae; stylus totus liber filiformis stamina subaequans, ad faucem albidus, a fauce intense purpureus;

stigma minutum trilobum. Nomen sundense ac malaicum: *Bákung*.

64. CRINUM ASIATICUM L.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 876.

Descrpt. Bulbus crassus oblongus; folia vaginantia oblongo-lanceolata, basi 4—5 poll. lata, 2,5—3,0 ped. longa, ad medium canaliculata, concava, apice nutantia; — alia angustiora 2,0—2,5 poll. lata, basi attenuata; integerrima glaberrima (succo albescenti diaphano amaro foeta); pedunculi axillares, crassissimi, compressi, umbelliferi; umbellae multiflorae bracteatae; bracteae lineari-lanceolatae, atro-sanguineae, albo-marginatae, acuminatae, dein marcescentes diaphanae; pedicelli brevissimi incrassati; perigonii tubus basi germini adnatus oblongus, subcyliudricus viridis, supra basin 1,5—2,0 poll. longus viridi-albescens; limbus sexpartitus; laciniae 3 exteriores breviores, latiores, longe lanceolatae, 3 interiores alternae; omnes longissimae, tubo longiores, fasciaeformes, plicatae tortuosae, basi albidae, apice sanguineae, nitidae; stamina 6; filamenta a fauce libera alba, filiformia, flexuosa, apice subulata sanguinea, lacinias aequantia; antherae incumbentes versatiles; germen 3-loculatum; gemmulae in loculo quoque plurimae biseriatae; stylus longissimus 4—6 poll. longus inferne albus, superne atro-sanguineus filiformis; stigma minutum subtrilobum; capsula 3-loculata, semina in loculo quoque bina.

Adnot. Ab hac specie differt:

Crinum australasicum Hrb. δ. *arenarium* Sims.? — Foliis apice obtusiusculis, in margine cartilagineo scabris, undulatis; pedunculo 1,5 ped. longo, 0,7 poll. crasso, 1,2 poll. lato; bracteis et bracteolis albis, bracteolis linearibus, fasciaeformibus dein convolutis, pedicellis subcoalitis viridibus nitidis; perigonii tubo 4 poll. longo, viridi, crassiusculo; limbo patentissimo niveo; laciniis conformibus linearibus 0,3 poll. latis, 3 poll. longis hinc undulatis; filamentis et stylo apice purpureis; antheris linearibus; stigmate capitato, obtuso, 3-lobo, papillato, albido.

BROMELIACEAE LNDL.

65. ANANASSA SATIVA Lndl. ε. POLYCEPHALA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1299. Msn. Gen. 395.

Char. Spec. cf. Schlt. VII. 1283. Hsskl. Dec. 34. Catal. 188. 1, ubi varietates sequentes distinxi.

α. *viridis* Hsskl. (an Mill.?) Nom. sund.: *Nánas kédjo,*
β. *rubens* Hsskl. Nom. sund.: *N. tembâga,* i. e. cuprea,
γ. *scripta* Hsskl. Nom. sund.: *N. súrat,*
δ. *pyramidalis* Hsskl. (an Mill.?) Nom. sund.: *N. túmbang,*
ε. *polycephala* Hsskl. Dec. l. c. Nom. sund.: *N. kondê,* i. e. comosa.

Descrpt. Syncarpium basi ovoideum dein apice pyramidali-protractum, a latere compressiusculum; coma terminalis e plurimis subevolutis cristato-, densissime aggregatis et basi connatis, lateralibus paullo magis evolutis; in axillis foliorum ad basin syncarpii majoris, syncarpia minora 7—9 patentia oviformia (regulariter evoluta et formata) comis adscendentibus; terminale fere 10 poll. longum, 4 poll. crassum; basilaria 3 poll. longa, 1,5—2,0 poll. crassa, primo rubro-viridia dein aurantiaca fere miniata; bractearum apices liberi foliacei emarcidi, basi adpressi, dein summo apice subreflexi, spinuloso-serrulati; comae folia juniora rubentia seniora viridia (inprimis subtus), albido-glaucescentia, pruinosa, summo apice haud serrulata; caro flavescenti-alba, saporis grati, dulcis vix acidula.

ORCHIDEAE R. BR.

66. DENDROBIUM RUGOSUM Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1369. Msn. Gen. 370.

Char. Spec. cf. Bl. Fl. Jav. Praef. VIII. Lndl. Orch. 87. *Gastridium* Bl. Bijdr. 333.

Descrpt. Herba pseudo-parasitica ramis arborum innascens pendula; rami graciles 4—8 pedes longi, crassitie vix pennae anserinae, ima basi nudus, pleramque vaginis foliorum emarcidis, arcte ramum amplectentibus tecti, recti, teretes, glabri; folia disticha alterna in vagina ochreata subsessilia, basi semiflexa; oblongo-lanceolata, utrinque glaber-

rima, coriacea, plana aut subtus saepe concava, apice obtusiuscula aut subbifida, 2,5—3,5 poll. longa, 1,0—1,2 poll. lata; flores bini laterales supra medium vaginae foliorum hanc perforantes; involucrum diphyllum complanatum, gemmas foliiferas occultans, plerumque emarcidum, foliolis quadratis verticalibus; flores succedanei breviter pedicellati; perigonium flavum; tubus germini adnatus obconicus crassiusculus; laciniae limbi pallidae, externae elongatae, tubo longiores, undulatae involutae, interiores externis subaequantes paullo minores et angustiores; laterales externae basi productae, columnae adnatae; labellum basi angustatum, membranaceum, cum basi columnae producta articulatum, luteum, intus subcristatum, aurantiacum, trifidum; lobi laterales breviores acuti, intermedius elongatus, acuminatus; columna crassa, abbreviata, versus apicem paullo attenuata; anthera terminalis biloculata; pollinia bina ceracea oviformia libera.

67. SPATHOGLOTTIS PLICATA BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1384, sed labellum tricristatum, crista media ad apicem, lateralibus totis crispato-undulatis, lacinia intermedia vix unguiculata, sed apice dilatata subrotunda (spathulata) lateralibus erectis conniventibus acutis; Msn. Gen. 372.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 401. Lndl. Orch. 119. Hsskl. Dec. 35.

Descrpt. Caulis abbreviatus; petioli teretes 18 poll. longi; folia oblongo-lanceolata, acuminatissima, plicata, cum petiolo 3 ped. longa, 2—3 poll. lata glabra, basi in petiolum decurrentia; pedunculus terminalis erectus, 3,0—3,5 ped. longus viridis, apice spicifer; squamae albido-coloratae vaginantes adpressae; flores breviter pedicellati; pedicelli 0,5 poll. longi, patentes; bracteae oblongo-lanceolatae superiores lineares, acuminatae, concavae, albido-coloratae, persistentes, dein marcescentes, reflexae; perigonii tubus germini adnatus, basi attenuatus, erectus, striatus, viridis; limbus candidus, laciniae oblongo-lanceolatae, acutae, externae basi productae, columnae adnatae; capsulae cylindrico-hexagonae, pendulae, virides, 1,2 poll. longae, 0,3—0,4 poll. crassae.

β. *minor* Hsskl. Catal. 213. 1. Tota minor, floribus et bracteis purpureis, petioli 11 poll. longi, folia 7 poll. longa, pedunculi 11 poll. longi, rubentes, squamae et bracteae purpureae; perigonium pallide sanguineum; columna intus purpureo-striata; labellum basi laete purpureum, apice citrinum. *S. plicata* Hsskl. Dec. 35.

68. PHAJUS INDIGOFERUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1388. Bl. Tab. 43. Labellum basi vix calcaratum intus lineatum, anthera 4-locellata aut potius bi-locellata loculis dimidiato-septatis.

Char. Spec. cf. Hsskl. Dec. 36. Diagn. nov. 22. Catal. 216. 4.

Diagn. Caulescens, laciniis perigonii patenti-conniventibus obtusiusculis, labello intus bicarinato subtrilobo, lobo medio emarginato, columna subnuda.

Descrpt. Caulis erectus angulatus crassus herbaceus viridis, squamis alternantibus tectus; folia alterna oblongo-lanceolata, acuminatissima, plicata, quinquenervia, pedem longa, 3 poll. lata, glabra, subtus glaucescentia; racemi ex axilla squamae vaginantis fere in basi caulis; bracteae basi vaginantes, ovato-lanceolatae, convolutae, deciduae; pedicelli erecti, 0,3—0,4 poll. longi; flores patentes; perigonium patenti-connivens extus viridiusculum intus vitellinum, striis sanguineis notatum; laciniae externae internis vix longiores et paullo latiores, omnes obtusiusculae; labellum basi vix calcaratum, columnae adnatum vix trilobum, lateribus erectis columnam cucullato-amplectentibus, apice subemarginatum, mucronulatum, album, dein vitellinum, laesum sordide indicum, intus striis punctisque sanguineis, medio carinis binis striiformibus, aurantiacis, villis albidis cinctis; columna alba pariter ut perigonium et folia laesa colore indico tincta.

69. ACANTHEPHIPPIUM JAVANICUM Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen 1434, Sppl. I. 1389/1, sed pollinia 4 majora, 4 basalia minora intus farinoso-pulposa.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 353. Orch. t. 47. Lndl. Orch. 117. Hsskl. Dec. 38. Catal. 226. 1.

Descrpt. Caulis vix pedalis, basi ad medium bulboso-subcarnosus, tetragonus apice 4-angularis, succo hyalino copioso foetus, vaginis dein marcescentibus tectus; folia tenuissima membranacea; pedunculus terminalis, sed evolutione gemmae lateralis progrediente pseudo-lateralis, pauciflorus spicatus; pedicelli subnulli in perigonii tubum sensim transeuntes, torsum roseum; perigonii limbus roseus et purpureus, maculis saturatioribus; stipes labelli basi contractus intusque sulcatus, supra basin planus scutaeformis; labellum valde mobile in loborum apicibus atro-purpureum, in alis albido-roseum, in disco medio cerinum; lamellae utrinque binae in medio labelli versus apicem singulae, basi tuberculum minutum.

70. PTEROCERAS RADICANS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. Sppl. III. 1458/1. Msn. Gen. add. 371. 195/1, sed labelli limbus apice recurvus obtusus.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 24. Catal. 230. 1. Dec. 39.

Descrpt. Herba pseudo-parasitica caulescens uberrime radicans; radices aërei albidi, flexuosi, elongati, apice carnosi virides s. viridescentes, nodum quasi formantes; rami teretes virides; folia petiolo vaginante, carnosa, ovato-oblonga s. oblonga, apice inaequalia, altero latere recedente, altero prominulo acuto, viridia erecto-patentia, 3 poll. longa, 0,7—1,0 poll. lata; flores racemosi; pedunculus longissimus, inter radices aëreas progerminans cylindricus, 3—4 ped. longus, bracteatus, intra bracteas scrobiculatus, flores deinceps evolvens; bracteae imbricato-adpressae, parvae, rotundaate, carnosae; pedicelli 0,3—0,5 poll. longi, patentes, teretes, flavescentes; perigonium extus stramineum, intus punctis sanguineis notatum, labellum infra stramineum, ad margines conniventes albido-roseum, alis stramineis, purpureo-punctatis, apice revolutum atro-purpureum obtusum.

71. RYNCHOSTYLIS PRAEMORSA Bl.

Char. Gen. cf. Bl. Bijdr. 286. *Saccolabium* Lndl. Orch. 220. Endl. Gen. 1480, ex parte. — Genus reservandum, nec *Saccolabio* adjungen-

dum. — Ab *Arachnante* Bl. (cf. No. 73) differt labelli lobo medio vix carnoso elongato, supra convexo, apice subbilobo oblongo violaceo.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 286. Hsskl. Dec. 40. Diagn. nov. 25. Habitu nostra *Renantherae moschiferae* Lndl. (No. 73.) magnopere affinis, a qua differt:

Caule humili; radicibus aëreis brevibus; foliis carinatis margine et carina acutis, 6 — 18 poll. longis, 1 — 2 poll. latis rigidissimis, apice oblique et irregulariter praemorsis; spica pendula, vix pedem longa, pulcherrima, odoratissima axillari; pedicellis et perigonii tubo candidissimis, 2,5—3,0 poll. longis, divaricatis; perigonii laciniis 1 poll. longis, superne 0,7 poll. latis, maculis plerumque longitudinaliter seriatis notatis; labello a sacco 1 poll. longo, subtus concavo, basi albido, striis purpureis 4—6 longitudinalibus, medio purpureo, versus apicem subbilobum lilacino; lobis lateralibus baseos columnae (an non potius labii lobis lateralibus?) albidis, ima basi striis purpureis brevibus binis; columna candida basi gibboso-dilatata, dein subconico-attenuata, truncata, basi intus subpersicina. — Nomen sundense: *A'ngrek úntjal,* i. e. Orchidea cervina.

72. RENANTHERA (NEPHRANTHERA) MATUTINA Lndl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. Sppl. III. 1473.ª — *Nephranthera* Hsskl. Diagn. nov. 26. Catal. 233. 1. Decad. 42.

Char. Spec. cf. Lndl. Orch. 218. 5. Aërides Bl. 366. Hsskl. ll. cc.

Descrpt. Epiphyta caulescens, habitu antecedentis et sequentis! Rami atro-virides teretes flexuosi; folia basi vaginantia, coriacea crassa linearia, 6 poll. longa, 0,5 poll. lata, apice inaequalia, altero latere productiore; pedunculi axillares graciles 2,0—2,5 ped. longi nutantes paniculati; flores magni patentes, bractea squamaeformi brevi suffulti; perigonii tubus teres, subtortus, aurantiacus; limbi laciniae intus aurantiacae, dein rubiginosae, maculis sanguineis notatae, exteriores longitudine tubi mucronulatae, laterales paullo latiores, margine interiori sibi adhaerentes (nec connatae), basi angustiores, interiores paullo breviores; faux sacci labelli albida intus sanguinea, lobi laterales appendicibus minutis, setiformibus sub-

reflexis, purpureis; lobus intermedius dependens sanguineus linguaeformis; columna intus striis sanguineis notata.

73. RENANTHERA (ARACHNANTHE) MOSCHIFERA Lndl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. Sppl. III. 1473.b. *Arachnanthe* Hsskl. Cat. 232.1. — *Armodorum* Kuhl et Hasselt Orch. Mss. ined.
Char. Spec. cf. Lndl. Orch. 217. 2. Hsskl. Diagn. nov. 26. Catal. 232. 1. *Arachnis* Bl. Bijdr. 366. Hsskl. Decad. 41. *Armodorum moschatum* Kuhl et Hasslt. Orch. Mss. *Flagellaria araneiflora* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 76.

Descrpt. Epiphyta ubique radices aëreas crassas proferens, alte scandens, ramosa, arborum ramos obtegens; *folia* alterna disticha, coriacea, oblongo-lanceolata, subrecurva, margine acuta, 6 poll. longa, 1,5 poll. lata, apice subemarginata, laete viridia, utrinque glaberrima, laevia; *spica* hinc inde basi paniculata ped. 2 et ultra longa oppositifolia; pedunculus teres glaber apice flexuosus brunneo-maculatus; *flores* alterni distantes, maximi, bracteati; bracteae ovatae, acutae, concavae, marcescentes, diu persistentes; pedicelli patenti-erecti, in perigonii tubum sensim incrassati, cum tubo 1,0—1,5 poll. longi; tubus calycis semitortus, nitens, laevissimus, sulcatus, rubiginoso-viridis; limbi laciniae 1,5—2,2 poll. longae, 0,3—0,6 poll. latae, maculis magnis subirregularibus aut transverse fasciatis atro-sanguineis notatae, margine reflexae, nunc inodorae, nunc odore moschato fragrantissimae; labellum concavum, basi persicinum, macula media crocea, glaberrima, leviter costata; lobi laterales adscendentes, apice margine recurvo, colore laciniarum; intermedius erecto-connivens intus persicinus; appendix impositus conicus dentiformis carnosus acutus candidus, antherae incumbens, extus vineus striis minutis atro-sanguineis; columna candida semiteres, facie interna striis persicinis extus lateribus persicino-punctulatis; *anthera* candida, subrosea, plano-convexa, lata, suborbiculata, biloculata; pollinia bina intus cava bivalvia in duo secedentia, singula fili elastici ope glandulae membranaceae, triangulari affixa.

74. AËRIDES OBTUSUM LNDL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1493.a. Perigonii limbus patens, laciniae externae laterales basi subobliquae, subrotundo-cuneatae cum ungue producto subbulloso columnae connatae; labellum calcaratum, limbus cucullatus, columna obtusa basi bulloso-dilatata, apice interne marginata; pollinia caudicula lata suffulta.

Char. Spec. cf. Lndl. Orch. 239. Hsskl. Dec. 45. *Dendrocolla* Bl. Bijdr. 287. *Vanda* Bl. Flor. Jav. Praef.

Descrpt. Epiphyta caulescens; caules caespitosi subsimplices radicantes; folia alterna disticha rigida, coriacea, lineari-lanceolata, apice praemorso-emarginata cum mucrone intermedio, viridia; spica lateralis, flores suaveolentes subpedicellati, bracteis subcarnosis apice scariosis, obtusis suffulti; perigonii tubus 2—3 poll. longus acute sexalatus, albus; limbi laciniae lutescentes maculis cinnamomeis, seriatis, densis notati; labelli lobi laterales cum columna et calcare albido-lilacini; intermedium productum a lateribus cucullato-compressum, apice obsolete-emarginatum, dilute violaceum basi flavescens, striis rubro-violaceis, faux calcaris aperta, *vix villosa*; caudicula et glandula peltata hyalinae, membranaceae; capsula siliquaeformis, 1,0—1,4 poll. longa, 0,15 poll. crassa patentissima. — Per totum annum fere florens.

75. HYSTERIA VERATRIFOLIA RNWDT.

Char. Gen. et *Char. Spec.* cf. Endl. Gen. 1546. Hsskl. Cal. 259. 1. Msn. Gen. 384. Comm. 287. 307.

Descrpt. Herba javanica epigaea, truncos arborum muscosos adscendens altissima, 20 ped. et ultra, veratrifolia, paniculae (nunc versus apicem caulis) axillares erectae bracteatae, ramis patentibus albidis, bracteolatis 3—6-floris, floribus candidis, flaccidis suaveolentibus; perigonii laciniae unguiculatae, canaliculatae cymbiformes, exteriores viridi-albidae, versus apicem subfalcatae, acuminatae, interiores candidae in unguem undulatum decurrentes, ovato-lanceolatae, acutae, labellum unguiculatum, ungue canaliculato, columnam amplectente, indivisum, ovale cuculiforme erectum, margine undulato, candidum; columna teres versus apicem clavatum.

antice in stigma sagittato-bicuspidatum transiens, postice cavum; pollinia lineari-clavata bina, caudiculis binis, basi cohaerentibus rostelli subfornicati glandulae affixis. — Nomen sund.: *A'ngrek ríngit bûmi*, mal.: *A. grîmis tána*, i. e. Orchidea nebulosa soli.

ZINGIBERACEAE C. RCH.

76. GLOBBA MACULATA BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1621 et Sppl. II. ibid. subg. c. — Germen in hac (nec in *G. marantina* L.) specie biloculatum!

Char. Spec. cf. Bl. En. 62. Hsskl. Dec. 48. A *Globba pendula* Rxb. Ind. I. 76, cui affinem dicit nostram autor clss., differt nostra.

Descrpt. Foliis ovato- s. oblongo-lanceolatis subtus minutissime molliter pilosis, vaginis ad carinam puberis, ad marginem ciliatis, caeterum glabris, sanguineo-maculatis aut inferioribus fere plane sanguineis; panicula terminali raecmosa, erecta hinc subcernua; bracteolis infimis saepe bulbulum oviformem, conicum viridiusculum e floribus abortivis ortum gerentibus; calyce et corollae tubo extus puberis; limbo corollae exteriore violaceo, lacinia superiore majore, omnibus concavis patenti-reflexis, interiore cerino, plus duplo majori, laciniis binis obovato-oblongis reflexis planis lucidis. — Nom. sund.: *Djúntir búrüm*, i. e. rubra.

77. CURCUMA LONGA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1623. Msn. Gen. 388. Comm. 290. 5.

Char. Spec. cf. Dtr. I. 76. Bl. En. 45. Hsskl. Dec. 49. Rmph. amb. V. 162. t. 67. Rheed. hrt. mal. II. t. 11.

Descrpt. Folia glabra 1—3 ped. longa, vaginae et petioli longitudinis late lanceolata, utrinque acuminata in petiolum decurrentia; spicae centrales laxae magnae virides; bracteae fertiles ovatae, concavae, obtusae, recurvatae, membranaceo-marginatae, parte inferiore albescentes, superiore viridi-roseae, calyx tubulosus corollae tubum dimidium subaequans, limbus trifidus, laciniae ovatae, acutae; corollae tubus flavescens, parum incurvatus, supra faucem plicato-sulcatus; faux pilis flavescentibus clausa, limbus ex-

terior albus; lacinia superior cucullata cornuta; laterales lato-lanceolatae, obtusae (nec minores, angustiores); labium subquadratum, apice obcordatum flavescens, linea media lata, flava; laciniae laterales externae ovatae albescentes; filamentum petaloideum ovatum; anthera biloculata, loculi distincti subtus conniventes calcarati, albi, nitidi, subtus dehiscentes; calcaria apice conniventia, antherarum fere longitudine; stylus capillaris; stigma globoso-infundibuliforme. — Nom. mal.: *Kúning besâr*, sund.: *Kóneng gedé*, i. e. Curcuma major.

β. *minor* Hsskl. Cat. 278. 1. Rmph. amb. V. 164. Nom. sund.: *K. táman*, i. e. consociata s. caespitosa.

78. ELETTARIA (GEANTHUS) SPECIOSA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1627.[b] Msn. Gen. 388. Comm. 291. 9. *Char. Spec.* cf. Bl. En. 51. Geanthus Rnwdt. Bl. Cat. 29.

Descrpt. *Herba* perennis gigantea; *caulis* subterraneus repens tuberosus, aëreus strictus teres, 8—10 ped. altus, apice cernuus; *folia* lanceolata, acuminata, viridia, glabra, basi subobliqua, subsessilia, margine tenuiter adpresse ciliata; vaginarum lingulae, 0,3 poll. longae; *pedunculi* basilares e solo progredientes 2—3 ped. alti vaginati; *vaginae* sub apice mucronatae (rudimento folii abortivi) rubescentes; *capitula* hemisphaerica, purpurea, 2,0—2,5 poll. alta, 2—3 poll. crassa bracteata, florum evolutio centripeta; *bracteae* infimae vaginae mutatae, latae, suberectae, adpressae, laete viridi-purpurascentes, una cum sequentibus steriles, sub apice mucronulatae; altiores latae, roseo-purpureae, oblongae, revolutae, margine albo diaphano; fertiles angustiores minores, indense roseae, albido-marginatae, obtusae, ante anthesin arcte adpressae, imbricatae; *flores* in axillis bractearum solitarii, bi—3-bracteolati, ante anthesin bracteis occulti purpurascentes, dein bractearum longitudine, basi rosei, apice purpurascentes; *bracteolae* 2—3 obtusae, apice ciliatae, diaphanae, striis 3—4 roseis; *calycis* tubus germini adnatus teres, 0,2—0,3 poll. longus, 0,1 poll. crassus, sericeo-adpresse-pilosus; limbus 2—3-fidus, tubi tertiam partem longus, laci-

niae pariter ac bracteolae apice ciliatae, saturatius coloratae; *corollae* laciniae externae lineares canaliculatae, obtusae, duas tertias tubi partes longae eique adpressae, basi albidae, apice saturate coloratae; labellum subgaleatum basi latiori convoluta, purpureum, margine plicatum luteum; laciniae internae laterales minutae, rudimentariae, 0,2 poll. longae, albidae; *filamentum* tubo corollae adnatum, a fauce liberum et 0,2 – 0,3 poll. longum, canaliculatum latum; connectivum filamento continuum oblongum; *anthera* adnata lateralis erecta, loculi apice divergentes; *pollen* albidum; *stylus* longus albus, versus apicem clavatus rubens; *stigma* atro-purpureum; dispositio fructuum dense capitato-aggregata, basi et apice bracteata; *rhachis* crassa sublignosa, diametro 1 poll., extus lignosa intus medullaris; *capsulae* 5-gonae, pyramidatae, apice corolla emarcida coronatae, pilosae, extus subcarnosae flavescentes, intus sublignosae, pulpa farctae; dissepimenta membranacea, valvis adnata soluta; *semina* fusco-nigra, inversa, globoso-ovata, laevia exsucca, appendice funiculari adnata, arillus pulposus albidus; integumentum externum membranaceum, internum crustaceum; hilus basalis; rhaphe excurrens brunnea; albumen periphericum crassum integrum solidum farinosum; embryo centralis inversus rectus clavatus. — Nom. sund.: *Honjé béner*, i. e. vera.

79. ELETTARIA (GEANTHUS) COCCINEA Bl.

Char. Spec. cf. Bl. En. 53. Geanthus Rnwdt. Bl. Cat. 29.

Descrpt. Caulis basi stolones repentes floriferos et steriles emittens, 8—10 ped. longus, 1,5—1,7 poll. crassus; petioli breves; lingula 0,2—0,3 poll. longa, rotundata; folia 2,5—3,0 ped. longa, 3,5—4,5 poll. lata, nervis oblique adscendentibus, supra rigidis et inde pagina superior foliorum aspero-striata, subtus glaberrima; bracteae exteriores 1,0—1,5 poll. longae, 0,5—1,0 poll. latae, apice coccineae, basi carnosae; bracteolae ad flores singulos binae subaequilongae eosque vaginantes, albido-diaphanae, altera exterior 1,5 poll. longa, apice 0,3—0,4 poll. lata, lanceolata, versus basin an-

gustata, interna dorso carinata, 0,3—0,5 poll. lata, basi vix angustata; calycis tubus germini adnatus, obsolete trigonus, albido-roseus, limbus lateraliter fissus, 2,5—3,0 poll. longus, 3-dentatus, ciliolatus roseus; corollae tubus roseo-albus; limbus externus bilabiatus, labium superius integrum 1 poll. longum, oblongum, subcucullatum, 0,2 — 0,3 poll. latum, roseo-purpureum; inferius profunde bifidum, superiori aequilongum, pariter roseo-purpurenm; laciniae obtusiusculae aut bi-denticulatae, 0,3 poll. latae; limbus interior 1-labiatus elongatus, basi crassus, coccineus, nervo medio albido, margine croceo; filamentum canaliculatum vix 0,3—0,4 poll. liberum, connectivum coccineum; antherae loculi albidi basi conniventes, apice divergentes, stylum versus apicem incrassatum recipientes. — Nom. sund.: *Tépus béner*, i. e. vera.

80. HEDYCHION FLAVESCENS Carey.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1630. Msn. Gen. 388. Comm. 291. 8.
Char. Spec. cf. Dtr. I. 32. — *H. coronaria a.* Bl. En. 56 nec Koen.

Descrpt. Caulis 5—6 ped. altus; folia lanceolata subtus (praeprimis juxta nervum medium) villosa, acumine longiusculo marcescente; lingula 1 poll. longa, superiore parte dimidia membranacea, nervis fuscescentibus; bracteae latae, obtusae, margine membranaceae scariosae, apice ciliato-lacerae, imbricatae, dein patentes convolutae; bracteolae subcylindrico-convolutae, 2 — 4-florae, villosae; calyx cylindrico-convolutus, membranaceus, villosus, diaphanus; tubo corollae dimidio brevior; corolla flavescens fragrans; limbi exterioris laciniae aequales lineares tereti-convolutae, interioris elliptícae obtusae, labium latum, bilobum, cordatum, suborbiculare basi cuneatum, medio flavum; filamentum laciniis aequilongum; antherae binae abortivae ad apicem germinis 0,2 poll. longae, luteae, apice rotundatae, semiteretes.

81. HEDYCHION LINGULATA Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Decad. 2. Catal. 284. 2. — inter *H. glaucam* et *thyrsiformem* Dtr. I. 33 collocanda species, quae ulterior diversa;

foliis undulatis, filiformi acuminatis, bracteis subreflexis 2—4-floris, labio filamento breviore, laciniis limbi acutis linearibus, vaginis haud viridibus glaberrimis, lingula brevi.

Descrpt. Caulis erectus, 2,5—3,5 ped. altus compressiusculus; vaginae virides glabrae; lingula longissima 1,0—1,3 poll. longa, obtusa, emarcida in vaginam decurrens; folia superiora maxima, elliptico- aut ovato-lanceolata, margine revoluta, nunc ad nervum medium usque supra viridia glaberrima, subtus glaucescentia, villoso-pubescentia; spica racemosa vix e vaginis foliorum summorum exserta bracteata; bracteae patentes glaberrimaesvirides obtusiusculae, subciliatae, 3—4-florae; bracteolae angustiores; calycis limbus glaberrimus nitidus vaginans, tubum corollae dimidium vix aequans; corollae fragrantis tubus 3 poll. longus et ultra, leviter apice antrorsum curvatus albido-flavescens; limbus externus 3-partitus; laciniae lineares reflexae, convolutae flavescentes; interni 3-partiti fragrantis laciniae laterales spathulato-oblongae, obtusae nunc subemarginatae, candidae basi flavescentes; labium unguiculatum subrotundum, bifidum, e sinu ad basin croceoflavescens, caeterum candidum; stamen 1, filamentum labium subaequans aut vix superans, latum apice attenuatum, anthera articulatim inserta aurantiaca; stigma in stylo filiformi tenuissimo viride infundibuliforme, ad apicem antherae prominulum. — Nom. sund. ac mal. totius generis *Gandasóli.*

82. ALPINIA CERNUA Bot. Reg.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1632. Msn. Gen. 388. Comm. 291. 14.
Char. Spec. cf. Dtr. I. 45. 18. Hsskl. Dec. 1.

Descrpt. *Caules* erecti 8—10 ped. longi compressiusculi; *vaginae* virides glabrae; *lingula* magna viridis, rubropuberula, rubro-marginata; *folia* bifaria, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, viridia glabra, subpergamacea, basi inaequalia in petiolum decurrentia, apice acuminata contorsa, margine membranacea, ciliato-scabra; *panicula* racemosa cernua, spathata; *spatha* longe lanceolata, acuminata, dein marcescens persistens, convoluta subcoriacea; *pedunculus* basi erectus, apice cernuus, ruber articulatus, ad articulos

praesertim et versus apicem puberulus; *pedicelli* 0,3 poll. longi, puberuli, triflori, bracteati; *bractea* concava, angulata, basin floris cum gemmis florum superiorum amplectens, indivisa aut bifida, nunc obsolete 3-fida, roseo-alba, margine apiceque rosea; *bracteolae* minores (clausae triangulares) integrae aut 2—3-fidae, roseo-albidae ad florum superiorum basin eosque ante anthesin foventes, basi in stipitem 0,1 poll. longum attenuatae; *calycis* tubus germini adnatus trigonus sericeo-pubescens, limbus tubulosus subtus totus fissus, apice bifidus roseus; laciniae ovatae, acutae, rubrae; *corollae* tubus adscendens, limbus externus, roseo-albus, bilabiatus, 3-partitus, laciniae binae inferiores oblongae, emarginatae, superior major ovata, apice concava rubra; interioris laciniae binae, minutae, cornutae, angustae, intus rubrae ad basin labii; labium maximum superbum naviculare, subrotundum, in parte media productum, basi marginibus conniventibus, subemarginatum, undulatum extus roseo-rubrum, ad margines laete luteum, intus luteum medio aurantiaco-rubrum, striis aurantiacis ad apicem percurrentibus; *filamentum* latum basi laciniae externae superioris adnatum, basi rubens, apice albidum; connectivum latissimum, crassissimum, apice bicristatum; cristae luteae tenues extrorsum vergentes; pollen albidum; *stylus* filiformis, stigma antheram excedens subbilobum pilosiusculum; *capsula* corolla emarcida coronata, subglobosa, extus aurantiaco-brunnea, pilosiuscula, baccata, dein sicca 3-valvis, valvis apice connatis; *semina* in loculis solitaria, arillata, obsolete triangularia, integumentum crustaceum nigrum; embryo in albumine centralis curvatus. — Nomen sundense ac malaicum totius generis: *Lúdja.*

CANNACEAE AGRDH.

83. MARANTA JACQUINI Roem. et Schlt.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1642. Msn. Gen. 398. Comm. 295. 5.

Char. Spec. cf. Dtr. I. 18. 4. M. Tonchat. Bl. En. 36. ex parte; Hsskl. Dec. 51: Cat. 289. 1.

Descrpt. *Caulis* erectus 5—6-pedalis tenuis compressus articulatus, glaber laevis, a basi ramosus; *rami* ad et supra nodos aggregati 5—7 patentes; *vaginae* duas tertias folii partes longae, ramos arcte cingentes; *folia* ovata, acuta, integerrima, pergamacea, glabra, subtus ad nervum medium dense pilosa, patentia dein pendula; nervus medius glaber; petioli puberuli breves; *stipulae* vaginantes marcescentes longe lanceolatae; *panicula* spicata e nodis lateralis oppositifolia, declinata, composita, basi dichotoma, elongata, laxa, disticha bracteata; *pedunculus* plane compressus articulatus flexuosus tenax; *spiculae* solitariae bracteatae, biflorae deciduae; *bractea* lutescens convoluta, arcte pedunculum cingens; *bracteola* lineari-lanceolata, concava, tenuis alba splendens, utraque longitudine pedicelli subteretis albi; *calycis* tubus germini adnatus, obsolete trigonus, sericeus; limbus profunde tripartitus, laciniae lanceolatae, acuminatissimae cum tubo corollae albidae; *corollae* limbus uterque tripartitus, laciniae exteriores lanceolatae; interioris una obovata, altera apice cordata oblonga, tertia complicata, undulata, elliptica ad faucem carinata-appendiculata; appendix stigma fovens; *filamentum* petaloideum apice cum corollae laciniis flavescens bilobum, lobi bifidi, lacinula inferior cujusve lateris antherifera, reliquae tres petaloideae, cucullato-concavae, complicatae; anthera uniloculata; *stylus* crassus basi cum filamento connatus, apice liber curvatus; stigma clavato-infundibuliforme sublobatum; *fructus* oviformis uniloculatus, monospermus apice calyce emarcido coronatus; cicatrix carpica umbilicata; integumentum externum viride dein albidum, postremo pallide brunneum, tenue membranaceum, fragile indehiscens, intermedium primo pulposum dein medullosum, sejunctum ab externo, interno chartaceo adhaerens (inde bacca exsucca!); *semen* erectum sphaericum, oviforme sulcato-reticulatum, exsuccum nigrum; integumentum osseum, hilus orbicularis; albumen periphericum, crassum, integrum, solidum, cartilagineum; *embryo* longitudinalis extra axin, hamatus cylindricus; corpus cotyledoneum monomerum,

cotyledon solitaria apicalis distincta; radicula solitaria infera depressa; gemmula inclusa distincta minuta.

84. CANNA COCCINEA Ait.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1646. Msn. Gen. 389. Comm. 291. 1.

Char. Spec. cf. Dtr. I. 9. Hsskl. Dec. 53. — *Canna indica* Bl. En. 35 ex parte; Hsskl. Catal. 291. 1; inter affines differt a *C. montana* Bl. laciniis bifidis, haud obtusis; *C. orientalis* Rsc. differt: limbo corollae externo reflexo et bracteis parvis; *C. edulis* Ker.: laciniis integris et stylo flavescente lineari.

Descrpt. *Caulis* compressus 5—6 ped. altus, vaginatus, versus apicem rore glaucescenti albido tectus; vaginae subpubescentes; *folia* lato-lanceolata in vaginam decurrentia undulata, scariosa, marginata, supra viridia, glabra, subtus glaucescentia; *spica* dichotome ramosa, bracteata glaucescenti-albida; *bracteae* maximae convolutae, apice apertae et bracteolae uti calyx cum corollae limbo externo pruinosae; *bracteolae* lanceolatae longae persistentes, sub quoque flore binae; exterior subquadrata diaphana hyalino-rubens; interior minuta lanceolata, persicina lateralis; *flores* breviter pedicellati; *calycis* limbus tripartitus rubens; laciniae lineari-lanceolatae, carinatae; *corolla* coccinea; limbus exterior tripartitus erectus, laciniae subaequales lineari-lanceolatae; marginibus conniventes; interior bilabiatus, labium superius tripartitum, laciniae laterales ovato-cuneatae, apice emarginato-incisulae aut bifidae majores; media plerumque abortiva seu rudimentaria subulata, seu longitudine limbi exterioris integra lanceolata, seu plus minusve profunde bifida; lacinulae inaequales; inferius (labium) primo patens, dein spiraliter contortum lineari-lanceolatum, apice inciso-emarginatum, linea media lutea notatum; *filamentum* petaloideum subrevolutum una cum stylo complanato spathulato-phoeniceum; *capsula* trigona; semina in loculis sex. — Nomen sundense totius generis *Sábê;* addito in hac specie cognomine: *bürüm*, i. e. rubra.

85. CANNA PULCHRA Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 30. Dec. 52. Adn. et Catal. 291. 3.
Diagn. Perennis foliis lato-lanceolatis marginatis, labio superiore corollae limbi interioris bipartito, laciniis oblongo-spathulatis subintegris, labio inferiore dextrorsum declinato, spiraliter torto apice obliquo, stylo lineari. — Affinis maxime *C. speciosae* Ker. Dtr. I. 12. 19, quae differt: floribus pedunculatis, calyce rubente, corolla coccinea, basi tantum flava, laciniis corollae ovatis.

Descrpt. Caulis compressus 5—6 ped. altus glaber vaginatus; folia lato-lanceolata, margine scariosa, in vaginam decurrentia; inflorescentia spicata, ramosa, spicae secundariae, erectae, bracteatae; bracteae longae vaginantes glaucescentes; bracteolae parvae, membranaceae, patentes bi-florae; flores sessiles; calycis limbus viridi-albescens pruinosus; corollae limbus externus lutescens, laciniae subaequales lanceolatae; interior bilabiatus; labium superius bipartitum; laciniae oblongo-spathulatae inaequales, apice emarginato-incisulae coccineae; inferius revolutum et simul dextrorsum lateraliter tortum cum filamento petaloideo luteum, coccineo-striatum, lineare apice obliquum; anthera lateralis; stylus linearis complanatus luteus; stigma angustius; capsulae trigonae, oblongae, nigrescentes; semina in loculis sex.

86. CANNA FLAVESCENS Lk.

Char. Spec. cf. Dtr. I. 10. Hsskl. Dec. 54. Catal. 291. 5. *C. indica* Bl. Enum. 35 ex parte.

Descrpt. Caulis compressus 4 ped. altus vaginatus glaber; folia petiolata, ovato-lanceolata, subundulata, basi in petiolum attenuato-decurrentia; vaginae superiores cum bracteis, gemmis et fructibus immaturis albido-pruinosae; bracteae obtuse lanceolatae, convolutae, magnae; spica ramosa pauciflora; bracteolae binae albae; externa major ovato-subquadrata, parva, membranacea; interna minuta carinata, lanceolata, floris rudimentum fovens; flores breviter pedicellati; calycis laciniae lanceolatae, medio virides, caeterum albidae, dein rubescentes; corolla flava, limbi externi laciniae lineari-lanceolatae, acutae, apice virescentes, dein convolutae, incar-

natae; interni labium superius tripartitum; laciniae inaequales, laterales lanceolatae, apice plus minusve emarginato-incisulae, media longitudine limbi externi, apice bifida aut emarginata aut integra dente laterali minuto; labium inferius reflexum convolutum, linea media albescenti notatum, apice emarginatum; filamentum revolutum, una cum stylo spathulato flavum; capsulae trigono-subglobosae, 4—9-spermae. — Nomen sundense: *S. könneng*, i. e. lutea.

MUSACEAE AGRDH.

87. RAVENALA MADAGASCARIENSIS Adns.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1650. Msn. Gen. 390. Comm. 392.

Char. Spec. cf. Sonner. Voyage II. 223. t. 124—126 (trnsl. germ. II. p. 175.) Schlt. VII. 76,1299 et 1488. Endl. l. c. Hsskl. Decad. 55.

Descrpt. l. c. addenda: Arbor 34—40 ped. altus et ultra; folia 6—10 ped. longa, 2,0—3,5 ped. lata; pedunculi communis rami utrinque quinque; spathae alternae, ovato-lanceolatae, a latere compressae, concavae naviculares, gelatina hyalina plenae multiflorae, horizontaliter patentes, 1,0—1,5 ped. longae, crassissimae, coriaceae, virides glauco-pruinosae; partiales ad singulum florem 1—2 horizontales, lanceolatae, acuminatae, subcarinatae, planiusculae, flavescentes, lineis rubris notatae, 8—10 poll. longae; perigonii foliola externa lanceolata, acuminata, flavescentia, erecta, glaberrima, integerrima, 5—7 poll. longa, anticum latius canaliculatum, extus obtuse carinatum, basi pollice fere latius; lateralia angustiora, basi 0,5 poll. lata, ad margines interiores sibi adnexos involuta et se invicem foventia indeque foliolum unicum, antico simillimum referentia; interna lateralia lateribus externis consimilia, dein autem inter se secedentia, basi 0,8—1,0 poll. lata, supra basin paullo curvata, dein erecta; posticum minus 3,5—4,0 poll. longum, lanceolato-lineare erectum, canaliculatum, 0,3—0,4 poll. latum; perigonium liquore dulci plenum; filamenta 5—7 poll. longa, basi dilatata 0,2 poll. crassa, complanata, dein attenuata, in connectivum filiforme acutiusculum; antherarum loculi 3,0—3,5 poll. longi lineares; pollen albidum granulosum, granula

maxima, lente simplici distinguenda, hyalina, lucida; germen basi horizontale complanatum, dein adscendens complanato-trigonum, apice sterile, sexloculatum; gemmulae subglobosae, earumque series septo columnam centralem, trigonam, carnosam, crassam attingente eique adhaerenti sejunctae; stylus perigonii foliolis internis vix longior trigonus sulcatus; stigmata 3 bidentata, 0,3—0,4 poll. longa, sibi arcte adpressa et stigma unicum subclavatum simulantia; capsula coriacea, complanato-trigona, 3 poll. longa, apice emarcido oblique truncata; valvae septum spurium gerentes; columna centralis triangularis subtrialata; arillus semine duplo longior, hyalinus paleaceus apice ciliatus (in capsula immatura!) — Nomen mal.: *Pisang ajer*; sund.: *Tjau tjai*, i. e. Musa aquosa s. *T. kipas*, i. e. Musa flabelliformis.

NAJADEAE JSS.

88. NAJAS INDICA Cham.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1656. Msn. Gen. 364. Knth. En. III. 111, qui summo forsan jure *Cauliniam Najadi* adjunxit.

Char. Spec. cf. Knth. l. c. 113. 5 et *N. tenuifolia* R. Br. Knth. l. c. 114. 6, quae a nostris speciminibus flores staminigeros proferentibus haud diversa et novam speciem formare nequit.

Descrpt. Herbae longe fluitantes, cum *Hydrilla angustifolia* et *Utriculariis* quibusdam in stagnantibus prope *Bataviam* et forsan *totius Javae occidentalis* frequentissimae submersae; *caulis* gracilis elongatus 2—3 ped. (et ultra?) longus, teres fragilis, articulatim secedens, dichotome ramosissimus, glaber; *internodia* inferiora 3—4—, superiora 1,0—0,5 poll. longa, *summa* brevissima; *folia* 3-na verticillata, basi vaginantia; *vaginae* erectae, apice dilatatae, truncato-subreflexae, margine ciliatae; *folia* patentia, anguste linearia, 1,2—2,0 poll. longa, 0,2 poll. lata, spinuloso-serrulata, uninervia, in acumen acutissimum producta; summa rosulatim congesta; *flores staminigeri* axillares sessiles, spatha inclusi, monandri; *spatha* primo clausa oblonga, longiter apiculata, mucrone bipartito, laciniis cylindricis aequilongis, dein altero latere hians, lateraliter fissa, filamentum cum anthera exse-

rens; *stamen* unicum absque perigonio; *filamentum* primo valde abbreviatum per spatham diaphanam tenerrimam cognoscendum, dein excrescens filiforme, longitudine spathae, apice subcernuum, hyalinum; *anthera* oblonga, pallide flavescens cernua, primo acuta, dein apice bivalvis, valvis subreflexis patentibus; *pollen* cylindrico-oblongum, utrinque obtusum (cf. Cytoblast. Schleid. l. c. Tom. I. tab. 1. fig. 4. *b.*) hinc inde in saccum pollinarem brevem excrescens, nunc medio subconstrictum utrinque obtusum, fovilla sat copiosa foetum.

Observ. Circulatio et motus succi ejusque corporum minutissimorum in cellulis filamenti, praeprimis versus antheram et in iis antherae ipsius foetae et effoetae optime conspicienda! — quam frustra in radicibus earumque apicibus juvenilibus quaesivi. — Mensibus Januario ad Junium flores staminigeros gerentem saepissime reperi, nunquam autem flores pistilligeros aut fructus reperire potui. — 1846.

AROIDEAE JSS.

89. TYPHONIUM CUSPIDATUM BL.

Char. Gen. cf. Bl. Rmph. I. 129. Knth. En. III. 25, Endl. Gen. 1677, Msn. Gen. 362, sed antherae distinctae mihi potius antherae binae connectivo adnatae ad latus utrumque biloculatae, dissepimento cum valvis disrumpente pseudo-uniloculatae; semen basi truncatum et strophiola obverse conica suffultum; pedunculi breves vix e foliorum vaginis exserti.

Char. Spec. cf. Bl. l. c. 133 t. 30 diagnosis mutanda: foliis cordatis aut cordato-oblongis nunc cordato-hastatis, lobis baseos plerumque rotundatis aut obtusis cucullatis, nunc paullo divaricatis plus minus acuminatis, latere exteriore sinuato-repandis; spatha spadice subuliformi longiore, limbo lineari-lanceolato erecto, dein reflexo et marginibus revoluto, postremo ab apice spiraliter torto, basi persistente 4—5-gono-convoluta; organis rudimentariis inferioribus coloratis squamaeformibus crassiusculis, superioribus cylindricis subrecurvis, apice 2-dentatis. — *Nomen specificum* incaute creatum, ob foliorum apices raro tantum cuspidatos.

Descrptioni Blumeanae l. c. addenda sunt et mutanda haecce: *Folia* in robustioribus 4—6—7, *petiolis* 6—9 poll. et ultra longis, vix apice curvatis aut nutantibus, basi sanguineo-maculatis, apicem versus supra profunde (nec obiter) canali-

culatis, 2—5 poll. longa, basi diametro transversali 1,0—2,5 poll. longo, apice lobi baseos ab altero alterius lobi explanati 3,0 poll. distante, cordata, cordato-ovata s. oblonga, nunc sagittata imoque basi haud cordata, ovato- s. oblongo-hastata (Bl.); in juvenilibus cordato-ovata aut subreniformia; apice acuta aut obtusa, nunc paullo productiore vix cuspidata, basi sinu plerumque profundo, rarius in hastatis tantum levi (Bl.) inter lobos praedita, baseos lobis plerumque conniventibus, cucullatim sibi margine interiore obtegentibus, nunc contiguis aut imo paullo divaricatis, plerumque rotundatis aut obtusis, sagittatis nunc magis elongatis acutis aut acuminatis; *pedunculi* vix quartam petiolorum partem longi (1,5—2,5 poll.), primo virides, in et ante anthesin rosei, postremo rubentes, erecti, stricti in anthesi; fructiferi paullo longiores cernui; *spatha* 3—6 poll. longa, ante anthesin spadicem totum arcte involvens, viridis glabra, basi inflata; 4—5-gono-subglobosa, 0,4—0,6 poll. longa et lata; supra basin hanc angustata cylindrica 0,2—0,5 poll. longa, sub-4—5-gona, 0,2—0,3 poll. crassa recta; limbus spadicem arcte includens, primo rectus, basi recurvus et supra basin ensiformi-curvatus, a basi ad apicem subuliformem sensim attenuatus, 3,0—4,5 poll. longus, in anthesi erectus, marginibus subinvolutis, postridie patens explanatus et postremo refractus magis magisque flavescens tenerrimus, 7-nervius, foetens, basi 1,0 poll. latus, marginibus revolutis et ab apice dein spiraliter revolutus; post anthesin emarcidus deciduus; spathae *tubus post anthesin inferiore basi* (vid. supra) inflata, globoso-ovata, sub-4—5-gona, diametro 0,4—0,6 poll., convoluta, clausa, *parte superiore* constricta, subcomplanato-cylindrica 0,4—0,6 poll. longa, convoluta clausa, persistens vegetus (nec emarcidus Bl.); *fructifer* acute 4—5-angularis, angulis dorsalibus magis prominulis; *spadix* 2,8—5,5 poll. longus; *appendix* 2,0—4,5 poll. longa, basi lineis obsessa elevatis angustissimis, tuberculato-cristatis, sulcos latos inter se constituentibus; *pars florifera* albida suaveolens; *stamina* spadicis partem floriferum superiorem, 0,2 poll. longum, dense obtegentia, in phalanges regulariter disposita; *filamenta* cum

connectivis confluentia, albida, horizontalia, sub-complanato-cylindrica, supra utrinque antheram gerentia, apice supra antheras elongata, curvata, adscendenti-erecta et antherarum vertices obtegentia, acuta, lucidula; *antherae* stramineae, lucidae, totae connectivo adnatae, lineari-oblongae, vertice obtusae, biloculatae, parallelae; *loculi* contigui, dissepimento in dehiscentia rumpente antheram unilocularem, elastice bivalvem fingentes; *pollen* albidum, globosum, sat magnum muriculatum; nectar paullo ante et in ejaculatione pollinis sat copiosum, spadicem inter organa rudimentaria obtegens, fragrans; *organa rudimentaria superiora* nil, nisi connectiva sterilia, teretia, longiora, apice breviter bifida, subrecurva, albida, lucida; *inferiora* distantia a vertice complanata, nunc subtrigona, subtus subcarinata, 0,10—0,15 poll. longa, 0,08—0,09 poll. lata, in apice acutiusculo paullo retusa; *spadicis pars fructifera* dein elongata nunc 0,6 poll. longa, parte squamifera emarcida, persistente adhuc coronata; *baccae* globoso-turbinatae, apice acutae, viridi-albidae, glabrae, lucidulae, basi attenuatae et subangulatae; *semen* subglobosum apice vix attenuatum, basi truncatum (nec ellipsoideum! Bl.), strophiola sat crassa, obverse conica, spongiosa suffultum (icon Bl. Rmph. l. c. t. 36. f. 14, semen nostrum cum strophiola peripherice repraesentat, nostrum autem magis rotundum evadit, tuberculaque magis in costas confluunt); *testa* suberosa (nec coriaceo-subcarnosa Bl.), ferruginea, sulcato-tuberculata. — In graminosis praeprimis humidis ad viarum et fossarum margines prope *Bataviam* vulgatissima species, mensibus Februario ad Majum flores fructusque sub foliis occultos et in solo semi-immersos praebens. — 1846.

90. COLOCASIA INDICA Knth. β. RUBRA Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 362, Endl. Gen. 1683, Knth. En. III. 36, sed stigma trilobum; quoad spatham nostra species ad subgenus: *Alocasia* (cf. Knth. l. c. 37 et 38, Endl. l. c.), quoad spadicis appendicem ad *Eucolocasiam* pertinet et inde character distinctivus subgeneris utriusque mutandus et forsan subgenera haec haud jure sejungenda.

Char. Spec.: Inter *Alocasias* Knth. l. c. caulescentes *C. cucullata* Schtt. differt: pedunculo petioli dimidii longitudine, foliis acuminatis, lobis basilaribus cucullatis Knth. l. c. 38. 6. — *C. odora* Brgn. Knth. l. c. 39. 7 differt: spadice spatham aequante, apice staminifero tertiam partem longitudinis suae occupante, foliis multo majoribus, pedunculis petiolo subbrevioribus, spatha caduca, germinibus 4-locu-latis, stigmate subrotundo sessili; — *C. indica* Knth. l. c. 39. 7 caulis ambitu (forsan e citato Rumphii desumpto, certe ad *C. odoram* Rxb. pertinenti), spadice spatha paullo breviore. — Excludendum hoc loco synonymon Rumphii (amb. V. t. 106 *Arum indicum*) quod ad *C. odoram* Brgn. ducendum. — *Arum indicum* Rxb. Ind. III. 498 nec Lour. nec Rmph. *Arum lineatum* Bl. Cat. 102. 47. — *Colocasia odorata* Hsskl. (nec Brgn.) Diagn. nov. 36. Verh. Bat. Gen. XVII. 6. p. 137, Dec. 56, Hsskl. in Molkenboer Verslag over de warmte-ontwikkeling etc. Kunst en letterbode, 1842 No. 40 et 41, Catal. Hort. Bog. p. 55. 303. 7. Hsskl. Nut der plant. Java's p. 25. 175.

Descrpt. Herbae caulescentes glaberrimae, in hortis prope pagos et domos incolarum ob usum medicinalem in febribus ubique cultae per totam *J. occidentalem*; *caulis* crassiusculus diametro 2,0 poll., altitudine 1—2 rarius 3 ped., cicatrissatus; *petioli* erecti, 2—4 ped. alti, basi vaginati 2,5—3,0 poll. crassi, *vagina* 8,0 poll. longa, amplexicauli, margine tenui, medio teretes, 0,6 poll. crassi; summo apice supra sub-complanati, atro-virides, striis tenuibus atro-sanguineis creberrimis toti helvoli et inter strias punctulis albidis, minutis notati; *folia* ovata, subpeltata, anguste exciso-cordata, 2,0—2,5 ped. longa, 1,0—1,3 ped. lata, erecto-patentia, apice acutiuscula et cuspide crassiusculo, canaliculato, rigido, pugioniformi terminata, lobis baseos 7—10 poll. longis, rotundatis, approximatis, angulatis, versus insertionem margine interiore recto subattenuatis, margine subcalloso, undulata repanda, supra concaviuscula, nervis vix prominulis, atro-viridia, lucida, subtus nervis plus minus intense sanguineo-coloratis protuberantibus percursa, subopaca, subhepatica; *pedunculi* axillares gemini aut terni, vaginis foliorum vix longiores, sibi adpressi, bracteis spathaceis, 2-carinatis, acumine subulato terminatis distincti, subtereti-trigoni, opaci, eodem cum petiolis colore sed punctulis albidis, creberrimis subincani, versus apicem paullo incrassati, extus in spatham, intus in spadi-

cem transeuntes; *spatha* supra basin constricta; *basis* 1,5 poll. longa eodem cum pedunculo colore, dorso autem magis viridi, antice intensius rubro-colorata, persistens, vegeta; *pars terminalis* petaloidea, ante anthesin convoluta spadicem arcte cingens, in anthesi primo fornicata, subcucullata, oblonga, cuspide terminali convoluto subfalcato terminata, spadice paullo longior 7—8 poll. longa, erecta, intus rubicundo-albida, subincarnata, opaca, extus virescenti-albida, striis purpureis medio dorso creberrimis notata, lucida, dein (postero die) patenti-erecta, subexplanata, 3 poll. lata, post anthesin reflexa et marcescenti-decidua; *spadix* 8 poll. longus, spatha brevior, in basi 1,0 poll. longa germina gerens, dein constrictus staminibus abortivis irregularibus dense tectus, 0,5 poll. longus, dein longitudine 1,0 poll. paullo incrassatus, cylindricus, staminifer, supra stamina incrassatus 0,8 poll. crassus, 6 poll. longus subcompressus, longiter acuminatus, staminibus sterilibus abortivis densissime tectus (appendix sterilis) flavescenti-albus; *germina* circiter 100, dense sibi in quicunce adpressa, sessilia, glaberrima, lucida, subtetragona, apice rotundata, uniloculata, septis 3 incompletis ima basi tantum conspiciendis; *gemmulae* e septo quoque binae adscendenti-erectae, securidaceae, glabrae; *stylus* brevissimus crassus; *stigma* capitatum 3-lobum, massa lactea glutinosa post anthesin tectum, glabrum, uti et germina albida; *stamina abortiva* densa, formam inter stamina *fertilia* et germina intermediam tenentia, 4—5-gona, supra truncata subumbonata; *stamina fertilia* densa sessilia; *connectiva* pyramidata, basi attenuata, nunc obverse conica, apice convexiusculo subtruncata, lactea; *antherae* 8—10—12 biloculatae, filiformes, basi tenuiores, connectivi lateribus verticillatim adnatae (nec immersae) et inde connectivum sublobatum referentes; *loculi* gemini, apice poro communi dehiscentes; *appendix sterilis* intus spongiosa et extus tota connectivis innumeris arctissime sibi adpressis, irregulariter pyramidatis, truncatis, parvis ita dense tecta, ut superficies fiat sat glabra laevis, sulcis, nudo oculo vix conspiciendis tessellata; *loculi* in connectivis hisce nulli; *baccae*

. . . . — Per totum annum flores rarius autem fructus proferens reperienda, et ita facillime occasionem praebens coloris florum augmentationem observare; — pedunculi cum spatha vix aperta hora sexta A. M. abscissi cum parte inferiore et in aqua reservati, praeservant per unam et dimidiam horam hunc calorem auctum in tota spadicis appendice nuda (domus temperatura 80° — appendicis tmprt. 96° F.), successive tantum postea diminutum. — 1846.

91. COLOCASIA MONTANA KNTH.

Char. Gen. cf. spec. anteced., spadicis appendix et in hac acuminata.

Char. Spec. cf. Knth. En. III. 40. 12, caulis autem subterraneus horizontalis, in juvenilibus ad tuber subcylindricum, basi praemorsum reductus.

Descrpt. Herbae laete virides perennes glaberrimae, in solo argilloso, humido, umbroso ad ripas prope *Bidaratjina* vulgatissimae; *caulis* horizontalis-subterraneus prorepens 15 cntm. longus, 3 cntm. crassus, vaginarum rudimentis, emarcidis et semi-dissolutis ubique obtectus, cicatricibus annularibus densis notatus, et radicibus 3—6 dcmt. longis teretibus albidis solo innatus, altero apice praemorsus, cortice sat crasso tectus, summo apice adscendens, comam foliorum 4—7 gerens erectam; nunc *in juvenilibus* ad tuber subcylindricum, basi praemorsum reductus, 3—4 cntm. longus; *petioli* erecti externi et interni uti et folia minores, intermedii longiores 1—3 ped. alti, teretes, inferiore parte 2,2 dcmt. longa vaginantes, margine membranaceo, basi 0,8—1,5 cnmt., apice 0,4—0,6 cntm. crassi, *toti* glaberrimi, hinc punctulis minutis, vix sine lente conspiciendis asperuli, infima basi albidi amplexicaules, supra virides, punctulis minutis rubentibus crebris lurido-tincti, apice pallide subflavescenti-virides; *folia* petiolis subpeltatim inserta, profunde cordata 5-nervia, relatione horizontis obliqua, undulata, repanda, acuta aut breviter acuminata, ab insertione ad apicem 10—28 ctm. longa et transverse ad insertionem lata, nervorum plerumque oppositorum paribus 3, utrinque prominulis percursa; *lobi* plerumque margine interno conniventes, nunc subdivergentes, elongati, acuti

nunc obtusi, folii reliqui duas tertias ad tres quartas partes longi, 7,5—22,0 cntm. longi, nervo bis bifido percursi; *folia tota* supra atro-viridia, lucida, subtus pallide viridia, nitidula; *nervi* subtus valde prominuli in 3 tenuissimos intramarginales, folium cingentes transeuntes et dein recurrentes pulcherrimeque anastomosantes; *venae* supra vix elevatae, subtus colore intensius viridi distinctae; *pedunculi* terminales aut axillares 3—4 erecti, vaginis bicarinatis tenuibus mox emarcide evanidis intercepti, 1,5—4,2 dcmt. longi subteretes, apice obsolete trigoni; 0,7—1,0 cntm. crassi, pallide virides; *spatha* ante evolutionem viridis subrecta, 8—15 cntm. longa convoluta, in anthesi dein basi subgloboso-bullata, convoluta, flavescenti-viridis, diametro transversali 2 cntm., dein ad diametrum 1,2 cntm. constricta; *limbus* primo erectus cucullatus, dorso concavus nitidus, viridi-flavescens, intus laevis viridi-albescens, concavus; dein postero die refractus coriaceus intus albescens opacus corrugatus, marginibus reflexis et apice subcircinnatus (more *Typhonii cuspidati*) 8,0—16,0 cntm. longus, 3—5 cntm. latus; post anthesin limbus flavescens membranaceus, flaccidus mox marcescenti-deciduus; *basis* convoluta ad partem constrictam persistens vegeta, fructifera ovoidea, arcte convoluta, primo basi apiceque dein tota albida subcarnosa, 5 cntm. longa, 3 cntm. crassa, apice acuta, baccas obtegens; *spadix* constanter 10—11 cntm. longus, spatha 3,0 cntm. brevior, in basi 1,5 cntm. longa germinibus dense obsessus, supra germina ad spathae partem constrictam pariter paullo constrictus ibique valde fragilis et deciduus, organis rudimentariis obtectus; *pars staminigera* dein 2 cntm. longa crassior; *appendix* sterilis basi paullo crassior tubtrigona, 1,0—1,2 cntm. crassa, versus apicem subteres et longe acuminata, 7,5 cntm. longa; *germina* circiter 50—60 flavescenti-viridia, lucida, subtrigono-globosa, nec primo ita densa, ut a latere comprimantur, uti postea evadunt, uniloculata; *gemmulae* 6—7 obovato-clavatae e basi erectae; *septa* incompleta nulla; *stylus* brevis teres crassus viridis; *stigma* peltatum sat crassum, capitatum, trilobum, rarius bilobum, jam

ante spathae evolutionem succo glutinoso lacteo obtectum; *organa rudimentaria* pauca, inferna saepe germina abortiva, 3—4 angulata, glandulacea, albida, apice stigmata 2—3 sufficienter distinguenda gerentia, nunc tota in corpora glanduliformia, tetragona, apice truncata, albido-flavescentia commutata, quae iterum in connectiva cum antheris plus minus completis transeunt; *stamina* candida plane *C. indicae* Knth.; *appendix* extus albido-flavescens glaberrima, lineis gyriformibus notata, intus spongiosa, tota staminibus abortivis irregulariter inter se plerumque in directione longitudinali, nunc hinc inde transversali connatis obtecta; *baccae* a spathae basi (vid. spr.) arcte inclusae, immaturae pallide virides, nunc obverse-oviformes, nunc subreniformes subbilobae, nunc trigonae aut tetragonae, sub-3—4-lobae, vertice depressae, nitidissimae, pallide virides, medio styli rudimento cicatrissatae, 1—4-spermae, diametro transversali 0,6—1,2 cntm., verticali 0,8 cntm., basi attenuatae, candidae, uniloculatae; *semina* fundo baccae inserta erecta, funiculo umbilicali brevi albido suffulta, obverse oviformia aut pressu collateralium subtrigona, facie externa convexa, diametro verticali 0,7 cntm., transversali 0,6 cntm.; *albumen* copiosum, farinosum, candidum; *testa* coriacea (immatura albida) basi calyculo (strophiola?) suffulta; *embryo* centralis, crassus, tereti-subtrigonus, candidus, radicula in apice seminis prominula, convexo-truncata, laevissima, nitida 0,3 cntm. longus, 0,2 cntm. crassus, *hilo* obversus, apice obtusiusculus. — Mense Februario flores fructusque gerens obviam venit. — 1846.

92. COLOCASIA ESCULENTA Schtt. γ. AQUATILIS Rmph.

Char. Gen. cf. Knth. En. III. 36 et 37. Msn. Gen. 362. Endl. Gen. 1683, nec autem antherarum loculi 2 contigui, sed antherae 1-loculares, facie sulcatae, et inde a facie visae loculos binos connatos referentes, apice poro dehiscentes; gemmulae autem plurimae in septis incompletis (placentis) ubique horizontales; spatha haud undulata sed recta, connectiva haud stipitata. Affinitas magna ad *Xanthosoma* Schtt.

Char. Spec. C. esculentam Schtt. et *C. nymphaeifoliam* Knth. nil nisi *C. antiquorum* Schtt. varietates esse jam *Roxburgh* divus suadet.

Nomen specificum ad varietatem hancce minus aptam, multo majore jure toti speciei attribuendum et dum var. α. *antiquorum* Schtt., β. *nymphaeifolia* et γ. *aquatilis* Rmph. distinguendae sint; ni potius β. cum α. confundenda et dum addenda adhuc varietas δ. *polyrrhiza* Hsskl. Catal. 303. 4. A.

Descrpt. Herbae ad ripas et margines paludum frequentissimae prope *Bataviam*, ab incolis *Kládie ájer* dictae, perennes, ut dicunt acaules, stoloniferae succo aquoso amaro totae foetae; *stolones* supra basin caulis radiatim prorumpentes longissimae, 4—6—8 ped. longae, 0,3—0,4 poll. crassae teretes, totae glabrae, tenuissime rubro-striatae, tenaces, ad nodos radices emittentes ibique saepe ramosae; *radices* pariter ac eae caulis tenues albidae tenaces, fibrillis tenuissimis hinc obsessae; *stolonum vaginae* alternantes, nunc subterraneae, nunc accessu aëris intensius coloratae et striis rubris tenuissimis creberrimis notatae, glaberrimae, oblique insertae, acutae aut obtusiusculae, dorso ad apicem tantum hiantes 1,0—3,0 poll. longae, glaberrimae, dein emarcidae persistentes; *stolonum apices* demum incrassati ad plantulas novas enascuntur; *petioli* basi vaginantes e caule abbreviato erecti, strictiusculi 18—36 (juvenilia 6—8) poll. alti, apice subcernui, in quoque trunco 4—5, ima basi amplexicaules albescentes, paullo supra sanguinei ad 9—18 (juvenilium 4—) poll. altitudinem vaginantes laevissimi, glaberrimi, luride atropurpureo-atrovirides (subviolacei) summo apice tantum viridiusculi, ad apicem partis vaginantis 0,5 poll. crassi, apice 0,2 poll. crassi; *folia* peltata subverticalia, laxa, cordato-ovata, lobis baseos (superis) pariter ac apice mucrone obsesso obtusis, ab apice ad sinum cordis (juven. 3—) 10—12 poll., ab apice ad extremitates loborum (juven. 3,5) 13—15 poll. longa, medio transversim (juven. 2,2) 8,5—10,0 poll. lata, supra atro-viridia, opaca, subtus glaucescentia, venis recurrentibus pulcherrime notata; *pedunculi* axillares gemini aut terni, una cum spatha petiolorum longitudine, succedanei, inter se bractea vaginali bicarinata, florem ante evolutionem arcte involvente, tenui membranacea, albida, acuminata, versus apicem rubenti sejuncti, 18 poll. longi, erecti, stricti,

apice subrecurvi, obsolete 3-goni, 0,5 poll. crassi, basi albidi, versus apicem exsertum pariter ac petioli colorati; *spatha* tota convoluta, in anthesi a basi appendicis sterilis ad apicem partis pistilligerae hians; *pars inferior* (ante anthesin albida) viridis robusta arcte spadicis partem inferiorem pistilliferam includens, persistens vegeta (ante anthesin 1—) 2 poll. longa, sat crassa coriacea; *pars superior* pariter dein arcte convoluta longiter contorta, acuminata, crassa, firma (ante anthesin tenera, membranacea, straminea) coriacea, crocea (ante anthesin 5—) 9 poll. longa, spadicem longe excedens, post anthesin decidua; *spadix* totus (ante anthesin 3—) 5,0 poll. longus (pars pistilligera (0,55) 1,1 poll. longa, organa rudimentaria gerens (0,3) 0,8 poll. longa, staminigera (1,0) 1,3—1,6 poll. longa, appendix sterilis (0,8) 1,3 poll. longa), inferne pistilligera; *organa rudimentaria* inter germina et stamina sat magna glandulosa et appendice terminali nuda laevi terminata, quam pars staminigera tenuiore; *germina* (ante anthesin albida) laete viridia, creberrima, dense in phalangem congesta, rhomboideo-tetragona, vertice subconvexa, arcte sibi adpressa uniloculata; *gemmulae* plurimae oblongae, basi funiculis, gemmulis dimidiis aut totis aequilongis, curvatis suffultae, horizontales, receptaculis (placentis) 3-bus, parietalibus supra insertionem attenuatis cylindrico-incrassatis insertae, centripetae, plurimae in quoque receptaculo; *stylus* subnullus, brevissimus, crassissimus; *stigma* disciforme albidum peltatum, sub-8—10-lobatum et vertice striis 4—5 radiatim e centro ad peripheriam percurrentibus, viridibus notatum (aut potius stigmata 4—5 subbiloba in discum connata?!), margine subrecurvum (ante anthesin in centro perforatum); *genitalia rudimentaria* inter germina et stamina plurima, pariter ac illa arcte in phalanges disposita; in spadicis parte angustata, flavescentia, glandulaeformia, singula quoque germinibus intermixta et evidenter nil nisi germina transformata, inferiora et inter-germinalia eadem cum germinibus forma aut paullo mutata, superiora partem stigmatoideam magis evolutam habent, loculamentum nullum et inter

telam cellulosam cristallis tenuissimis (rhaphidibus) sunt foeta, peltata umbonata, transitum formant in filamenta et saepe ad latera jam antheras singulas aut earum rudimenta ostendunt; *stamina* plurima, *prima juventute* genitalibus rudimentariis simillima, tenuia, apice peltata, sibi haud adpressa, radiatim divergentia, strias elevatas 8—10 per paria approximatas longitudinales ad ambitum praebentia (*dein* arcte sibi adpressa sessilia, in spadicis parte paullo incrassata cylindrica, cerina, peltata, nunc cylindrica, nunc plus minus e vicinarum compressione angulata, vertice discoideo eleganter 16—20 crenulata, e antheris 8—10 unilocularis longitudinaliter filamento communi (connexivo?) adnatis in linea mediana sulcatis et inde loculos 2 contiguos fingentibus, in vertice supra loculum quodque punctum depressum ostendentibus, ibique postremo dehiscentibus; *loculi* a structura connexivi valde diversa constant e membrana, tenuissima interna, e qua cellulae radiatim divergentes horizontales, cristallis tenuissimis farctae progrediuntur; *pollen* globosum, albidum, muriculatum, e poro terminali ad corpus albidum vermiculare conglutinatum progrediens; *appendix* nuda terminalis pallide flavescens, acuminata, attenuata, supra antheras paullo constricta, laevissima, evidenter staminibus abortivis, inter se a basi ad apicem connatis tecta; *stamina* abortiva inferne impressiones circumferentiae ostendentia, interne autem massam homogeneam solidam, aurantiacam, cellulosam, densam formantia; *tela cellulosa* spongiosa spadicis massam internam constituens; post anthesin spadicis *pars superior* ad genitalia rudimentaria postremoque saepe et pars haec ipsa gerens decidua. — Mensibus pluviosis Januario ad Majum reperi. — 1846.

93. COLOCASIA HUMILIS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1683, sed spadix abbreviatus, incrassato-clavatus!

Char. Spec. Hsskl. Diagn. nov. 38. Dec. 57. Catal. 303. 12. *Arisarum esculentum* Rmph. V. 321. t. 111. 1.

Diagn. Acaulis stolonifera, stolonibus crassis, cylindricis, albidis; foliis cordato-ovatis breviter acuminatis aut hastato-oblongis acuminatis,

in petiolis patentibus; nervis ramosis haud recurrentibus; inflorescentia axillari subsolitaria, spatha appendicem spadicis abbreviatam incrassato-clavatam superante convoluta (nec cucullata!); organis rudimentariis singulis germinibus oviformibus intermixtis. — Nom. sund.: *Tjariwu.*

α. *major* Hsskl. Dec. l. c. tota robustior; petioli 1,5—2,0 ped. longi; folia cordato-ovata, juxta nervum medium 8—10 poll. longa, lobis 4 poll. longis, 8—9 poll. lata, immaculata, lobi baseos paralleli. — Nom. sund.: *T. gedé.*

β. *minor* Hsskl. Diagn. l. c. tota minor, foliis non semper cordato-ovatis, sed hinc inde hastato-oblongis, acuminatis, medio saepe cinereo-maculatis. — Descrpt. Petioli basi vaginantes, 1,0—1,5 ped. longi, supra semiteretes virides; folia erecta dein patentia, juxta nervum medium 7 poll. longa, 5—6 poll. lata, lobis 3,0—2,5 poll. longis imbricatis, — aut 6 poll. longa, 3 poll. lata, lobis 1 poll. longis, in eadem stirpe! — pedunculi erecti axillares subsolitarii, petiolis longe minores; spadix 2 poll. longus, spatha 3 poll. longa. — Nom. sund.: *T. lötik.*

γ. *picta* Hsskl. Catal. 303. 12. C. — Foliis pallide viridibus maculis flavescentibus tota pictis. — Nom. sund.: *Salémpat túlis.*

94. AGLAONEMA? PUGMAEUM Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1694, cui differt autem germinibus sub-3-loculatis, gemmulisque plurimis.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. 39. Dec. 58. Catal. 304. 2.

Diagn. Humile, foliis oblongo-lanceolatis protuberanti-venosis, spatha minuta!

Descrpt. Caulescens, habitu *Ataccias integrifoliae,* sed plus duplo minus; caulis erectus 0,5—0,7 poll. longus, petiolorum emarcidorum rudimentis tectus; petioli 1,0—3,5 poll. longi, teretes, supra planiusculi, basi vaginantes; vaginae margine roseae; folia oblongo-lanceolata, utrinque acuta, apice mucronata, nervosa, nervis subtus prominulis, supra atro-viridia subtus flavescentia, 2—5 poll. longa, 0,7—1,2 poll. lata; pedunculi axillares vix 1,0 poll. longi; spatha viridi-alba, 0,7

poll. longa, spadice longior. — Nom. sund.: *Tjariwu pötjang* (moschi javanici) s. *T. tjai* i. e. aquosa.

95. RAPHIDOPHORA LACERA Hsskl.

Char. Gen. cf. Hsskl. Decad. 65. Diagn. nov. 42. Endl. Gen. Sppl. III. 1699* Msn. Gen. Comm. 370. 10/1. Genus *Monsteram* inter et *Scindapsum* Schtt. collocandum, *a priori* diversum: spatha persistente, (nec germine 1-loculato, gemmula 1, uti erroneë antea dixi), baccis liberis, stylo immerso, stigmate e rima elevata lineari; — ab *ulteriore:* spatha persistente, antherarum loculis haud divergentibus, germinibus 2-locnlatis, gemmulis in loculo quoque binis, semine haud uncinato, embryone in albumine centrali.

Char. Spec. cf. Hsskl. ll. supr. citt. Catal. 306.*b*. 1. *Scindapsus pertusus* Schtt. (*Pothos* Rxb. Ind. I. 456) Knth. En. III. 62. 4 et *S. pinnatus* Schtt. Knth. l. c. 5; *prior* formam repraesentat ramulorum ultimorum pendulorum; *alterior* formam caulis terminalis erecti; — *S. pinnatifidus* Schtt. (*Pothos* Rxb. Ind. I. 476) Knth. En. III. 63. 6 vix diversus videtur! — et forsan *S. decursivus* (*Pothos* Rxb. Ind. I. 456. 8) Knth. l. c. 62. 2 pariter haud sufficienter distinctus. *Appendix laciniata* Rmph. amb. V. 489. t. 183., 2 certe huc pertinet.

Descrpt. Herbae robustae pseudo-parasiticae muros arboresque alte 'adscendentes in vicinitate *Bataviae; caulis* funiformis ramosus; *rami* inferiores et primarii pariter ac caulis ipse teretes, subcomplanati, pollicem et ultra crassi, rigidi virides, ubique dense vaginarum rudimentis tecti; in tela cellulosa cellulae 1—3 percurrunt, cristallis tenuissimis, acuminatis (rhaphidibus), copiosissimis, plerumque fasciculatis, 3—10-nis foetae; *globulis* in cellulis, vasa spiralia eingentibus, perpaucis et sat magnis; *cortice* viridi in latere truncis arborum aut muris adpresso albido, (rami) ibique radices rufo-tomentosas breves, saepe intricato-cohaerentes emittentes, 2—3 poll. longas, reliqua parte cristato-lineati et inde asperrimi, petiolorum deciduorum cicatricibus annulati; *rami juniores* et *ramuli* penduli laete virides glabri, summi diametro 0,2—0,3 poll. subtus laevissimi pallidiores, supra lineis elevatis 5—9 firmis asperati; *internodia* in caule saepe brevissima, in ramulis summis 4—6 poll. longa; *petioli* in caule aut ramis primariis primo erecti, basi amplexicaules et vagi-

nantes, margine vaginanti candido folium superius totum et ipsum petiolum semi-involventi, herbaceo, sat tenero, ad apicem petioli vaginam formanti, mox autem ab apice basin versus emarcido, in fibras apice tenerrimas desoluto et inde petioli semiteretes canaliculati, reti fibrarum basi cincti; *juveniles* pilis urentibus nodosis hamulatis et ramosis intricatis sublanati, dein glabrati, 10—18 poll. longi, diametro transversali baseos fere 1,0 poll., apice 0,5 poll., ibique complanato-teretes geniculati, in ramulis ultimis pendulis petioli eadem conformatione, sed minores 2,0—4,0 poll. longi; *vagina* apice acuta, sublingulata, albida, paullo longius persistens, dein plane tota emarcida, evanida, fibris paucis tantum remanentibus; *petioli* primo erecti, dein patentissimi; *folia* in praefoliatione involuta, dein e petioli vagina soluta, rectum angulum extrorsum cum petiolo (tum erecto) formantia, patentia, dein in eadem cum petiolo planitie (petiolo patente), patentia, postremo in petiolo patentissimo angulum subrectum introrsum formantia erecto-patentia, sat firma; in *ramulis pendulis* plerumque integerrima, ovata s. ovato-oblonga, acuta, summa cordata, acuminata, 4,5—6,0 poll. longa, petiolo plus duplo longiora, 3,5 poll. lata, laete viridia utrinque lucida, reliqua plerumque basi obtusa, rarius subcordata, 7—12 poll. longa, 4—8 poll. lata, opaca, supra atro-viridia, subtus pallidiora, parallele nervosa, nervis ad marginem percurrentibus; *ramorum pendulorum infima* saepe foraminibus parvis aut majusculis linearibus aut subfalcatis pertusa, nunc his ad marginem percurrentibus eumque rumpentibus fissura 1—2 in latere unico aut utroque praedita et inde subpinnatifida, sinu acuto subfalcato, nervum medium haud attingente; *folia caulis* aut *ramorum primordialium* magna, circumferentia ovata s. ovato-oblonga, basi leviter cordata, acuta, 12—24 poll. longa, 10—20 poll. lata; juniora viridia, seniora opaca, supra atro-viridia, subtus pallidiora; *inferiora* subintegra aut uno latere integra, altero fissuris 1—4 irregulariter pinnatifida, *superiora* fissuris magis regularibus in utroque folii latere, subpinnatifida; *summa* fere regulariter pinnatifida; *sinus*

a nervo medio 2,0 poll. distantes, nervorum secundariorum dichotomia inclusi, acuti, uno alterove nunc obtuso; *laciniae* (jam in folio gemmae inevoluto evidenter evolutae et nervo marginali tenui cinctae, sed in folio gemmae, pollicem longo, marginem continuum vidi et fissuras marginem, nec autem nervum medium attingentes!) nunc 1-, nunc 2—3-nerviae (quasi 2—3 haud fissae aut connatae), falcatae, acuminatae, 6—7 poll. longae, 1 poll. et ultra (singulae) latae; *lobi* baseos rotundi; *pedunculi* axillares patentes, 8—9 poll. longi, teretes, 0,5 poll. crassi, pallide virides glabri, apice incurvi; *spatha* primo spadicem arcte involvens, dein patula, apice convoluto pugioniformi munita, dein marcescens, coriacea, albida, hians, subcymbiformis 6,0 poll. longa, 2,4 poll. lata, persistens, intus tota rhaphidibus pungentibus farcta, postremo tota emarcida, decidua; *rhaphides* haud cristalli, sed cellulae liberae nunc simplices utrinque longiter acuminatae, nunc ramo brevi aut longiore praeditae plane (fig. 57 et 60 in Schld. l. c. T. I. p. 252 repraesentantes) 0,1 poll. longae, albidae, nitidae, sub apice nunc flexuosae, lumine sat magno, nunc granulis? foetae?; *spadix* cylindricus, obtusiusculus, 4,5—5,5 poll. longus, 1,3 poll. crassus, ubique germinibus staminibusque circumpositis tectus; — *partes genitales* cf. *Monstera* Adans. Endl. Gen. 1698. Msn. Gen. 360. Knth. En. III. 60, cui nostra differt (aut addenda): *filamenta* subcuneato-linearia, basi angustiora badia, longitudine germinum, nigrescenti-badia; *antherae* exsertae oblongo-lineares dein ovatae, basi bilobae post anthesin emarcidae persistentes; *germina* 4—6-gona truncata; *gemmulae* in loculo quoque binae; *stylus* totus immersus complanatus niger brevis; *stigma* exsertum, rimam 0,07 poll. longam, elevatam, nigram in apice germinum formans; *baccae* liberae arcte sibi adpressae, nec connatae, totae rhaphidibus foetae, monospermae; *semen* in basi baccae sessile globoso-reniforme, a latere compressum, hilo umbilicali 0,1 poll. longo, albido, latiusculo, pallide-flavescens, 0,2 poll. longum, 0,12 poll. latum, lucidum; *albumen* crassum, amylaceum, periphericum; *embryo* axillaris curvatus tenuis cylindricus. — Men-

sibus Januario ad Martium 1846 flores fructusque gerentes reperi.

96. SCINDAPSUS OFFICINALIS SCHTT.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1699 et Sppl. III. Msn. Gen. 360, sed germina 1-loculata, gemmula unica, stigma sessile lineare.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 43. Dec. 61. Cat. 306.c. 1. *Monstera* Schtt. *Epidendrum cicudarium* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 75. *Appendix duplo folio prima?* Rmph. amb. V. 490. t. 184.

Diagn. nov. Foliis ovatis s. ovato-oblongis breviter acuminatis basi subcordatis petiolis primo vaginantibus, dein dilatatis explanatis.

Descrpt. Herba frutescens scandens parasitica; *rami* teretes radicantes, juniores saepe penduli flexuosi; *petioli* alterni primo vaginantes et folia juvenilia involventes, erecti, demum basi tantum amplexicaules patentes dilatati explanati, apice ligulam obsoletam gerentes, et supra ligulam in petiolum perbrevem semiteretem continuati; *folia* in aestivatione convolutiva, ovata aut ovato-elliptica, breviter et oblique acuminata, basi leviter cordata, utrinque glaberrima, integerrima, verticalia; *pedunculi* terminales crassi teretes, breves, erecti (nunc toto ramo pendulo adscendentes); spadix cylindricus (cf. Endl. l. c. Spl. III); spatha primo viridis glaberrima, lucida, spadicem arcte involvens apice subulata, dein hians, nunc ad pollinis ejaculationem medio transverse rumpens, patentissima, extus flavescenti-viridis, intus flava, postremo basi regulariter abscissa decidua; *germina* uniloculata, peltata, arcte sibi adpressa, in phalanges disposita, stamina occultantia, in ejaculatione pollinis paullo distantia, hexagona, latere inferiore et superiore minore, flavescentia, dein laete aurantiaca, margine elevato viridiusculo; stigma sessile lineare nigro-fuscum; gemmula unica basali erecta; *stamina* sex aut plura; filamenta germinibus dimidio breviora, complanata, dilatata, libera, hyalina, apice acutiuscula; antherae terminales ovato-oblongae, longitudinaliter sulcatae; loculi discreti apice conniventes; pollen globosum; spadix fructifer 2 poll. longus; *fructus* peltati basi arcte sibi adpressi (nec connati!), apice distantes; pericarpium primo subbaccatum

dein siccum, supra medium circumscisse deciduum; arillus albus glutinosus carnosus graveolens; *semina* a lateribus compressiuscula, apice convexa, basi concava; hilum basale convexum submammaeforme; radicula in extremitate superiore excavata, prominula, conica; cotyledon crassa carnosa, totum semen implens; albumen nullum (nec embryo in albumine axilis). — Nom. sund. totius generis: *Lóllő mónjet,* i. e. simiarum.

Observ. 1. *Scindapsus lingulatus* Hsskl. (Diagn. nov. 45. Catal. 306.c. 3.) differt: Foliis obliquis ovato-oblongis acuminatis, basi cordatis sericantibus, petiolis brevissimis, lingula maxima oblonga cucullata marcescenti-decidua.

Observ. 2. *Scindapsus angustifolius* Hsskl. Diagn. nov. 46. Decad. 63. Catal. 306.c. 4. *Calla sylvestris* Bl. Cat. 62? differt e *diagn.*: Foliis oblongo-lanceolatis acuminatis basi inaequalibus subcordatis, petiolis primo vaginantibus, e marginibus dein emarcidis deciduis semiteretibus. — A *Sc. officinali* Schlt. diversus hisce: Ramuli hinc quadrangulares, illinc subteretes flexuosi; petioli e marginibus marcescentibus deciduis semiteretes, supra subcanaliculati; folia ovato- s. oblongo-lanceolata, acuminata, basi inaequalia subcordata; stamina 4—6; filamenta dein germinibus aequilonga, complanata, linearia; antherae subexsertae, primo oblongae, dein ovatae; germina viridia.

97. SCINDAPSUS PICTUS Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 44. Dec. 62. Catal. 306.c. 2.

Diagn. Foliis ovato-lanceolatis obliquis acutis basi cordatis, supra maculis glaucis pictis, petiolis primo vaginantibus, dein complicatis.

Descrpt. Ab antecedente secedit in signis hisce: Rami juniores punctato-scabri; petioli complicati, 1—2 poll. longi; folia ovato-lanceolata, inaequilatera obliqua, acuta, basi cordata, glaberrima, supra-atro-viridia, maculis glaucis picta, subtus pallidiora immaculata, 3—5 poll. longa, 2,0—2,5 poll. lata; pedunculi 1—2 poll. longi, prolongatione rami axillaris oppositifolii; spatha convoluta, cylindrica, acuminata, dein naviculata, basi secedens et a basi versus medium rumpens, caduca crassa coriacea; expansa 3 poll. longa et lata; stamina tota inclusa, filamenta brevia.

98. POTHOS SCANDENS L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1700, sed spatha erecta, perigonii foliola et stamina saepius 6, germen triloculatum, gemmulae in loculis solitariae, semina albuminosa!

Char. Spec. cf. Rxb. Ind. I. 451. Hsskl. Dec. 64. Knth. En. III. 65. 1. — *Anaparua* Rheed. Mal. VII. t. 40. *Appendix duplo folio tertia* Rmph. amb. V. 490. t. 184. 3.

Descrpt. Herba suffruticosa scandens radicans; *rami* elongati teretes subflexuosi, glabri virides; *petioli* alterni distichi, juniores gemmam vaginantes involventes, adulti foliaceo-explanati, basi semi-amplexicaules, semitorti, apice cordato-emarginati, una cum foliis coriacei, glaberrimi, integerrimi, supra nitidi, subtus opaci, parallelo-venosi, venis apice confluentibus, 2 poll. longi, 0,7 poll. lati; *folia* petiolo duplo longiora, elliptico-oblonga aut ovato-oblonga, acuminata, basi rotundata, 4,0—5,0 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata; *pedunculi* axillares, basi bracteis 4—5 ovatis apice mucronulatis arcte imbricatim tecti, 1 poll. longi; *spatha* in praefloratione subglobosa cum pedunculo violaceo-viridis, spadicem tunc sessilem arcte involvens, apice contorto apiculata, dein uno latere hians, cordato-cucullata unilateralis; *spadix* in anthesi stipitatus subglobosus, basi vix attenuatus, ubique floribus densissime tectus; stipes dein elongatus 1 poll. longus violaceus, apice subincrassatus; *flores* sessiles; perigonii foliola 6, rarius 4, ovata, basi dilatata, subconnata, cum apice concavo tantum exserta, germen imbricatim tegentia et ejus apicem tantum oculis praebentia; *stamina* tot, quot foliola iisque opposita; filamenta linearia, basi dilatata, membranacea, complanata, foliolorum longitudine; antherae exsertae, biloculatae, ellipticae; loculi distincti longitudinaliter rima dehiscentes; *germen* obsolete hexagonum, obverse pyramidatum, vertice depressum, stigmate subelevato sessili coronatum, triloculatum; gemmula in loculis solitaria; *bacca* coccinea cylindrico-oviformis, apice cicatricula, minuta, hexagona, indehiscens, uniloculata, monosperma, basi perig. foliolis vegetis (nec incrassatis, nec elongatis, nec coloratis) cincta; *semen* obtusum, oblongo-oviforme rectum, rugosum, siccum, hepaticum; albumen periphericum,

crassum, integrum, solidum, carnosum; embryo excentricus, versus extremitatem inferiorem seminis collocatus, subobliquus conicus. — Nom. sund.: *Aroi kitjangtjórang.*

99. LASIA MERKUSII Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1701.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 308. 1.

Descrpt. Herba palustris robusta elegans; caules subterranei adscendentes, ubique radicibus fibrosis crassiusculis longis praediti, petiolorum vaginis plane tecti; petioli (in cultis 1—2) 3—5 ped. alti firmi teretes, muricibus rectis pungentibus praeprimis basi armati, versus basin 1,5 poll. crassi prasini, apice 0,4 poll. crassi flavo-virescentes; folia cordato-sagittata, gigantea, juxta nervum medium 20 poll. longa, lobi 18 poll. longi, a loborum apice ad apicem folii 40 poll. longa, medio 20 poll. lata, apices loborum a se invicem 35 poll. distantes, laete viridi-lucescentia, glaberrima, ad nervos primarios subtus armata, ad insertionem petioli exciso-cordata; lobi elongato- s. ovato-oblongi, acuminati, margine sinuato-repandi, subundulati; pedunculi terminales solitarii, 2 ped. longi, erecti, versus apicem subcurvati, flavovirentes, versus basin 1 poll. fere crassi, prasini, sublucentes, undique irregulariter muricati, muricibus pungentibus; spatha oblonga acuminata, coriacea nervosa haud contorta, hians lucida extus hyacinthina, nervis sulfureis, ad maturitatem fructuum pallidior, 8—9 poll. longa, 2,5 poll. lata; spadix cylindricus, 4,5—5,0 poll. longus, 0,5—0,8 poll. crassus, ubique floribus hermaphroditis tectus; perigonium 6, rarius 5—7-phyllum; foliola carinata, squamaeformia, apice obtusa, intus excavata, straminea; stamina 6, sepalis opposita; filamenta hyalina, plana, foliolis aequilonga; antherae terminales erectae, adnatae, biloculatae, dorso versus apicem rima brevi dehiscentes, marcescentes, dein deciduae; germen obverse pyramidale, lateribus nunc obsoletis rotundatis, apice planoconvexum, foliolis aequilongum, eisque vertice roseo semitectum; stigma sessile sanguineum orbiculare subumbonatum;

gemmula unica pendula; spadix frutifer 8—9 poll. longus, spatham emarcidam excedens; baccae subdrupaceae, aggregatae, foliolis vegetis nunc viridibus cinctae, vertice atro- s. lurido-sanguineo-virides, lucidae inermes obconicae; semen glutine mucoso involutum, a lateribus compressum, margine cristatum, sublignosum; embryo curvatus. — cf. Endl. Gen. 1701; — a quo differt spatha colorata (nec foliacea!), nec elongata, vix duplicem spadicis longitudinem attingente, spadice haud abbreviato, foliolis et staminibus 6. — In horto bog. culta omnibus partibus multo minor evadit. — Dixi in honorem divi *P. Merkus* nuper Indiae orientalis Nederlandicae Gubernatoris Generalis, qui summa, qua *potuit*, benevolentia scientiam nostram amabilem sustinuit. — Nomen. sund. totius generis: *Sámpi*, addito huic speciei cognomine *gedé* (magna).

100. LASIA HETEROPHYLLA Schtt.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1701, sed spatha convoluta, flores staminigeri nulli.

Char. Spec. cf. Hsskl. Dec. 66. — *Pothos* Rxb. Ind. I. 457.

Descrpt. Radix tuberosa crassa subterranea; folia sagittato-subtriloba, laciniis baseos acutis, duas tertias partes folii longis, oblonga acuta supra glaberrima, nitida, subtus in nervis et petiolis armata, aculeis curvatis plurimis, cum petiolo 14—18 poll. alta; pedunculi teretes 3 poll. longi, lurido-virides, aculeis minoribus muniti; spatha lurida, coriacea, convoluta, obtuse acuminata, 6 poll. longa; spadix inclusus vix pollicaris ubique floribus hermaphroditis tectus, oblongus, obtusiusculus; perig. foliola 4 excavata, germen et stamina obtegentia, apice incrassato-subpeltata, pallide flavescentia conniventia; stamina 6, filamenta brevia plana; antherae extrorsae, crassiusculae, biloculatae, rima longitudinali dehiscentes; germen uniloculatum; gemmula unica; stylus abbreviatus; stigma fulvum crassum peltatum, foliolis haud obtectum.

PANDANEAE R. BR.

101. PANDANUS FURCATUS Rxb.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1711. Msn. Gen. 359.

Char. Spec. cf. Sprg. Syst. Veg. III. 898. 16. Hsskl. Diagn. nov. 48. Decad. 67. Catal. 311. 4. *P. horridus* Rnwdt. Rheed. mal. II. t. 8.

Descrpt. Caudex arboreus ramosus aut fruticosus a basi ramosus 10—12 ped. altus; rami crassi furcati teretes; radices aëreae plurimae crassae, caudici parallelae iisque saepe adpressae, solum attingentes et caudicem sustinentes; folia subspiralia elongato-lanceolata, margine carinaque aculeato-serrulata, margine subrevoluta, 5—9 ped. longa, 4,5 poll. lata in apicem triquetrum attenuata, subtus glaucescentia, aculei carinae basi retrorsi, supra medium antrorsi, omnes albescenti-virentes; spadix fructifer nutans; syncarpium viride (vid. Rheedii iconem optimam) 1,5—2,0 ped. longum, 0,75 ped. crassum oblongum; drupae obconicae apice depressae, spina bifida coronatae. — Nom sund.: *Tjangkúang*.

102. PANDANUS? LAEVIS Rmph.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 359. et add. p. 370. 6/1. Endl. Gen. 1711 et Sppl. III. 1711/1; genus ob flores pistilligeros, nondum a me repertos, haud distinguendum, dum species Kunthianae sectionis primae (1. *a*) ad *Marquartiam* Hsskl. Endl. Gen. 1711/1 ducendae sunt.

Char. Spec. cf. Rmph. amb. IV. 147. Knth. En. III. 100. 29. *P. inermis* Rnwdt. Bl. Cat. 111. Hsskl. Catal. 311. 9. Diagn. nov. 51, an idem ac *P. inermis* Rxb.? Knth. l. c. 28, sed hic dicitur diffusus! foliis ensiformibus! *P. odoratissimus* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 63 nec alior.

Descrpt. Arbor humilis 8—12 ped. alta, floribus staminigeris in hortis *Javae occidentalis* ubique ob flores fragrantes culta et *Púdak* dicta, floribus pistilligeris nec mihi nec incolis nota, qui nunquam fructus hujus arboris vidisse dicunt; *coma* arboris hemisphaerica subglobosa; *caulis* basi radicibus aëreis funiformibus teretibus pollicem et ultra crassis, 1—4 ped. longis verticalibus, nunc ramosis suffultus, erectus, a basi fere 2—3-chotome et iteratim 2—, rarius 3-chotome ramosus, basi 6—9 poll. crassus, e foliorum de-

lapsorum cicatricibus horizontalibus angustis annularibus dense transverse striatus, ochraceus, mucronibus brevibus conicis, obtusiusculis, crebris, transverse subseriatis, fuscis, persistentibus, e radicibus aëreis inevolutis, transformatis tectus; *rami* consimiles tenuiores 2 — 6 poll. crassi divergentes; *interstitia* inter basin rami et ejus divisionem 3—4 ped. longa, *folia* in spiras 3 dextrorsas dense disposita, ima basi subvaginantia, plus quam semi-amplexicaulia, albida et paullo altius flavescenti-viridia, supra basin patentia, rigida et apice cernua, paullo laxiora, elongato-lineari-lanceolata, acuminatissima, supra canaliculata et ad margines plana, subtus acute carinata, integerrima, 3,0 — 4,5 poll. longa, *juvenilia* longiora, 1,0 — 1,5 poll. lata, dense longitudinaliter parallelo-striato-nervosa, supra viridia, *juvenilia* pruina glauca adspersa, subtus glaucescentia nervis viridibus, utrinque glaberrima, margine et carina rigidiora et acuta, acumine longe protracto subulato triquetro viridi-flavescenti; *inflorescentia florum staminigerorum* terminalis spadiciformis, foliis floralibus involucrata, aut potius in axillis foliorum summorum floralium 15—16 persistentium congesta, spicam crassam, densam, obsolete 3-gonam referens, e paniculis densissimis, adpressis, folio suo florali multo brevioribus axillaribus, breviter pedunculatis congesta, jam postero die post antherarum dehiscentiam caduca, in omnibus partibus laesis celerrime nigricans, 7—12 poll. longa, 2,0—2,5 poll. crassa (absque foliis); ante et praeprimis in anthesi odorem concentratum penetrantem, diminutum fragrantem exhalans; *folia floralia* basi amplexicaulia, *inferiora* exteriora, basi tantum et paullo supra albido-flavescentia et flavescenti-viridia, cymbiformia, ima basi subtrigono-conniventia, supra foliis reliquis consimilia 3—2 ped. longa; *superiora* interiora sensim minora, nec paullo angustiora, flavescenti-albida, straminea et livida, *omnia* cymbiformia acute carinata, sensim minus longiter acuminata, persistentia, *intermedia* 10 poll. longa, supra basin transverse 1,7 poll. lata, *summum* 4 poll. longum, 0,5 poll. latum apice trigonum; *axis inflorescentiae* sat crassa trigona cum ramis

ubique fasciculis cristallorum tenuissimorum, utrinque acuminatissimorum copiosorum plurimis foeta (qua re forsan pruritus oritur, si cruda edatur cf. Rmph. l. c. 148!) 6—10 poll. longa, basi 0,7 poll. crassa, virescenti-albida; *paniculae* inferiores 1,7—2,0 poll. longae, 0,7—1,0 poll. latae, versus axin planiusculae, externe convexae, apice rotundatae, attenuutae, intermediae et superiores 2,0—2,5 poll. longae, 1,4 poll. latae, 0,7 poll. crassae, caeterum conformes; panicularum *pedunculi* breves 0,2—0,5 poll. longi, trigoni, flavescenti-albidi, facie interna ad apicem fere inflorescentiae axi adnati, dein liberi in paniculae axin transeuntes; *axis* paniculae 0,9—1,8 poll. longa, candida, lucida, utrinque ramulos gerens; *ramuli* 0,3—0,4 poll. longi, subverticillati, basi adnati, supra basin nudi, patentissimi consimiles tenuiores e staminibus plurimis plumosi; *perigonii* rudimentum nullum; *stamina* in ramulis subverticillatim irregulariter disposita, primo ante anthesin erecta, se invicem imbricatim obtegentia, dein patentissima, 0,3—0,2 poll. longa; *filamenta* filiformia, alba, lucida, ante anthesin plerumque erecta nunc infima patentia, 0,03—0,07 poll. longa; *antherae* terminales ante anthesin erectae, dein patentes, in eadem cum filamentis planitie, flavescenti-albidae, postremo ochraceae, lineari-lanceolatae, subulato-mucronatae, basi subsagittatae, inaequilongae, 0,2—0,25 poll. longae, 2-loculatae, ante anthesin strictae, rectae, post anthesin spiraliter tortae; *loculi* anguste lineares infra apicem subuliformem desinentes, longitudinaliter rima dehiscentes, cristallos (rhaphides) tenuissimos et pollen continentes; *pollen* mediocre globosum verruculosum, hyalinum, fovilla sat magna copiosa foetum. — Flores pistilligeri ac fructus desiderantur! — Mensibus Februario ad Aprilem et forsan omnibus fere mensibus anni toti flores staminigeri reperiendi 1846.

DICOTYLEDONAE.

MENISPERMACEAE DC.

103. COCCULUS CRISPUS DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4687. Msn. Gen. 5 et add. 339. 13. Wght. et Arn. Prdr. I. 11, bracteae autem 2—3 externae adpressae nullae.

Char. Spec. cf. DC. Syst. Veg. I. 521. 17. Prdr. I. 97. 17, diagnosis plane quadrat, sed pedunculi ♂ dicuntur haud axillares, sed laterales, petiolo 3—4-plo longiores et folia haud cuspidata sed acuminata; Wght. et Arn. Prdr. I. 12. 43 adn. *C. coriaceus* Bl. Wlp. Rprt. I. 93. 7 racemis differt elongatis pendulis; *C. convolvulaceus* DC. Syst. Veg. I. 518. 8. Prdr. I. 97. 8 solummodo foliis cuspidatis e DC. diversus, e Wght. et Arn. ad *C. cordifolium* ductus differt petalis unguiculatis, limbo reflexo, racemis ♂ folio longioribus.

Descrpt. Frutices volubiles in hortis et ruderatis prope *Bidara-tjina*, *Bataviam* etc. vulgares, nunc subrepentes plerumque herbas (in horto Ananassae sativae) et frutices obtegentes; *radix* tuberosa cylindrica 2,0 poll. longa, 0,9 poll. crassa, basi sub-praemorsa, *radices* 3—4 funiformes emittens, sub cortice suberoso lutea, intus albida, sat dura sublignosa, radiis medullaribus 10—12, externe crassioribus discoloribus percursa, succo amaro foeta; *caulis* a basi ramosus, elongatus tenax, cortice cinerascente tectus, suberosus, rimoso-verruculosus, rami juniores magis virides; *ramuli* juveniles glaberrimi laete virides sublucidi; *internodia* 0,7—3,5 poll. longa, ramulorum 0,05, caulis 0,2 poll. crassa; *petioli* alterni plerumque solem versus secundi basi crassiore flexuosi, erecti, in ramulis patenti-erecti 0,5—3,0 poll. longi teretes, laete virides antice planiusculi; *folia* coriacea, rigida subpeltatim inserta, basi ad insertionem cordata, 5-nervia cordato-ovata s. oblonga, singula subhastata, lobis baseos acutis, acuminata, integerrima, margine subrecurva, utrinque glaberrima, supra atro-viridia, lucida, subtus pallidiora, elegantissime reticulata et in axillis ramorum eorumque ramificationum primariarum glandulosa; *glandulae* subtus subexcavatae, orbiculatae, supra vix prominulae pallidiores; nervi bini inferiores retrorsi, in-

termedii adscendentes, dichotomi, intra marginem reticulatim confluentes; *lobi* baseos nunc rotundati aut obtusi, nunc imo acutiusculi, 0,4—0,8 poll. longi; *folia* ab insertione ad apicem 1,5—4,0 poll. longa, 0,8—3,0 poll. lata, apice subrecurva, in prima juventute complicata et una cum petiolis ramuloque punctulis nigris conspersa, glaberrima lucida; *racemi* in ramis (nec in ramulis) axillares breves 1,0—1,5 poll. vix excedentes, patenti-erecti teneri, 12—24-flori; *rhachis* glaberrima subangulata; *bracteae* ad basin pedicellorum quamque solitariae, iisque arcte adpressae, lineares acuminatae, 0,05 poll. longae virides persistentes; *calyx* 6-phyllus, biseriatus; *foliola* externa minuta, ovata, acuminata, margine tenuiora, interioribus adpressa et alterna, viridia; interiora praecipue alabastra depresso-globosa, subtrigona, viridia, conformantia, imbricativa, suborbiculata, concava, viridia, externis 4-plo majora 0,1 poll. diametro; *petala* 6 minuta, cuneata, apice truncata, cucullato-convoluta foliolis calycinis exterioribus vix longiora, flavescenti-viridia; *stamina* 6 petalis opposita et ab eorum basi recepta, haecce duplo superantia; *filamenta* cuneato-clavata, glabra, in connectivum crassum continua 0,1 poll. longa, basi attenuata; *antherae* introrsae, biloculatae, connectivis superne et antice adnatae, ovatae, biloculatae; loculi longitudinaliter dehiscentes; *pollen* globosum, minutum, albidum, vertice lineis 3 radiatim dispositis notatum; — flores pistilligeri et fructus desiderantur. — Flores staminigeros gerentem vidi mense Februario. — 1846.

104. COCCULUS ANGUSTIFOLIUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4687 — sepala 6 colorata, interna majora subcarnosa; corolla nulla; filamenta basi canaliculo inclusa, petala subaequantia; drupae corticatae.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. p. 172. Wlp. Rprt. V. 17. 1.

Descrpt. *Frutex* mediocris erectus ramosissimus; *rami* stricti, virides, juniores, angulati; *folia* alterna, oblonga s. oblongo-lanceolata, utrinque attenuata, acuminatissima, trinervia, coriacea, glaberrima, lucida, petiolo brevi (0,2—0,4 poll.

longo); racemi terminales aut oppositi folii, saepe axillares subpaniculati, multiflori, foliis breviores; *flores* minuti, carnosuli, staminiferi et pistilliferi hinc intermixti, viridi-flavescentes; *fructus* globosi, pisiformes drupacei, cicatrice stylari, laterali, subbasali, extus corticati virides; seminis integumento parallele striato, latere utroque umbilicato; albumine parco peripherico. — *Galloa trinervis* Hrt. Bog. — A *Cocculo laurifolio* DC. Prdr. I. 100. 44 diversus foliis angustioribus, racemulis longioribus et habitu graciliori! sed utraque species ramos habet rectos nec scandentes. — E *Japonia* missa.

105. STEPHANIA DISCOLOR Sprg.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4694. Msn. Gen. 5 sub *Clypea* Bl. Wght. et Arn. Prdr. I. 14 nec *Stephania* Wld., quae *Steriphonia* Sprg. Syst. Veg. cur. post. cf. Endl. Gen. 5005 (*Capparidea*). Calyx in ♂ 9-phyllus, corolla 3—4-petala, nec 6-phyllus bracteis 3—6 adpressis! W. et A. l. c., antherae 2-loculatae diversae horizontales apicibus contiguae, annulum formantes mihi non obviae, anthera mihi continua annularis 1-loculata, rima honzontali dehiscens.

Char. Spec. cf. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 316. Wlp. Rprt. I. 96. 1, sed *St. glaucescens* Dcsn. valde affinis! cf. Wlp. l. c. 8; — et spec. sequentem!

Descrpt. Herbae dioicae basi suffrutescentes, scandentes in sepibus et ad ripas prope *Bidara-tjina* vulgares; *caulis* et *rami* elongati teretes volubiles tenaces, summo apice puberuli, dein glabrati, virides aut purpurascentes; *internodia* 2—5 poll. longa; *petioli* alterni patentes, plerumque solem versus secundi, basi flexi, paullo crassiores, teretes leviter canaliculati, prima juventute dense puberuli, dein glabrati, 1,0—2,5 poll. longi; *folia* peltata radiatim 9—10-nervia ovata s. ovato-oblonga, nunc sub-3-gona, acuta aut imo acuminata, nunc obtusa apice mucrone minuto praedita, integerrima, basi rotundata aut subtruncata 2—6 poll. longa, 1,8—4,2 poll. lata, supra atro-viridia, glabra, subconcava, nervis dichotomis, eorumque ramificatione eleganter reticulata vix prominulis lucidulis, subtus glauca et pilis albidis, articulatis,

hyalinis, succo et corpusculis minutis foetis, dense incano-tomentosa, nervis sat prominulis et venis eleganter reticulata; *pedunculi* axillares 0,7 poll. longi, umbelliferi; *umbella* 5—6 radiata corymbifera; *bracteae* ad basin radii 0,1 poll. longae, lineares s. lineari-subulatae, deciduae; *radii* et *pedunculus* dense incano-tomentosi, virides; *flores* ♂; *pedicelli* erecti 0,4 — 0,5 poll. longi, radiatim dispositi, apice corymbiferi; *corymbi* basi bracteis 0,2 poll. longis, linearibus, acuminatis suffulti, dichotomi, multi- (25—40-) flori; *bracteola* ad basin pedicelli cujusdam 0,1 poll. longi, teretis solitaria, linearis erecta, adpressa, puberula, uninervia; *calyx* 9-phyllus; *foliola* obovato-cuneata in calycem turbinatum conniventia, apice acuta, subrecurva, basi attenuata, uninervia, flavescentia, sub lente valde augente hyalina, margine lacerato-subciliata, 0,05 poll. longa; *petala* 4 inclusa, multo minora, cucullata, lutescentia, subrhombea, basi attenuata, a latere visa subdolabriformia, apice acuta, uninervia; *stamen* unicum flavescens centrale aut potius columna staminea e pluribus conflata?; *filamentum* teres exsertum, calycem paullo superans, apice vix incrassatum in connectivum disciforme, medio supra umbonatum, peltatum, diametro 0,15 poll.; *anthera* connectivi hujus peripheriam cingens, pallidior albida annularis, uniloculata, rima horizontali annulari dehiscens; *pollen* candidum, globosum, parvum laeve; *flores* ♀; *pedunculi* axillares erecto-patentes, petiolo breviores, rubentes teretes puberuli apice corymbiferi; *corymbi* parvi, viridi-flavescentes multiflori; bracteae uti in ♂; *calyx* deciduus 4-phyllus; *foliola* obovata, subcuneata, acutiuscula, margine nunc subciliato-lacera, campanulato-conniventia, albido-flavescentia; *petala* decidua foliolis calycinis alterna et paullo majora, campanulato-conniventia, apice subreflexa, obovata, vix acuta, basi cuneato-attenuata, subconcava; *germen* liberum, 1-loculatum, viride petalis paullo longius, subteres obsolete 3—4-gonum; *styli* 3 — 6 breves subrecurvi distantes; *stigmata* punctiformia; *gemmulae* solitariae; *germen* dein unilateraliter evolutum, ita ut apex lateralis evadat et semen pariter curvetur; *fructus*

primo virides, a latere subcomplanati, dein coccinei subglobosi, copiosi, in corymbo diametro 1,5 poll. conferti, glabri, luciduli, diametro 0,25 poll., stylorum rudimentis lateraliter coronati, monospermi carnosi, carne pulposa coccinea insipida foeti, indehiscentes; *semen* a lateribus complanatum, in margine crasso transversim elevato cristatum, in centro utrinque excavatum, tenue, basi applanatum; *testa* crustacea lapidea badia; *embryo* curvatus, albus subannularis, cylindricus; *albumen* nullum; *cotyledonum* apex versus cicatricem stylarem fructus spectans, radiculae parallelus. — Mensibus Januario ad Martium flores fructusque profert. — 1846.

106. STEPHANIA TOMENTOSA Sprg.

Char. Spec. cf. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 316. Wlp. Rprt. I. 96. 3; annon *S. glaucescens* Dcsn. Wlp. l. c. 8 cum hac conjungenda erit? mihi autem ignotum, an haec pariter tomentosa!?, e citato *Cocculo japonico* DC. β. *timoriensi* DC.: Prdr. I. 96. 1 folia glabra esse videntur.

Descrpt. Herbae basi suffruticosae in ripa declivi super frutices et herbas alias procumbentes aut volubiles prope *Bidara-tjina* obviae, graciles, 6—8 ped. longae et longiores; *caulis* et rami teretes tenaces virides, apicem versus purpurascentes, una cum petiolis pedunculisque dense puberuli; *rami* seniores dein glabrati lucidi; *internodia* 0,5—4,0 poll. longa, 0,1—0,02 poll. crassa flexuosa; *stipulae* nullae; ramulorum apices dense sericeo-pubescentes; *petioli* alterni secundi verticales, basi crassiore flexuosi teretes apice paullo incrassati, medio viridiusculi, caeterum purpurascentes 1,0—2,0 poll. longi; *folia* petiolo ad marginem inferiorem peltatim inserta horizontalia, 7-nervia, late ovata, basi nervorum pari infimo marginata, truncata, aut leviter sinuata, apice acuta et mucronulo minuto, subinflexo praedita, margine subreflexo subrepanda, 2,0—2,5 poll. longa, 2,5—3,0 poll. lata, utrinque mollia, pube tenuissima, albida, supra laete viridia, subtus glauca; *nervi* utrinque prominuli, subtus ad ramificationem infimam plerumque rubescentes dichotomi, in ipso margine confluentes in nervum folium cingentem; venae pul-

cherrime transverse reticulatim connexae; *flores* fructusque desiderantur.

107. **CISSAMPELOS CONVOLVULACEA** Wld. δ. **HIRSUTA.**

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4695.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 14. 51. Wlp. Rprt. I. 96. 1 an forsan *Clypea capitata* Bl. Bijdr. 28, Wlp. Rprt. I. 96. 5.

Descrpt. *Frutex* volubilis, rami teretes retrorsum hirsuti; *petioli* teretes 1 poll. longi, basi incrassati, flexuosi hirti; *folia* peltata, ovata, acuta, mucronata, basi truncata, membranacea supra hirta, subtus glaucescentia, tomentosa, 2—4 poll. longa, latitudine fere eadem; *inflorescentia* axillaris paniculato-racemosa; *flores* ad apicem ramulorum densissime capitato-conferti, hirsutissimi, minutissimi; flores pistilliferi (jam deflorati, stigmatibus 3 emarcidis, *calycis corollaeque* rudimenta vix distinguenda) bracteati; *germen* hirsutissimum oviforme 1-loculatum, gemmula 1; *stylus* brevis in stigmata 3 divisus; *fructus* carnosi, albidi, puberuli, oblique obverseque oviformes; *semen* erectum eadem cum fructu forma subcompressa, quasi implicata; *testa* crustacea badia; *embryo* periphericus; *albumen* subcentrale basi cum hilo continuum, membrana propria inclusum, radicula et apex embryionis hylum spectantes. — Nomen sundense: *A'roy tawùlu*, s. *A. tárawulu*, s. *A. ástrawulu.*

ANONACEAE DUN.

108. UVARIA LITTORALIS Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4717. Msn. Gen. 4. Comm. 6. 15 add. 339.

Char. Spec. cf. Bl. Fl. Jav. 26. t. 7. Wlp. Rprt. I. 78. 30. *Unona* Bl. Bijdr. 16. — Etsi cl. Blume flores non viderit, mihique fructus adipisci haud licitum fuerit, attamen e congruentia foliorum et habitus huc referenda nostra videtur! — Addenda haecce:

Descrpt. *Folia* basi (ut et in icone) rotundato-subcordata; — *flores* oppositifolii, pedunculo semipollicem vix superante bracteato, cum bracteis calyce et corolla extus ochra-

ceo-tomentoso; *calyx* irregularis 2—3-partitus, dein deciduus; *corolla* hexapetala patens intus primo rufa, dein rubiginosa, pube dense minuta tecta, *petala* interna vix majora, obovata, acutiuscula, aut obtusa, ima basi connata; *stamina* plurima torum depresso-globosum ad verticem fere arcte tegentia, petalis dimidio breviora, linearia, complanata, utrinque linea longitudinali elevata, extrinsecus supra antherarum loculos laterales in connexivum crassiusculum, obtusum, prominulum, oblique truncatum abeunte (Fl. Jav. l. c. 28); *pistilla* in floris centro staminibus vix breviora confertissima, caet. cf. l. c. p. 28, stylus deciduus. — Nomen sundense: *Kitjántung ároy.*

109. UVARIA GLAUCA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4717. Sppl. II. p. 107. 4721/1. Sppl. III. Bl. Fl. Jav. p. 13. V. Ambiguae.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 127. Catal. 808. 17. Wlp. Rprt. V. 14. 1.

Descrpt. Arbor stricta, apice ramosa, procera; *rami* glabri albido-cinerascentes teretes; *ramuli* subdistichi, glabriusculi, angulati; *folia* elliptica s. oblonga, utrinque acuta aut apice acuminata, coriacea, glaberrima, supra atro-viridia, splendentia, subtus glauca, 3,0—5,5 poll. longa, 1,0—2,0 poll. lata, integerrima breviter petiolata; *petioli* 0,4—0,5 poll. longi, teretiusculi; inflorescentia lateralis, fasciculata, multiflora; flores parvi; pedunculi 0,25—0,5 poll. longi, sanguinei, teretes, glabri; *calyx* tripartitus, minutus; laciniae ovatae, acutae, patentes, virides; *corolla* hexapetala, vix duplici serie disposita; petala virescenti-incana, subsericea, patentia, oblongo-lanceolata, 0,25 poll. longa, interiora vix angustiora, omnia basi inappendiculata; *stamina* plurima, toro hemisphaerico inserta; filamenta cuneiformia; antherae biloculatae, extrorsum adnatae, apicé connexivo peltato tectae; loculi rima longitudinali dehiscentes; *germina* plurima receptaculo inserta, minuta, sed staminibus longiora, globosa, apiculata, 1-loculata; stigma sessile subrecurvum; *gemmula* solitaria;

pedunculi fructiferi pollicem fere longi, teretes purpurei, apice incrassati, torum brevem subglobosum gerentes; *fructus* indehiscentes 2—7 monospermi, toro umbellatim inserti, pedicello (carpopodio) pollicem fere longo, rubenti, tereti, suffulti, globosi, pisiformes, atro-purpurei, subnigrescentes; *semina* erecta, depresso-globosa, rugosa, exarata; albumen lamellis tenuibus paucis percursum. — Nomen malaicum: *Káju tinjang*. — In horto colitur, forsan e sylvis littoreis borealibus Javae insulae allata.

110. ARTABOTRYS INTERMEDIUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4720.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 128. Catal. 810. 2. Wlp. Rprt. V. 15. 1. Species intermedia inter *A. hamatum* et *A. odoratissimum* Bl. Fl. Jav. 61 et 59, ob floris fructusque formam autem sejungenda; forsan *Anona hexapetala* Wld. Sp. pl. II. 1266. cf. Wlp. Rprt. I. 80. 1.

Descrpt. Caulis rami et ramuli floriferi *A. hamati*; folia et pedunculi (floriferi 0,5 poll. vix superantes) *A. odoratissimi*; *calyx A. hamati*, apice reflexus intus sericeus; *petala* viridia, exteriora paullo latiora et longiora, ovato-lanceolata, obtusiuscula, pollicem vix longa, minute tomentosa, crassiuscula, supra basin excavatam, constrictam (in interioribus intus sanguineam) atque genitalia penitus obtegentia, intus calloso-incrassata, callo (in interioribus majori) dense cano-tomentoso, superne assurgentia apiceque conniventia, nervo extus elevato vix notata; *torus* plano-convexus pilosiusculus; *stamina A. odortss.*, connexivo apice conico; *germina* 16—12 lineari-oblonga, dense aggregata, subpentagona, superne attenuata, glabra, uniloculata; gemmulae binae erectae, ovali-oblongae; stigma subrecurvum *A. odoratissimi*; *pedunculus* fructifer ejusdem (diameter totius syncarpii glomerato-umbellati 3-pollicaris); *fructus* indehiscentes 1—3,—18 subglobosi aut potius obovati, basi in carpopodium 0,25 poll. longum attenuati, (inevoluti saepius peripherici persistentes, fertiles, cingentes) apice rotundati, acutiusculi (nec mucronati l. c. p. 60), nec acuminati (l. c. 61), glaber-

rimi, primo virides, dein nigrescentes (nec elevato-punctati nec maculati); *pericarpium* immaturum, subcoriaceum, dein extus membranaceum et intus carnoso-pulposum; *semina A. odortss.* — diametro verticali 0,8 poll. longo, transversali 0,5 poll. primo castanea, dein brunnea; integumentum *A. odrtssi.*, *albumen* lamellis pergamaceis numerosis (40) tunicae in strata, cornea, candida divisum, integumento arcte adhaerens. — Ab *Uncaria uncata* Lour. pariter diversa videtur species haecce cf. DC. Syst. Veg. I. 491. 14. — Nomen sundense: *Kanánga ároy*, i. e. Michelia scandens; — s. *Kálak.*

Obs. 1. Descriptioni Blumeanae *Artabotrydes suaveolentis* Bl. (Fl. Jav. 62. t. 30 et 31. D. Wlp. Rpert. 81. 3) addenda sunt haecce: folia ad 1,5 poll. lata; corymbi pauciflori; flores decidui; petala interna, sanguinea, cano-pubera; stamina 3 externa, petalis opposita, ovata, acuta, plus duplo minora. — Nomen sundense: *A'roy kilàdja laláki.*

111. ANONA ASIATICA DUN. α. IMPUNCTATA DUN.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4723.

Char. Spec. cf. DC. Syst. Veg. I. 476. *a.* et 743. 15. Prdr. I. 86. 25. — Frsk. dscrpt. 102 (nec descriptio speciminis Candolleani) Commel. Hrt. Amst. I. 133 et 134. IV.a. sp.) *A. tuberosa* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 69. Citatum Rumphii amb. I. 138 quoad colorem et formam fructus huc pertinere videtur, t. 46 autem differt ramis aculeatis, petalis internis majoribus (aut toro elatiore fig. A. superne) fructuque magis globoso; utraque (descriptio ac icon) ab autoribus (Wght. et Arn. Prdr. I. 7. 21. Wlp. Rprt. I. 88. 23) ad *A. squamosam* citatur! — Blume celeberrimus (in Fl. Jav. 107). *Anonam squamosam* tantum in Java insula cultam dicit, sed diagnosis l. c. plane specimen nostrum quadrat; solummodo fructus delineatus et quoad formam magis rotundatam et quoad colorem atro-viridem apice subaureum primo visu differt; nostra enim habet fructus majores ovato-globosos glaucescenti-virentes, folia 2,5—4,0 poll. longa, 1,0—1,7 poll. lata, pedunculos 0,5—1,0 poll. longos. — Nomen malaicum: *Sirikáya*, i. e. seminum copia nec *Bòa nónna*, i. e. fructus virginalis, quod nomen ulterius A. reticulatae L. est tribuendum. — An forsan species haecce cum *A. Forskählii* et *squamosa* conjungenda in unam et varietatis typum solummodo indicat? (cf. *A. asiatica* β. Dun. DC. Syst. Veg. I. 476. DC. Prdr. I. 85. 15. 14 et I. 86. 25.

DILLENIACEAE DC.

112. COLBERTIA OBOVATA BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4747. Msn. Gen. 2. Comm. 5. 21. *Colbertia* Bl. nec Salisb. sec. Steud. Nomclt. bot. ed. II. incaute a divo Sprengelio cum *Wormia* Rttb. (Endl. Gen. 4750. Msn. l. c.) conjuncta. Ad Char. gener. reformatum Blumei addenda habeo haecce: stamina interiora longiora 2—3-serialia; germina 9—12 connata, germen ovatum, basi truncatum, simulantia, dorso medio sulcata; gemmulae 2-seriatae horizontales centrifugae; styli complanati articulatim inserti.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 6. Wlp. Rprt. I. 63. 1. *Wormia* Sprg. Syst. cur. post. 213 an *Colbertia augusta* Wll. Wlp. Rprt. I. 63. 3 huc referenda?

Descrpt. Arbor mense *Septembris* folia simulque flores subpraecoces proferens; rami crassi, teretes, cicatricibus petiolaribus semi-lunatis, semi-amplexicaulibus notati; *folia* annua, obovata, juniora (recentia), 6 poll. longa, 3,0—3,2 poll. lata, basi acutiuscula, nervis transversalibus percursa marginem attingentibus, ibique serraturas mucronulatas constituentibus, subtus prominulis hirsutis, margine ciliata; seniora (adulta) 10—15 poll. longa, 6—8 poll. lata, penninervia, glabriuscula; *petioli* 1,0 poll. longi, semi-teretes, margine subalati, ad basin quasi auriculato-semi-amplexicaules, ciliati; flores solitarii laterales aut subterni terminales, breviter pedunculati; *pedunculi* subteretes, crassi pollicem et ultra longi una cum alabastris adpresse pilosis, imoque strigosis; *alabastra* globosa 0,75 poll. alta, imbricata; *calyx* basi cum receptaculo florescenti-viridi connatus 5-partitus, laciniae atro-virides, strigosae, in anthesi patenti-reflexae, exteriores binae subrotundae, interiores obovatae, omnes crassae subcoriaceae, ciliatae, intus nitidae, concavae, post anthesin erectae conniventes, dein clausae, quasi alabastrum novum petalis destitutum formantes, oviforme 1,5 poll. diametro verticali, 0,8—0,9 poll. diametro horizontali; *corolla* decidua 5-petala; petala obovata, apice subrotundata, basi attenuata, 2,5—3,2 poll. longa, 2 poll. lata, citrina, nervis radiatis, dichotomis, excavatis notata; *stamina* plurima, exteriora 4—5-serialia,

minora, erecto-patentia; interiora 2—3-serialia, majora erecta; filamenta subteretia exteriora 0,1—0,2 poll. longa, interiora 0,5 poll. longa, in connexivum planum, lineare 0,3—0,4 poll. longum attenuata; loculi lateraliter adnati, apice poro dehiscentes; *germina* 9—12 connata germen unicum ovatum, basi truncatum, filamentis internis brevius simulantia, 1-loculata, dorso medio sulcata, glaberrima, albescentia; *gemmulae* in loculo quoque 30, 2-seriales, horizontales, angulo centrali insertae, centrifugae; styli articulatim inserti, complanati, 0,8 poll. longi; stigmata capitata; *fructus* quasi alabastrum incrassatum referentes, calycis laciniis vegetis carnosis, aurantiacis, foetidis arcte inclusi, carnosi ex humore gelatinoso, intra calycis lacinias secreto, 9—12-loculati, extus sulcati; loculi subsecedentes, in axi centrali inter se connati, carnosi, glutine farcti, crocei, oligospermi; *semina* lenticularia glutine arcte obvoluta, subrosea, centrifuga, biserialia. — Nomen sundense huic generi et *Dilleniae* commune: *Sómpor* s. *Sómpur*.

113. DELIMA INTERMEDIA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4764. Msn. Gen. 2. Comm. 4. 5; — sed petala adsunt nunc 2, nunc unicum, nunc 0; germina plerumque in flore singulo solitaria, nunc bina in eadem inflorescentia. — Affinitatem maximam ostendit ad *Curatellam* (Endl. l. c. 4759) quae numero petalorum, antheris introrsis et germinibus haud semper binis diversa; *Trachytella* (Endl. l. c. 4766) germinibus dein baccatis polyspermis et petalorum numero; *Doliocarpus* (Endl. l. c. 4761) germine baccante, stigmate peltato; *Davilla* (Endl. l. c. 4763), quae proxima accedit, germinibus 2—3, stigmatibus peltatis, capsulis calyce inclusis; — *Tetracera* (Endl. l. c. 4765) germinibus 3—4, gemmulis in quoque 3—5!

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 4. Wlp. Rprt. I. 67. 2. *D. tripetala* Bl. Sprg. Syst. Veg. II. 597; *D. sarmentosa* L. DC. Syst. Veg. I. 407. Prdr. I. 69. 1.? Bl. Cat. 80; cui nostra solummodo germinibus capsulisque pubescentibus diversa videtur. Icon Burmanni Ind. 122. t. 37. 1 plane nostram quadrat, sed flores praebens defloratos, dum in flore stylus vix stamina excedit et germen ab iis plane reconditur. — Icon Lamarkii (cf. DC. Syst. l. c.) quoad folia longe aliena et certe huc referri nequit. — Nomen sundense: *A'rey kiassáhan. laláki.*

114. TETRACERA ASSA Dc.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4765. Msn. Gen. 2. Comm. 4. 6.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 68. 5. Syst. Veg. I. 402. — *T. sericea* Bl. Bijdr. 3. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 213. Wlp. Rprt. I. 67. 4 (ubi *T. gracilis* Bl. false 5. *T. rigida* dicta!)

Descrpt. Frutex scandens, *rami* scandentes nunc subaphylli, internodiis longissimis 2,0—3,5 poll. longis, teretes strigoso-scabri ad nodos subincrassati, ibique dein ramulos tetragonos emittentes; *folia* forma admodum variabili, ovata, oblonga, obovata, basi attenuata nunc subrotunda, apice breviter acuminata s. acuta, a medio ad apicem serrato-dentata, ciliata, ad nervos subtus cum ramulis junioribus et pedunculis pubescentia; *petioli* breves canaliculati semi-amplexicaules; *inflorescentia* paniculato-racemosa, 4—6-flora terminalis; *pedunculi* saepe 2—3-bracteolati; *bracteolae* ovato-lanceolatae, ciliatae patentes, saepissime minutae; *calyx* plerumque 4—, rarissime 5-sepalus; *sepala* bina externa cum internis cruciatim disposita, in praefloratione duplici serie corollam imbricatim tegentia, *alabastrum* subglobosum, apice rumpens fingentia, extus glabra, apice sanguinea, dein patentissima, obovata, concava, intus subsericea; *corolla* 4-petala aut hinc inde 3-petala (rarius rudimento pet. 5-ti); petala obovata, basi attenuata, albida, patentia, decidua; *stamina* plurima; *filamenta* vix dimidia petala longa, filiformia, apice sanguinea clavata, loculos binos antherarum distantes gerentia; *germina* in floribus tetrapetalis 4, in tripetalis 3 oviformi-oblonga, distincta; *gemmulae* in quoque plurimae; styli filiformes; stigmata plana.

BERBERIDEAE VNT.

115. NANDINA DOMESTICA Hrnst.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4815. Msn. Gen. 6. Comm. 8. 3.

Char. Spec. cf. Thnb. Fl. Jap. 147. DC. Prdr. I. 109. 1. Schlt. VII. 1 ubi descriptio, cui addenda habeo haecce:

Descrpt. Fruticulus ramis parcis, erectis, rudimentis vaginarum petiolorum tectis; *folia* ternato—2-pinnata aut

supradecomposita; *petiolus* basi (Umbelliferarum instar) vaginans, subteres, sanguineus, ad ramificationes roseus, articulatus, petioli secundarii saepe petiolo, et foliola petiolulis adnati et inde petioli sulcati et *foliola* hinc subopposita, plerumque terna, aut altero deficiente bina imoque solitaria, aut bina ternaque connata, indeque tripartita, bipartita aut bifida, intermedium majus, oblongo-lanceolata, longe acuminata, basi attenuata aut acuta, coriacea, glaberrima, supra atro-viridia, subtus pallidiora, nervo intra-marginali, 1,5—3,0 poll. longa, 0,5—1,0 poll. lata; *inflorescentia* paniculata terminalis ramosissima, erecta, pyramidalis; *rami* patentes dichotomi; *pedicelli* vix 0,2 poll. longi teretes; *calyx* bracteis 18 triseriatis, imbricatis, caducis suffultus, 6-sepalus; *corolla* 6-petala, 0,7 poll. diametro; petala patentia, dein reflexa, decidua, alba, oblongo-lanceolata et basi integerrima, una cum sepalis toro subgloboso inserta; *antherae* conniventes extrorsae lateraliter dehiscentes pistillum obtegentes; *germen* oblongum 1-loculatum; gemmulae 2—3; stylus brevis roseus, subtrigonus, truncatus. E *Japonia* introducta, altitudine 800 ped. supra mare vix vegetans, altitudine 3500 ped. supra mare in horto *Tjipannas*, laete viva et quotannis flores proferens.

CAPPARIDEAE VNT.

116. CAPPARIS FLEXUOSA Bl. nec L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5000. Msn. Gen. 17. Comm. 15. 10 et add. 342.

Char. Spec. cf. Endl. Gen. 5000.b. Bl. Bijdr. 53 nec L. DC. Prdr. I. 249. 61. — *C. micracantha* DC. var. γ. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 204. — Species a clsso. Wlp. Rprt. I. 199. II. 765 V. 54 neglecta!

Descrpt. Frutex arborescens, rami teretes flexuosi, folia utrinque attenuata (nec subcordata = *C. micracantha* DC. Prdr. I. 247. 33. Bl. Bijdr. 52. — et *C. subcordata* Spanoghe Wlp. Rpert. I. 199. 17) — elliptico-oblonga, apice saepe scariosa, coriacea, glabra (nec juvenilia tomentosa = *C. zeylanica* Wght. et Arn. Prdr. I. 25. 87 — cf. adhuc Wlp. l. c. I. 198. 16 et II. 765. 1.). *Pedunculi* in ramulis junioribus supra-axillares 2—3-ni, superposite seriales; evolutio anthe-

seos centrifuga; *calyx* 4-partitus persistens erectus, dein declinatus; corolla 4-petala; *petala* sepalis alterna, magnitudine dupla ea superantia, lanceolata, ciliata, bina majora inferiora, bina minora superiora sibi adproximata quasi petalum unicum, profunde partitum, simulantia, candida, margine interiora lutea, dein badia; *stamina* 38; filamenta filiformia, apice subulata albida; antherae basi filamentis insertae, biloculatae, oblongae, albidae, introrsae; loculi longitudinaliter rima dehiscentes; pollen globosum laete coeruleum; gynophorum stipite crasso, filamenta longitudine subaequante suffultum; *germen* 4-loculatum striatum, ovoideum; *gemmulae* in loculis ∞, dissepimentis affixae; *stigma* sessile crassum infundibuliforme rubrum pubescens. — Nomen sundense: *Kalídung* s. *Tjampáka lútung ároy* i. e. Michelia simiarum nigrarum scandens; s. *Kaliágeh gúnung* i. e. Trophis montana.

117. CRATAEVA MAGNA DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5003. Msn. Gen. 17. Comm. 15. 12, sed sepalorum limbus duplex, alter externus lanceolatus deciduus alter internus inflexus crassus costatus, stipitis germinis marginem attingens.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 243. 10, qui jure hanc speciem a *C. religiosa* Frst. DC. l. c. 2. — sejungit, quacum a Sprengelio divo (Syst. Veg. II. 243) confusa; — differt nostra a *C. religiosa* longitudine filamentorum, toro hemisphaerico et petalorum forma (cf. Rheed. III. t. 42 icon, ab autorb. ad *C. religiosam* citata, a Wght et Arn. autem ad *C. Nurvala* Hmlt. l. c. 23. 77) ducta, quae a clss. Walp. Rprt. I. 201 praetervisa! — an haec a nostra diversa: foliolis ovato-lanceolatis? — *C. religiosa* Bl. (nec Frst.) Bijdr. 54.

Descrpt. Arbor excelsa, saepe stolonifera; *folia* ternata; *petioli* compressi, semiteretes aut subteretes ad insertionem foliolorum glandulosi, glabri 1,5—4,0 poll. longi; *foliola* breviter petiolulata, oblongo-lanceolata aut elliptica, utrinque acuminata, lateralia basi inaequaliter attenuata, glaberrima, supra lucida, subtus glauca, transverse venosa 3,0—6,5 poll. longa, 1—2 poll. lata; *stipulae* ad apicem ramulorum minutae, lanceolatae, acuminatae, deciduae; *inflorescentia* racemosa terminalis; *pedunculi* 1,0—2,5 poll. longi, teretes glabriusculi; *calyx* 4-sepalus; sepala limbo duplici;

externus lanceolatus, basi attenuatus, incurvus, deciduus; internus crassiusculus costatus, sulcatus viridis, incurvus, marginem stipitis attingens; *corolla* tetrapetala; petala unguiculata, sepalis alterna, primo decussata, subaequalia, 0,4 poll. longa, dein secunda, unum paullo majus 0,6—0,9 poll. longum, ovata viridi-albida, dein flavescentia; *stamina* plurima stipiti germinis brevi crasso subcylindrico ad apicem inserta, successive se evolventia, decidua; filamenta 2,0—2,4 poll. longa filiformia, flexuosa; antherae subrecurvae, lineari-oblongae, basi emarginatae; loculi distantes paralleli, rima longitudinali dehiscentes, sanguinei; pollen aurantiacum; — *stipes germinis* basi limbo interno sepalorum conniventi occultus et stipitem hemisphaericum simulans. — Nomen sundense: *Rándu álas* idem ac Salmaliae malabaricae.

PAPAYACEAE BL.


118. CARICA PAPAYA L.

Char. Gen. et *Fam.* cf. Msn. Gen. 123, add. 356. 2, Endl. Gen. 5119, Wght. et Arn. Prdr. I. 351. — Flores nunc monoici, nunc polygami, plerumque dioici; corolla floris staminigeri hypocraterimorpha (nec tubulosa autor.) gamopetala, floris pistilligeri dialypetala conniventi-campanulata, floris ☿ mediam inter utramque formam tenens; *flores* nunc 4-meri, staminibus 8, plerumque 5-meri, staminibus 10 biseriatis; stamina pentadynama breviora interiora limbi laciniis opposita, in ☿ stamina 5 tubo corollino in fauce inserta, laciniis limbi alterna. — Bl. de nov. quib. fam. 2. Brtl. Ord. 427. Wlbrnd. nat. Pflzfam. p. 20 hanc familiam *Gamopetalis* addicunt.

Char. Spec. cf. ll. spr. cc. et Wlp. Rprt. II. 205. 1. Endl. Ench. 487, truncus autem etsi saepe in juventute simplex, attamen senilis saepissime ramos 3—5 aut plures erectos emittit (cf. etiam Rmph. amb. I. p. 145. t. 50 et 51, ubi p. 147: „in Amboina quoque arbores conspeximus, quae multo crassiorem reliquis gerebant truncum, quae tamen extendebantur in multos explicatos et incurvos ramos, instar Socci arboris." — De arbore staminigeros flores gerente pariter fructigera jam ante 200 annos scripsit Piso IV. c. 23. p. 159 uti et Rheed. Mal. I. 21—23. t. 15, Rumphio (l. c. 149) nunquam obvia, etsi fructuum rudimenta observavit — vide Hsskl. Catal. 854. 1 in nota. — Wld. Sp. pl. IV. 814. Bl. Bijdr. 941.

Descrpt. florum! *Flores* ♂ in *racemis* compositis elongatis, primo erecto-patentibus, dein pendulis 5—30 poll. longis dichotome ramosissimis, plurimi sessiles suaveolentes;

bracteae ad ramificationes dichotomas inferiores lineares acutae, 0,15 poll. longae, virides adpressae, deciduae, superiores late ovatae, acutae, adpressae, persistentes virides; *calyx* brevissimus 5-fidus; *laciniae* ovatae, acutae virides, margine tenuiores, erectae, adpressae, dein patentissimae, corollae tubi basin sustinentes; *corollae alabastrum* juvenile subgloboso-ovatum viride 0,07 poll. longum, *tubo* brevissimo, calycem haud aequante; dein tubo rapide excrescente obovatum, elongatum, 1,3—1,5 poll. longum (cujus *limbus* 0,6 poll. longus) flavescens rectum; *corolla* evoluta hypocraterimorpha; *tubus* subcylindricus apice vix incrassatus 1,0 poll. longus; *limbus* 4-, plerumque autem 5-partitus, in praefloratione contortus, imbricativus, in anthesi patenti semi-reflexus tortus; *laciniae* dextrorsum torsae, patentes, apice semi-reflexae, oblongae, acutiusculae, crassiusculae, 0,6 poll. longae, 0,2 poll. latae; *corolla tota* postea una cum calyce et genitalibus vegetis decidua; *stamina* in *alabastro juvenili, 0,07 poll. longo*, in ima corollae basi inserta, biseriata; *series externa* antheris erectis introrsis, *interna* inflexis extrorsis, filamento adnatis et inde pariter introrsis; *filamenta* brevia, interna breviora tenuissima, pilis hyalinis nodulosis tecta; *antherae* utrinque bilobae, externae oblongae, utrinque obtusae, internae oblongo-lanceolatae, acuminatae; *pollen* nondum aut vix in globulos solutum; *pistillum* conicum laeve in fundo calycis, stamina longiora subaequans, brevioribus longius, stylus subuliformis integer albidus; *gemmulae* in loculo unico nullae; in *alabastro 0,3 poll. longo antherae* flavescenti-virides, apices antherarum interioris seriei inflexarum ad pistilli 0,125 poll. longi partem tertiam superiorem in corollae fauce tangentes, idque dimidio superantes 0,09 poll. longae, rectae utrinque bilobae; *filamenta* in antheris liberis e basi lata linearia, pilis albidis longis nodulosis erectis tecta; *pollen* angulato-globosum (dodecaëdron) copiosum, fovilla nondum conspicienda, jodinae ope vix flavescenti-tincta; in *alabastro 0,35 poll. longo filamenta* candida 0,1 poll. longa, pars libera 0,02 poll. longa, *antherae* jam flavescentes, externae 0,08 poll. longae oblon-



gae, utrinque bilobae, internae oblongo-lanceolatae, acuminatae, 0,1 poll. longae, basi subcordatae, apice 2-fidae; in *alabastro* 0,6 *poll. longo* tubus corollae 0,3 poll. longus; *filamenta* candida lanata, externa longiora lata, interna brevissima, acuminata; *antherae* exteriores 0,08 poll. longae apice vix bilobae, 2-apiculatae, basi bifidae, lobis divaricatis, interiores 0,11 poll. longae, omnes adhuc clausae; *pistillum* 0,2 poll. longum, candidum, lucidum subuliforme, e basi conica, antherarum interiorum basin fere attingens; in *alabastro* 0,8—0,9 *poll. longo tubus* corollae 0,4—0,5 poll. longus; *antherae* nullo modo auctae aut mutatae, nec *pistillum*, cujus apex autem 0,1—0,17 poll. a basi antherarum interiorum distat; — in *alabastro* 1,0 *poll. longo* tubus corollae 0,55 poll. longus, longitudo et forma antherarum, filamentorum et pistilli haud mutatae; apex styli a basi antherarum interiorum 0,25 poll. distans, *antherae* autem seriei utriusque laete luteae, simul longitudinaliter rima laterali dehiscent; *pollen* album globosum, fovilla plenum; in *alabastro* 1,2—1,6 *poll. longo tubus* corollae 0,7—1,0 poll. longus, antherae et pistillum eadem longitudine et forma; *antherae* magis apertae, *pollen* copiosum, dein pallescens effoetentes; *fovilla* e polline in aqua sub lente inspecto copiosa effusa, e granulis minimis constans; in corollae apertae fauce *antherae* conniventes exteriores filamentis longioribus praeditae, conniventes, interiores obtegentes, internae omnes polline effuso tectae.

Flores ☿ plerumque racemorum jam supra descriptorum terminales solitarii, — nunc (cf. Hsskl. Catal. l. c.) toto habitu flori staminigero similes pistillum quoque gerentes, stipite corollae tubo aequilongo suffultum, in fauce corollae exsertum, fructusque proferentes subglobosos costatos, nunc apice irregulares plus minus in folia carpica solutos; — nunc (quam formam *Bataviae* semper reperi mensibus Septembri ad Majum 1846) habitu florum pistilligerorum sed minores; *calyx* prioris, sed robustior, *corollae tubus* brevissimus (uti in alabastro ♂ 0,07 poll. longo, cujus *tubus* dein haud evolutus); *limbus* 5-partitus, ante anthesin uti in ♂ dextrorsum convo-

luto-imbricatus, *laciniae* robustae, oblongo-lanceolatae, intus flavescentes extus flavescenti-virescentes et subcarinatae, 0,9 poll. longae, 0,30—0,35 poll. latae, apice minute subinflexae, persistentes marcescentes; *stamina* 5, fauci tubi inserta et lacinias corollae alternantia; *filamenta* erecta filiformia, albida, extrorsum pilis nodulosis, albidis lanata, intus glabra, 0,3 poll. longa; *antherae* longae, strictae, erectae, basi sagittatae, biloculatae, rima longitudinali utrinque dehiscentes; *staminum series* interna nulla; *germen* oblongo-oviforme, profunde 5-sulcatum, flavum uniloculatum, quasi e germinibus 5 introrsum apertis externe apicem versus connatum, vertice plus minus apertum; *styli* 5, *singulus* in quoque carpello dichotomus et iteratim ramosus et inde stigmata 5 lacerata; *fructus* e floribus hisce progredientes penduli longiores, plerumque oblongo-subcylindrici aut plus minus profunde 5-sulcati, basi ad mediam et supra steriles versus apicem tantum semina rite evoluta gerentes.

Flores (arboris diversae) pistilligeri (♀): *calyx* priorum sed robustior; *laciniae calycinae* 0,2 poll. longae crassiusculae patentes; ante anthesin erectae; *corolla* tubo plane abortivo 5-petala; *petala* coriacea crassiuscula e basi lata, lanceolata, albido-flavescentia, acuta, 1,5 poll. longa, 0,5 poll. lata, decidua; rudimenta staminum etiam in alabastris juvenilibus nulla; *germen* globoso-oviforme sub-5-gonum; *stylus* e 5 connatis solitarius brevis crassus; *stigmata* 5 dichotome iteratim ramosus; caet. vid. char. gen. — fructus 5-gono-pyramidato-oviformis *).

α. Arbor floribus plerumque staminiferis = *Papaya cucumerina* Norh. Verh. Bat. Gen. V. 82. Nomen malaicum: *Papaya*, sundense: *Gedàng gántul*, javense: *Kádes gántul*.

β. Arbor floribus pistilliferis = *Papaya communis* Norh. l. c. Nomen mal. idem, in insula Rhiow autem *Beldèk*, sundense: *Gedàng*, javanicum: *Kádes gámblo*.

---

*) In hortis prope *James-town* insulae S.tae. *Helenae* fructus vidi Papayae giganteos 5-angulares basi paullo attenuatos, summo apice tantum vix attenuatos, 6—7 poll. et ultra longos, 3,0—4,0 poll. crassos. — Jul. 1846.

CUCURBITACEAE JSS.

119. MUCKIA SCABRELLA Arn. β. et γ. Rheedei et Rottleri.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. Sppl. II. p. 77 ante 5133. Msn. Gen. add. 22/1 solummodo antheris rectis forsan differt. — *Involucraria* Ser. Msn. Gen. 127. Endl. Gen. 5140. c. bracteis magnis fimbriatis, racemos ♂ involucrantibus et *Trichosanthes* ll. cc. antheris distinctis diversa; — *Rytidostylis* Hook et Arn. Endl. Gen. Sppl. I. 5145/2. Msn. Gen. Sppl. 356. 37, differt: petalis lanceolatis, (nec fimbriatis, incisis) in ♂, et basi tuberculatis in ♀, germine echinato nec lanato, stigmate capitato nec 3-fido, floribusque ♂ corymbosis, nec 2—3-nis axillaribus; — *Aechmandra* Arn. cf. Endl. Gen. Sppl. II. p. 76 ante 5130, Msn. Comm. 356. 25/1, haud differt, nisi corollae lobis indivisis; — *Bryonia* Endl. Gen. 5130, Msn. ll. cc. antheris discretis differt et corollae lobis integris. — Annon in hac familia, uti in Cyperaceis, generum divisio nimis aucta?

Char. Spec. *M. scabrella* Arn. Wlp. Rprt. II. 199. 1. *Bryonia* Wlp. l. c. 198. 3, V. 760, Wght. et Arn. Prdr. I. 345. 1074, DC. Prdr. III. 306. 32 praeprimis differt floribus breviter pedunculatis et foliis lobo medio longiore, seminibus rugosis; — *Bryonia mucronulata* Bl. Bijdr. 923, DC. Prdr. III. 304. 3 floribus 2-oicis differt fructibus ovatis nec globosis; — *B. rostrata* Rttl. W. et A. l. c. 346. 1080 e diagnosi nostram plane quadrat, exceptis baccis ovatis 2—6-spermis, sed alter autorum Arnot clbrr. hanc ad *Aechmandram* suam ducit, quae petalis indivisis diversa! ex autopsia autem autores hanc speciem cum originaria *Rottleriana* comparaverunt, cf. Wlp. Rprt. II. 198. 8, 196. 1. Rumphii amb. V. t. 166 quoad folia similis sed ob flores etc. diversa.

Descrpt. Herbae monoicae perennes repentes in pratis et apricis juxta vias prope *Bataviam*, *Bidara-tjina* et forsan per totam *Javam occidentalem* vulgatissimae, a Malaiis *Lópaŋ*, a Sundensibus: *Aroy Kaláyar béner* dictae, per totum annum horis nocturnis (8 P. M. — 6 A. M.) flores sat magnos albidos fragrantes, ♂ calidos ad antheras, expandentes, horis matutinis jam clausos et staminigeros deciduos; *caules* 3—5 ped. longi, *ramique* 4—7 poll. longi procumbentes, ad nodos radiculas axillares ramosas solum petentes emittentes et inde repentes, debiles 5-goni, 0,07 crassi, geniculati; *internodia* plerumque plus minus 2 poll., in flagellis saepe 4 poll. longa, sublanata, canescentia pilis longis attenuatis articulatis, ad apicem ramorum densis adpressis, albidis, hisce dein patulis rarioribus hirsuta, inferiora glabrata asperula aut hirta viridia;

cirrhi stipulares in gemma circinati, dein patentes et convoluti imoque irregulariter conglobati ad basin petioli unilaterales simplices pallide virides, pilis minutis puberuli, dein glabrati; *petioli* alterni erecti (coelum versus), basi plerumque adscendenti-flexuosi, 0,5—2,3 poll. longi, ramo crassiores subteretes pilis articulatis acutissimis apice saepe hamulatis (hyalinis) albidis hirsuti, subineani, dein hirti virides, pagina superiore subcanaliculati, juveniles cum ramulis et foliis nondum evolutis albido-, sericeoque lanati; *folia nondum evoluta* 0,5 poll. longa et lata, mollissima, cordata 5-, sub-7-loba, lobis acutis denticulatis, nervis subtus valde prominulis 5—7, *adulta* rigida in petiolo verticali subpeltatim inserta horizontalia, cordata, lobis rotundatis imbricatim sese margine tegentibus et inde folia subcucullata, diametro 3 poll., *inferiora* 5—7-loba, lobis rotundatis, repando-dentatis, lobo medio majori, *superiora* angulata vix lobata, nunc subrotunda diametro 3 poll.; *summa* (ramulorum) sub-5-loba, 2,0—2,5 poll. longa et lata, margine dentata, dentibus mucrone apiculatis, nunc repando-dentata subintegerrima, supra concava, atro-viridia, bullata, asperrima e pilis minutis, articulatis, acutissimis apice hamulato-reflexis, subtus pallide viridia in nervis eorumque reti eleganti prominulis dense hirta; *flores* axillares plerumque 3-ni aut gemini succedanei collaterales, plurimi staminigeri, pauci pistilligeri (ex eadem cum staminigero axilla!), juveniles conformes pilis longissimis, sericantibus, adpressis sericeo-lanati subsessiles; *pedunculi* in ♂ magis evoluti, teretes, erecti, flexuosi, versus apicem paullo incrassati, hirsuti 3,0—4,0 poll. longi, 0,1 poll. crassi, flore deciduo longiter persistentes, dein basi soluti decidui; in ♀ cylindrici haud ita evoluti crassiores 0,3—0,4 poll. longi, erecti, stricti, hirsuti; *calyx* juvenilis 0,2—0,3 poll. longus, tubuloso-campanulatus; *limbus* 5-partitus; *laciniae* subulatae, crassiusculae conniventes, tubo paullo breviores, vix 0,01 poll. longae; *tubus* dein in ♂ et ♀ diverse evolutus, in ♂ basi attenuatus sensim in pedunculum transiens, a medio fere inflatus et inde subclavatus; *pars superior* 0,5 poll. longa, 0,35 poll.

lata campanulata, *inferior* infundibuliformis 0,12 poll. lata, 0,6 poll. longa, lineis glandulaceis luteis 3-bus (staminibus) elevatis in fundo notata; tubus extus intusque pilis multi-articulatis puberulus; pili interiores longi, nec ita acuti et in cellulis succo granulis minutis diaphanis foeto pleni; *in* ♀ (tubus) *basi* urceolatim ovatus, germini adnatus, supra germen paullo attenuatus et infundibuliformi-tubulosus; *pars inferior* inflata viridis 0,3 poll. longa, 0,25 poll. lata, *superior* pallescens virescenti-albida, striis viridibus percursa, pariter extus et intus pilis densis puberula 0,7 poll. longa, 0,2 poll. lata, (si vis partem inferiorem in ♂ angustatam, in ♀ inflatam germini adnatam diceres *tubum*, partem superiorem in ♂ inflatam, in ♀ tubulosam *limbum* sumeres!); *limbus* in utroque 5-partitus; *laciniae* (ante anthesin conniventes, dein) patentes subrecurvae oblongo-lineares acutae, virides crassiusculae, 0,12 poll. longae, in ♂ robustiores 0,3 poll. longae, ad medium dente uno alterove sat crasso praeditae, imoque sub-3-fidae, aut subpinnatifidae; *corolla* calycis tubum totum vestiens gamopetala; *limbus* tantum liber continuus albus 5-partitus; *laciniae* candidae, fauci calycis inter lacinias easque alternantes insertae (nec articulatim!), in praefloratione imbricativae et margine utroque involutivae, horis nocturnis patulae, nervis 3 crassis subtus prominulis, dichotome ramosis ad apicem percursae, pilis albidis minutis utrinque puberulae cuneatae, peripheria externa sat lata, truncatae, lacerato-fissae, mucrone viridi in medio praeditae, 1,3 poll. longae, apice 1,5 poll., basi 0,2 poll. latae, margine haud contiguae, fissuris singulis profundioribus sublobatae, ♀ paullo minores, minus profunde lacerae, 1,0 poll. latae, 0,8 poll. longae, margine contiguae, post anthesin involutae et marcescentes in ♀, in ♂ cum calyce et genitalibus caducae; *stamina* 3; *filamenta* calycis tubo intus corolla vestito ad partis inflatae basin inserta erecta, basi libera albida, 0,1 poll. longa, bina latiora, e biniis collateralibus conflata, 0,3—0,6 poll. lata, unum angustius, apice connata in corpus cylindricum 0,1 poll. crassum, 0,5 poll. longum, in centro canali trigono tenui perforatum et sectione transversali

quasi 3-loculatum (e 3 connatum) antheriferum, inter gyros 15 antherarum et ad apicem pilis brevibus crassis, articulatis, hyalinis, granulis sat magnis croceis foetis et inde nudo oculo visis laete luteis, acutis tectum; *antherarum gyri* paralleli, arcte sibi adpressi, recti et basi subinaequales, lucidi, pallide flavi, medio leviter sulcati, (sectione horizontali) septo incompleto e connectivo centrali progresso semi-biloculati, linea longitudinali dehiscentes bivalves, 0,5 poll. longi, 0,3 poll. lati; *membrana* gyrorum *interna* e cellulis transversalibus spiram continentibus conformata; *pollen* albidum globosum sat magnum, copiosum, fovilla copiosa foetum eamque poris tribus in 3-angulo sitis emittens; *germen* oviforme totum fere calyci adnatum, vertice tantum liberum, et toro glanduloso luteo, styli basin cingente tectum triloculatum, 0,3 poll. longum, 0,15 poll. crassum; *gemmulae* in loculo quoque plurimae horizontales; *stylus* basi crassus cylindricus, 0,5—0,6 poll. longus, apice clavatus 3-fidus; *laciniae* erectae, dein subpatenti-reflexae, apice bifidae, intus stigmatosae papillosae, subreflexae extus sulcatae in fauci corollae subexsertae; *fructus* ovato-globosi solitarii, breviter pedicellati, diametro pollicari, calycis tubo emarcido coronati, hirsuti, primo glaucescentes, striis albidis, longitudinalibus notati, dein miniati, solis radiis hinc coccinei, indehiscentes; *pericarpium* 0,1 poll. crassum aurantiacum, carnosum; *pulpa* atro-viridis semina obvolvens eaque conglutinans, succum continens viridem (sub lente maxime augente hyalinum) globulos hyalinos, minutissimos et sat magnos suspensos continentem intra membranam tenuissimam (Schld. l. c. I t. I. f. 1. *a*—*d* repraesentantes); *dissepimenta* evanida et inde fructus 1-locularis; *semina* autem in acervos 3 pyramidatos externe convexos ope pulpae cohaerentia, plurima oblonga, subcomplanata, subcurvata, lucida, badia albuminosa; *testa* coriacea sat crassa laevis; *cotyledones* oblongae, convexo-planae, lacteae, sat crassae; *radicula* in inferiore seminis parte versus hilum spectans. — Per totum annum flores copiosos fructusque raros gerentem vidi $184\frac{5}{6}$.

120. COCCINIA INDICA WGHT. ET ARN.

Char. Gen. Ob stamina 3-libera (conglutinata! nec connata!) corollamque 5-lobam (nec 5-petalam s. 5-partitam) solis *Zehneriae* Endl. et *Schizocarpo* Schrad. affinis nostra; *prior* (Endl. Gen. 5127. Msn. Gen. 126) differt: glandulis in fundo calycis 3 et in ♀ praesentibus, floribus luteis, antherarum loculis oblongis oppositis, connectivum globosum marginantibus et forsan fructu? — ulterior (cf. Endl. Gen. 5144. Msn. l. c. — genus haud sufficienter notum!) forsan solo fructu dehiscente distinguendum! — *Rhynchocarpa* Schrad. Endl. Gen. 5129, Msn. Gen. add. 356. 3, calycis ♂ tubo subgloboso, corollae limbo 5-partito denticulato: connectivo 2-lobo, calycis ♀ tubo apice longe producto tubuloso, floribus luteis ♀ et ♂ saepe collateralibus; — *Pilogyne* Schrad. (e clss. Endl. ad *Zehneriam* suam ducta) quoad stamina, stigmata et glandulas deficientes valde adfinis, solummodo corolla 5-partita, floribusque ♂ racemosis differt; — *Bryonia* L. staminibus connatis, calycis tubo constricto infra limbum, corollaque profunde partita sat diversa, Endl. Gen. sppl. I et II nullum genus affinius cf. Hsskl. Adnot. et Catal. 856. 7 ad *Bryoniam leucocarpam* Bl., *Bryonopsis* Bl. (nec Arn.) Bijdr. 922, quod nomen genericum ulterius synonymo Arnottiano cedendum erit. — *Coccinia* Wght. et Arn. Prdr. I. 347. Msn. Gen. 127, Endl. Gen. 5139, an jure ab generibus antecedehtibus distinguendum genus? — annon etiam in hac familia genera plura nimis disjuncta et in pauca, ni in unum tantum conjungenda!? cf. Endl. Gen. sppl. II. p. 76 et seq. — cf. p. 184.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 347. 1084, Wlp. Rprt. II. 202. 1 cum citt., varietates autem hoc loco enumeratae, in eodem ramo saepe conspiciendae; — an *Bryonia palmata* DC. Prdr. III. 308. 51 jure a Wght. et Arn. huc relata? ob fructus globosos valde dubito!

Descrpt. Herbae dioicae volubiles basi suffrutescentes, in fruticetis sepibus etc. prope *Bataviam*, *Bidara-tjina* vulgatae; *rami* longi teretes tenaces glabriusculi, uti tota planta laete virides; *internodia* 1,0—3,5 poll. longa, 0,1 poll. crassa; *cirrhi* stipulares simplices virides glabri, primo circinatim involuti, dein spiraliter torti, 4—7 poll. longi; *petioli* alterni plerumque secundi lucem versus, sat crassi teretes, supra anguste canaliculati, basi saepe flexi 1,0—2,0 poll. longi, 0,1 poll. crassi, intense virides; *folia* petiolis subpeltatim inserta, relatione horum horizontalia, palmatim 5-nervia, aut 5-angulata, sub-5-loba, lobo quoque in folio quam maxime juvenili mucrone carnosulo ad basin ciliato, lobi intermedii multo lon-

giore subulato, apice subreflexo munito, basi exciso-cordata, in nervorum eorumque ramificationum axillis zonato-glandulosa, glandulis supra nunc paullo prominulis pallidioribus, subtus subconcavis nectari saepe foetis (cf. Grtn. Befruchtg. I. p. 64), margine repando-denticulata, denticulis minute mucronato-glandulosis, angulis obtusis obsoletis, intermedio semper productiore acuto aut acuminato, nunc acutis, nunc obsolete 5-loba, sinubus obtusis 3,0—5,5 poll. longa, 3,0—4,5 poll. lata, glaberrima, margine (dein obsolete) ciliolata, carnosula, supra atro-viridia, subtus pallida nunc subglaucescentia et eleganter intensius reticulata; — *specimina flores* ♀ *proferentia folia* praebent minora (an semper?) 2,0—3,0 poll. lata, 2,5—3,5 poll. longa, magis acute angulata et nunc profundius lobata, lobo medio longiore; *rami steriles* floribus nondum evolutis *folia* habent prioribus plane conformia, nunc magis acute angulata, aut leviter lobata, ad 6 poll. longa et 5 poll. lata, nunc minora, versus apicem ramulorum profunde 5-loba, lobis versus basin paullo attenuatis, angulato-dentatis; *bracteae* ad basin pedunculi (nunc in ramo nondum florifero abortivae) axillares breves patentes subrotundae, diametro 0,1 poll. supra concavae virides, apice praeprimis in prima evolutione patenti *glandulosae; pedunculi* axillares saepe lucem versus secundi, flexuosi, floribus articulatione juncti et ♂ post anthesin ibidem deciduis; florum ♂ longiores pallide virides 1,5—2,0 poll. longi, versus apicem paullo incrassati, florum ♀ fere duplo crassiores saturatius colorati, 0,7 poll. longi; *calyx* ♂ turbinatus pallide viridis; *tubus* basi attenuatus, subpentagonus 0,30—0,35 poll. longus; *limbus* subreflexus 5-partitus; *laciniae* sat crassae lineares acutae virides, apice glandulosae rufae 0,2 poll. longae, 0,05 poll. latae, sinu latissimo 0,2 poll. longo interstinctae; *floris* ♀ *tubus* oblongus cylindricus viridis lucidus apice attenuatus 0,55 poll. longus, 0,15 poll. crassus, obsolete 10-costulatus; *limbus* subcampanulatus, 0,15 poll. altus, laciniis 0,1 poll. longis, caeterum calyci ♂ conformis; *corolla* candida utrinque puberula calycis tubo in ♂, limbo in ♀ toto basi adnata, 1,3—1,4 poll.

alta, ♂ paullo robustior campanulato-infundibuliformis, horis nocturnis et matutinis tantum expansa 5-loba, *lobis* ovatis ♀ acutis, in ♂ acuminatis, apice glanduloso-mucronatis, nervis 20 a basi radiatim divergentibus, extus prominulis viridiusculis percursa; in fundo tubi (♂ et ♀) intus membrana crassiuscula, glandulosa, lobata, flavescenti-viridiuscula vestita, in praefloratione complicato-valvata; *stamina* fauci inserta in ♂ extrorsa 3 conniventia et introrsum conglutinata nec connata; *filamenta* basi incrassata, sub-3-gona, albescenti-viridia, 0,2 poll. longa, apice in *connectivum* cordatum, 3-lobum, gyratum et inde 6-cristatum, 0,3 poll. longum, dorso 0,3 poll. latum continua; *antherae* margini elevato connectivi gyrato adnatae undulatae flavae, bivalves uniloculatae, (aut potius biloculatae, loculis confluentibus); *pollen* copiosum flavescenti-albidum, siccum (nec exsiccatum sed e anthera vix aperta sumptum) oblongum, subellipticum, in aqua submersum mox globosum, poris 3 conspicuis in triangulum positis dehiscens; *stamina* in ♀ 3—5 conniventia, albida, castrata; *filamenta* basi crassiuscula, lata, 0,1 poll. longa, apice acuto subulata, tota pilis albidis patentibus subcylindricis nodulosis villosa; *antherae* nullae; *pistillum* in ♂ nullum rudimentarium; in ♀ germen cylindrico-oblongum calycis tubo arcte adnatum, vertice membrana, crassiuscula, glandulosa tectum, 0,5 poll. longum, 2—3-loculatum; *gemmulae* plurimae receptaculo (placentae) e septis orto, versus marginem reflexo innatae; *stylus* erectus subtereti-3-gonus, 0,2 poll. ad ramificationem longus, versus apicem paullo incrassatus; *stigmata* elegantissima, 3 erecta, basi subcordata, apice subreflexa, 0,15 poll. longa et leviter biloba, viridi-flavescentia, papillosa; papillae copiosissimae, cylindricae, acutiusculae, basi confluentes, nec e cellula unica aut paucis concatenatis compositae, sed e tela minute cellulosa conformatae; fructus oblongo-cylindrici carnosi indehiscentes.

Forma altera, valde ad *Bryoniam Moimoi* DC. Prdr. III. 305. 15 accedens, ab antecedente differt hisce notis:

Herbae dioicae? una cum praecedente obviae; *caulis*

glaber, geniculatus; *internodia* 1,5—3,0 poll. longa; *stipulae* ad basin petioli binae difformes, *altera* punctum vix elevatum, subrotundum, glandulosum referens, altera in cirrhum mutata; *petioli* glabri 0,4—1,0 poll. longi; *folia* basi profunde cordata et triloba, lobo *intermedio* basi paullo angustiore, subrhomboideo, nunc subtrilobo, angulis lateralibus nunc nullis, nunc valde prominulis apice acuto aut breviter acuminato, ab insertione petioli 1,5—2,5 poll. longo, 0,8—1,4 poll. lato, lobis *lateralibus* latis sub-4-angularibus aut externe sinuato-sublobatis (2—3-lobis), ab insertione petioli 1,0—1,8 poll. longis et totidem fere latis, *tota* ab apice ad basin externam loborum 2—3 poll. longa, transverse 2,0—3,5 poll. lata, plana, 5-nervia, minute glanduloso-repando-dentata, apicibus loborum mucronulatis et dense hirtis, mucrone rufo, carnoso, ovato, acuto, margine toto minute antrorsum aculeolato-ciliata et aspera, caeterum utrinque glabra; nervis lateralibus suboppositis, inter venarum rete (praeter glandulas axillares supra descriptas) pellucide-punctata; *pedunculi* florum ♂ gemini succedanei, petiolis longiores, foliis breviores, inaequales erecti, subflexuosi, alter longior 2,0—2,5 poll. longus prior evolutus, alter 0,5 poll. brevior; *calyx* flavescenti-viridis; *tubus* 0,25 poll. longus; *limbi laciniae* e lata basi acutatae subreflexo-patentissimae, 0,15 poll. longae, in gemma valde juvenili erectae, valvatim conniventes, apice subreflexae; *corolla* 1,1 poll. alta, extus glabra, nervis eorumque ramificationibus transversalibus prominulis, intus tota pubescens; *limbus* dilatatus 5-lobus, expansus diametro transversali 1,5 poll.; *stamina* vix conglutinata; *filamenta* e basi pilosa crassiuscula teretia, albida, apice in connectivum membranaceum gyrato-plicatum, undulatum continua; *antherae* pallide flavae trilobato-gyratae; — flores ♀ desiderantur.

Forma altera eodem loco obvia, *Bryonia pedata* Hsskl. Diagn. nov. 134. Catal. 856. 14 Wlp. V. 760. 2 (an *B. Wallichiana* Ser. DC. Prdr. III. 309. 60 hujus loci?) — Forma haec ne varietatem quidem distinctam repraesentat, etsi, si ramulos summos tantum conspiceres, certe hanc speciem distinctam haberes! tali modo folia ejusdem rami saepe sunt variabilia; quae nunc describam folia ex *uno* tantum *ramo*, 4 ped. longo sumpsi.

Folia omnia cordata, in margine subrigido asperulo, ciliata-*inferiora* 5-angularia leviter sub-5-loba, lobis acutis, repando-muricato-dentata, ab insertione ad apicem 2,0 poll. longa, ad lobi cujusdam apicem 1,5 poll. lata; *superiora* paullo majora, profundius incisa 5-loba, lobis acutis sublobato-dentatis, basi haud attenuatis, ovatis-terminali oblongo; *altiora* magis magisque profunde palmatim 5-loba, lobis subtrilobis, inferioribus subbilobis sinuato-dentatis, intermedio cum collateralibus basi angustatis; *summa* pedati-5-loba, ad insertionem petioli fere incisa, lobis angustis, lyrato-pinnatifidis et mucronato-serratis.

121. TRICHOSANTHES (INVOLUCRARIA) HEXASPERMA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5140.c Wght. et Arn. Prdr. I. 350 sbgen. 2. Msn. Gen. 127. Comm. 91. 20 et 21. — *Involucraria* W. et A., cui plurimae forsan adnumerandae sunt species Blumeanae, sed corolla aliter mihi videtur declaranda: corolla tubo calycis adnata, limbo libero 10-partito, laciniis setaceo-appendiculatis (ope nervorum excurrentium)!

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 935. DC. Prdr. III. 315. 14.

Descrpt. Frutex scandens; *rami* teretes debiles torti; *cirrhi* stipulares simplices; *folia* trinervia, ovato-oblonga, basi acuta aut rotundata, margine integerrima aut sinuato-2—3-loba aut 3-partita; laciniae plus minus angustato-oblongae, apice acutae, utrinque glaberrimae, subtus reticulatae; *inflorescentia* axillaris spicata (nec racemosa); *pedunculus* crassitie ramos plus duplo superans 1,5—2,0 poll. longus teres, dein in rhachidem incrassatam, tomentosam sensim sese evolventem mutatus, cicatrissatam (e bracteis floribusque staminiferis deciduis, ita ut cicatrices spatium majus quam pars cicatricibus destituta consumant) apice gemmam crassam gerentem; gemma continens flores plurimos staminiferos, quorum singulus in praefloratione tectus est et occultus bractea ovato-oblonga, utrinque subsericeo-tomentosa, viridi-lutescente decidua; *calyx* tubulosus, apice clavatus; tubus longus, bractea dein longior, extus pallide viridiusculus, puberulus intus ad partem inflatam usque glaberrimus, basi ad medium strato luteo glanduloso, versus medium dein tripartito et filiformi

desinenti vestitus, supra medium albescenti-viridis; ad partem inflatam supra staminum insertionem pilis densissimis candidis, articulatis lanatus, in pagina interiore corolla adnata vestitus; limbi laciniae eadem ac tubi paginae exterioris natura, oblongo-lanceolatae, acuminatae, intus glabriusculae; (*petala*, aut potius) corollae *laciniae* liberae, 10 ovatae, acutae, 3-nerviae, nervis lateralibus ramificatione dichotoma in lacinias longas (setaceas?) angusto-lineares excurrentibus, medio in apicem acutiusculum desinenti.

122. ERYTHROPALUM SCANDENS BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5148. Msn. Gen. 126. Comm. 91. 10, add. 356, ubi secundum Arn. e familia Cucurbitacearum excludendum habetur genus hocce; — ob germen 1-loculatum, gemmulas in loculis 3, et filamentorum situm subordinem novum Cucurbitacearum: IV. *Erythropaleas* repraesentat cf. Hsskl. Cat. 864. — Flores plerumque hermaphroditi; petala praefloratione imbricativa subvalvata, una cum staminibus caduca; discus epigynus 5-emarginatus; filamenta ad marginem disci in sinubus inserta, intra callos petalorum pilosiusculos recepta; antherae subsagittatae, connectivo basi latiusculo; germen calycis tubo crassiusculo immersum eique toto adnatum 1-loculatum; gemmulae in loculo quoque 3 ex apice pendulae: stylus brevis trigonus stigmatibus 3 subdivergentibus. — *Mackaya* Arn. Endl. Gen. Sppl. II. p. 108. 5148/1. Wlp. Rprt. V. 763.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 922. DC. Prdr. III. 303. *Mackaya populifolia* Arn. (Wlp. Rprt. II. 205. V. 763. 1. Endl. Gen. l. c.) foliis subpeltatis ovatis basi retusis vix diversa!

Descrpt. Frutex scandens; *rami* gracillimi teretes glaberrimi; *folia* peltata ovato-oblonga, acuta s. acuminata, basi rotundata, integerrima, triplinervia, 3,0—5,5 poll. longa, 1,0—2,3 poll. lata, glaberrima, subtus glaucescenti-pruinosa; *petiolus* teres utrinque incrassatus basi flexuosus 1,0 poll. longus; *pedunculi* axillares 2—(3-)chotomi gracillimi, ad dichotomiam 2,0 poll. longi; *calyx* cylindricus, germini adnatus; *petala* viridi-flavescentia, patentia, praefloratione vid. supr. ad. char. gen. —; *stamina* petalis breviora; antherae (haud sessiles Arn.) lanceolato-oblongae, subsagittatae, acutae, filamentis longiores; *germen* vid. spr. disco epigyno luteo 5-lobo tectum cylindricum. — Nomen sundense: *A'roy wàt bángkong*.

PIPERACEAE RCH.

123. CHAVICA OFFICINARUM MIQ.

Char. Gen. cf. Miquel Syst. Piperac. 222; amenta pistilligera staminigeris crassiora et breviora, stamina 3—4; stigmata nunc 2; baccae supra amenti rhachin maturam vix tumidam carnosam confertissimae, primo cinnabarinae, dein (maturae) hyacinthinae 4-, nunc obsolete 6—8-gonae cum bractearum stipitibus et inter se arcte in syncarpium connatae, apice truncatae, umbilicatae, stigmatum 3—2 rudimentis coronatae, bracteis haud grossificatis, paullo intensius coloratis umbonatis concavis margine liberis interceptae, primo subsiccae, dein pulposo-carnosae; semen subglobosum, nec compressum vix lenticulare.

Char. Spec. cf. Miq. Pip. 256. 20, foliis autem (vegetis nec exsiccatis!) haud pellucide punctulatis et floribus 3—4-andris.

Descrpt. Specimina nostra maxime accedunt ad specimen timorense a *Guichenot* clsso. lectum; a specimine *Blumeano* Miq. l. c. 259 differunt nostra *viva* hisce notis: *Frutex* alte scandens (nec arboreus), prope *Bidara-Tjina* cum *Pipere nigro* L. simul cultus, a Malaiis *Tjábeh djáwa*, i. e. *Capsicum javanicum* dictus; *succus* hyalinus, aromaticus, suaveolens, contactu aëris mox massam gelatinosam hyalinam formans; *internodia* 3—7 cntm. longa, opaca, glaucescenti-viridia, minute albido-striatulae, striis in lineas subaequaliter inter se distantes, longitudinales plurimas parallelas dispositis; *verticillus radicum* ad nodum quemque fere ramorum nunc quoque ramulorum; *folia* ramorum et ramulorum sterilium minora ovata aut ovato-oblonga, basi aequalia, cordata, 3—5-nervia, apice acuta aut subacuminata, lobis baseos subaequalibus, margine interiore conniventibus aut paullo divergentibus, 3,0—7,5 cntm. longa, 2,5—5,5 cntm. lata; *petioli* 1—2 cntm. longi, fere toti aut supra medium stipulis adnati eisque deciduis cicatrissati; *stipulae* rubentes summo apice liberae virescentes, margine uno cum petiolo continuae, altero involuto gemmam folii superioris foventes, lineares, dein emarcidae, margine interiore totae liberae deciduae, apice cohaerentes; *folia* ramulorum fertilium multo majora sed petiolo breviori 0,5—1,0 cntm. longo crassiori, semitereti, supra

leviter canaliculato, ima basi breviter vaginanti et semi-amplexicauli, e stipulis minutis intrafoliaceis connatis et petiolo adnatis lingulam brevissimam formantibus suffulta, obliqua basi valde inaequalia, subcordata, oblonga, oblongo-lanceolata aut elliptico-oblonga, acuminata, aut acuta, 10—15 cntm. longa, 3,5—8,5 cntm. lata; *nervus medius* in foliis juvenilibus supra magis quam subtus rubescens; *gemmae* in foliorum axillis horum stipulis oppositifoliis in vaginam caducam, 1,2—1,7 cntm. longam, a lateribus subcomplanatum linearem acutam, antice (in latere folio opposito petiolum spectante) fissam rubentem, apice viridiusculam connatis inclusae, e folio unico involuto cum spadicis rudimento, 0,2 cntm. longo constantes; foliorum juvenilium pagina utraque nitens, dein inferior opaca, superior atro-viridis; *amenta* primo (in gemma) terminalia, ramo axillari celeriter excrescente lateralia oppositifolia; *pedunculi* 1,0—1,5 cntm. longi patentes in ramis horizontalibus, imoque erecti aut verticales (nec horizontales Miq. l. c. 260 specimen Perottetianum); *amenta pistilligera* et *staminigera* prima juventute conformia, haec tantum paullo tenuiora; *amenta staminigera* dein 7 cntm. longa, 0,5 cntm. vix crassa apice paullo tenuiora, recta, stricta, cf. specim. Philippense Miq. l. c. 262; *bracteae* pileatae, stipite brevi, tenui, tereti, recto subexcentrico suffultae, juventute imbricatae, orbiculatae, margine superiore superioris bracteae marginem inferiorem obtegentes, virides, ad basin stipitis stamina 2 gerentes, supra umbonatae virides, margine hyalinae, subtus subplanae, antherarum loculis primo albidis, apertis dein fuscis, seniores supra orbiculato-trigonae, umbonatae, supra laeves glabrae, nitidae, in anthesi flavescentes, margine membranaceo pallidiore, subtus flavescenti-albidae, concavae, glabrae; *rhachis* glabra; *stamina* bracteas cingentia plerumque 6—8 ad bracteam quamque, quarum plurima ad bracteas collaterales pertinent, erecta, bracteis breviora, semi-exserta; *filamenta* brevia, teretia, recta, crassa, inclusa; *antherae* connectivum apice obsolete bilobum, lucidulum, flavescenti-viride; *pollen* . . . .? *amenta pistilligera* in anthesi 2 cntm. longa, matura 4,0—5,5

cntm. longa, 1,0—1,2 cntm. crassa, basi paullo crassiora, inaequaliter exciso-lobata; *bracteae* ante anthesin virides, iis amenti staminigeri ante anthesin consimiles imbricatae, dein in anthesi laete sulfureae, iis amenti staminigeri florentis consimiles, arcte sibi adpressae et pistillis 4 cinctae; *germina* a bracteis occulta subgloboso-trigona, viridia, glabra; *stylus* brevissimus subnullus; *stigmata* exserta candida 2—3, divaricata, subglobosa (nec cuspidata Bl. Miq. l. c. 259) papillis ubique tecta, dein marcescentia, celeriter decidua, rudimentum, germen terminans, brevissimum trifidum relinquentia; *germina* dein magis evoluta, exserta, flavescenti-viridia, tetragona, tessellata (nec elevata), vertice tantum libera, caeterum tota inter se et cum bractearum stipitibus et axi connata in *syncarpium* intus albidum carnosum, seminibus laetissime roseis globosis farctum; *albumen* jam rite evolutum album; *baccae* dein magis evolutae vertice rhomboideo, diametro longiori transverso 0,5 cntm. cinnabarinae, carne syncarpii lateritia, ejusque axi 0,4 cntm. crassa hepatica, lucidae, laevissimae, ad quemque angulum bracteam peltatam nunc subsessilem, marginibus liberam sanguineam, minutam, umbonatam gerentes et inde *syncarpium* asperatum. — Descrpt. syncarpii immaturi cf. Miq. l. c. 261 optima; — *syncarpium maturum* dein pulposo-carnosum, dissolutum, stipitibus bractearum et epicarpii lateribus inter se haud distinguendis; *semen* diametro 3 millim. subcompressum, raphe laterali notatum, minutissime scrobiculatum; testa in membranam (in maturis recentibus!!) carnosam (endopleuram) involuta, primo rosea, dein brunnea, crustacea, laevis glaberrima, nitida; *albumen* copiosum totum semen explens corneum, summo apice cavitatem obverse conicam, versus apicem seminis latissimam, embryonem foventem tenens. — Mensibus Januario et Februario flores fructusque gerens obiam venit.

124. PIPER NIGRUM L.

Descriptioni optimae Miq. Pip. 308. 2 haecce sunt addenda: *Nomen* malaicum: *Lâda* s. *Marítja*, sundense: *Be-*

dàs. — *Caulis* fruticosus arbores adscendens ad altitudinem 30—50 pedum; *internodia* ramorum fructiferorum 2,5—12,5 cntm. longa sublignosa, subteretia, vix uno latere plane sulcata, sed summa nunc a lateribus subcompressa, 0,6—0,2 cntm. crassa, glaucescenti-viridia; *petioli* nunc recti, nunc in ramis magis pendulis torti, ad medium tantum et nunc quoque paullo supra medium (nec toti fere) stipulis deciduis cicatrisato-marginati; *summi* vix 1,0 cntm. longi, *inferiores* ejusdem rami 3,0—2,5 cntm. longi; *folia* (rami floriferi *secundum* infra spadicem) 10—16 cntm. longa, 7,0—8,5 cntm. lata; *summa* infrafloralia 8,5—10,0 cntm. longa, 4,5—5,5 cntm. lata, breviter sed acutissime acuminata, subcuspidata; *anastomoses* venarum subtus prominulae; *amenta* 6,5—8,0 cntm. longa; *rhachis* glaberrima (nec hirtella) infra germen quodque; *bracteae* (haud coriaceae fuscae, sed) uti rhachis carnosae pallide flavescenti-virides, margine libero pallidiore, 3,5 millim. longae, 2,0 millim. latae, juxta florem unicum (nec binos) extensae, apice obtusae et intus hirtellae; *stigmata* (haud decidua, sed) emarcida et longe persistentia, fructumque coronantia sat rigida, postremo decidua; *filamenta* subcompresso-dolabriformia; stigmatibus jam emarcidis tandem exserta, primo inclusa, minima, subhemisphaerica, basi subcuneata, germina minuta, inevoluta simulantia; *bracteae* margo superior infra baccam sat evolutus liber, patens, magis quam margo reliquus elevatus; *pericarpium* olivaceo-viride, dein coccineum, glaberrimum, laevissimum, nitidulum. — Specimina nostra, — cum praecedenti specie eodem tempore a me reperta —, ceylonensibus Herb. Burmanni sat conformia cf. Miq. 310.

MOREAE ENDL.

125. EPICARPURUS ORIENTALIS BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1855. Msn. Gen. 351. Comm. 262. 7.
Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 488. Rheed. Mal. I. t. 43. optm.

Descrpt. *Frutex* humilis; *rami* subadscendentes patentissimi; *ramuli* distichi basi plus minus calloso-incrassati;

folia diversiformia, ramorum ovata, obtusiuscula, basi cordata, obsolete crenata, ramulorum obovata, orbiculata, ovata plus minus crenata, rigida, supra glabra, nitida, subtus sursum exasperata; *spicae* florum staminigerorum capitatae, densae pedunculatae, depresso-hemisphaericae umbelliformes, involucratae 9-florae; *involucrum* polyphyllum, foliola ovata, minuta; *calyx* 4-phyllus; *foliola* ovata, concava; *stamina* 4 foliolis opposita, eisque triplo longiora, *filamenta* lata transverse striata, inflexa, dein elastice assurgentia; *antherae* basifixae, biloculatae; *loculi* basi divergentes; *germinis* rudimentum; *bacca* lacte aurantiaca, calycis foliola persistentia.

126. MORUS RIGIDA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1856. Msn. Gen. 351. Comm. 261. 4.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. p. 74.(1)

Diagn. Foliis coriaceis rigidis subtus scabriusculis obovatis integerrimis aut subserratis, spica mascula cylindrica, elongata, feminea subcylindrica crassiore brevi; caule arboreo. — A *Moro australi* Wld. Sp. pl. III. 371. 7 praeter alia differt foliis saepe integerrimis aut minute et obsolete serrulatis.

Descrpt. *Arbor* mediocris; *rami* teretes tuberculati; *ramuli* scabri; *folia* obovata s. obovato-oblonga, retusa, obtusa aut acutiuscula, integerrima aut repando-serrata, supra lucida, laevia, subtus pallida, scabriuscula, rigida, coriacea; *petioli* semi-teretes breves 0,2—0,6 poll. longi; *spicae* florum staminiferorum cylindricae elongatae, 3—5 poll. longae, floribus densissime tectae; *calyx* 4-partitus; *stamina* 4; *filamenta* primo inflexa, dein elastice resilientia, calyce longiora; *germinis* rudimentum; *spicae* florum pistilligerorum nunc apice et staminiferos et hermaphroditos flores gerentes breviores, 1,0 poll. longae, subcylindricae, crassiores; *flores pistilligeri* vid. Endl. Gen. 1856 —, *flores hermaphroditi* abortientes medium inter utrumqtue tenentes; *fructus* plerumque in horto immaturi decidui! (dicuntur maturi baccati virides aciduli edules!). Arbor haecce forsan introducta, sub nomine *Vaugueriae edulis* in horto a me reperta, bis per annum flores gerit.

127. FICUS DIVERSIFOLIA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1859. Msn. Gen. 350. Comm. 261. 1.
Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 456.

Descrpt. *Fruticulus* pseudo-parasiticus arboribus vetustis innascens, sed et in solo vegetans humilis; *rami* teretes; *folia* inferiora et saepe summa subrhombea, inaequilatera, obtuse acuminata, aut ovato-lanceolata, aut oblongo-lanceolata, 2,5—3,5 poll. longa, 0,5—1,0 poll. lata, superiora subrotunda, basi cuneata, uno latere saepe magis producta, — omnia carnoso-coriacea, supra glabra, subconvexa, subtus dichotome nervosa, nervis sulcato-exaratis albescentibus, supra viridia punctis plurimis croceis, minutis, distantibus notata, subtus cerina dense poroso-punctata, in dichotomia nervorum macula triangulari atro-sanguinea picta; *petioli* teretes supra planiusculi, 0,9 poll. longi; *receptacula* in pedunculo 1,0 poll. longo solitario bracteis tribus vegetis suffulta, laete punicea, glaberrima, primo subovoidea, dein subglobosa, basi attenuata, apice rotundata, 0,5 poll. crassa. — Nomen sundense: *Péreng gántong* (dependens).

128. FICUS CORONATA Rwndt.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 470.

Descrpt. *Suffrutex, rami* patenti-adscendentes teretes atro-virides nunc subviolacei scabri; *folia* utrinque scabra, anguste acuminata, 6,0—10,5 poll. longa, 2,0—3,5 poll. lata, in ramis lateralibus 3—8 poll. longa, 1,5—3,0 poll. lata, acumen 0,5 poll. longum; petioli 0,5—0,4 poll. longi; *stipulae* lineari-lanceolatae 0,5 poll. longae; *receptacula* pisiformia, dein apice attenuata squamulis erectis, linearibus plurimis pluriseriatis coronata, primo olivacea, dein cinnabarina, basi saepe vinea, hirta 3—5-na, in ramis junioribus solitaria binave; *pedunculi* axillares 0,1 poll. longi; bracteolae subulatae, minutae. — Nomen sundense: *A'mies màta*, i. e. oculis dulcis s. amoenus.

129. FICUS ELEGANS Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 67. Catal. 354. 92.

Diagn. Arbor humilis, ramis horizontalibus depressis, foliis cordato-ovatis, plerumque integris, rarius 3—5-lobatis, subtus niveo-tomentosis supra glabriusculis, receptaculis maximis subsessilibus geminatis depresso-globosis.

Affinis F. niveae Bl. Bijdr. 476, *albae* Rnwdt. l. c. 477 et *Toxicariae* L. l. c. 477. *Prior* differt: petiolis brevioribus, foliis ovalibus basi obtusiusculis supra scabris, receptaculis multo minoribus cerasiformibus, laevibus; *F. alba* differt: foliis basi minus cordatis sinuatis lobatis, scabriusculis, receptaculis cerasiformibus; *F. Toxicaria* L. (cf. Wld. Sp. pl. IV. 1151. Roem. et Schlt. I. 519): foliis lobatis supra villosis, receptaculis pruniformibus; — etsi folia plantae nostrae juvenilis lobata evadunt, attamen sat differt receptaculorum forma et foliorum paginae superioris glabritie. — An forsan *F. Padana* Brm. hujus loci, certe sine jure cum *F. Toxicaria* conjuncta? — Nomen sundense: *Hambêrang bódas.*

Descrpt. *Arbor* humilis elegantissima; *rami* patentes, inferiores divaricati, crassi teretes cinerascentes; *ramuli* 0,5—0,8 poll. crassi et petioli 4—6 poll. longi, 0,1—0,35 poll. crassi, teretes, fusco-tomentosi; *folia* cordata, indivisa, in tironibus et arboribus juvenilibus nunc 3—5-loba, lobis acutis, ovata 3—sub-5-nervia, 12—15 poll. longa, 9,5—10 poll. lata, subinaequilatera, acuta s. brevissime acuminata, margine subreflexo-repando-dentata, supra laete viridia, glaberrima, nitida, subtus reticulata, densissime niveo-tomensosa; *gemmae* 2,0—2,5 poll. longae, stipulis deciduis, lanceolatis, acuminatis, sericeis tectae, foliolum gemmae externum 1,5 poll. longum, complicatum, cordato-ovatum, acutum, supra (pag. interna) in nervis hinc inde pubescens, subtus (pag. externa) argenteo-velutina; *receptacula* axillaria subsessilia bina, depresso-globosa, 1,5 poll. lata, 1,25 poll. alta, umbilico excavato, basi bracteis squamaeformibus 3—4 suffulta, primo e viridi-sulfurea dein crocea, decidua, rumpentia.

URTICACEAE ENDL.

130. URTICA (FLEURYA) CYMOSA Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 348, Comm. 259. 2. Endl. Gen. 1879 d.; an *Laportea* Gaud. sufficienter a *Fleurya* Gaud. diversa? charactere distinctionis solummodo forsan in floribus staminigeris 5- aut 4-meris posito!

Char. Spec. Valde affinis haecce nostra *U. javanicae* Bl., a qua praeprimis cymis fastigiatis ramosissimis diversa.

Descrpt. Herbae annuae urentes in ruderatis et hortis prope *Bataviam* vulgatissimae, *Sarôni* a Malaiis dictae, 2—4 ped. altae, strictae, robustae, succo limbido foetae; *caulis* plerumque simplex aut subramosus pentagonus profunde 5-sulcatus ·laete viridis, pilis patentibus, minutis, acutissimis puberulus et longioribus, robustioribus nitidis, chlorophyllo foetis, epidermidem primo elevantibus, dein perforantibus, apice subclavato-incrassatis, 0,2 poll. longis, urentibus munitus, basi in robustis sat crassus 0,5 poll. diametr.; *stipulae* ad basin petioli collaterales erectae, geminae, lineari-lanceolatae, apice subulato-acuminatae, margine tenuissimae, membranaceae, nervo medio crasso viridi percursae, 0,3 poll. longae, dein subfalcatae a basi ad medium fere connatae margine tenuiore et inde intra-axillares in nervo medio et acumine hispidulae, deciduae; *petioli* patentes aut patentissimi, inferiores breviores, superiores longiores 2,0—7,0 poll. longi, subteretes, supra canaliculati, puberuli, inter pubem patentem pilis urentibus patentibus obsiti; *folia* late ovata, acuminata, basi subcordato-peltata, 3-nervia, grosse dentata, 2—6 poll. longa, 1,7—4,5 poll. lata, utrinque puberula, supra atro-viridia, subtus pallida; folia ramorum plerumque valde inevolutorum vix plus 1 poll. longorum, eadem ac jam descriptorum forma sed iis multo minora; *pedunculi* axillares cymiferi, 2—3-chotomi, inferiores petiolis breviores, superiores iis (cum cymis etiam quam folia) longiores, usque ad ramificationem primam 0,5—4,0 poll. longi teretes patentes, cum ramis pedicellisque puberuli albido-rubentes; *cymae* versus apicem caulis fastigiatae, explanatae, in eadem cum foliis planitie, nunc paullo altiores, inferiores parvae 1,0 poll. longae, superiores magnae ramosissimae 6 poll. longae, 3 poll. latae; *flores* in apicibus ramulorum ultimorum valde brevium, 0,1—0,2 poll. longorum umbellati aut subcapitati, densi; *staminigeri* praecoces pedicellati, decidui, pistilligeris sessilibus intermixti, nunc in cymis imis plerumque plures staminigeri,

in superioribus pistilligeri staminigeris perpaucis tantum intermixtis; *flores staminigeri: bracteae* minutissimae ad pedicellorum basin ovatae, acutae, hyalinae; *pedicelli* erecti, 0,1 poll. longi, teretes albidi, sub apice articulati, basi persistente, apice cum flore deflorato deciduo, pariter ac calyx pilis acutis et subclavatis minutis puberulo-hispidi *); *flores* erecti albidi; *alabastra* depresso-globosa, apice sub-5-loba et 5-sulcata, lobo quoque in juventute pilo erecto, globoso aut clavato terminato; *calyx* cupuliformis in praefloratione valvatus 5-fidus; *laciniae* concavae, erectae primo antheras foventes, oblongae acutiusculae, dorso pilo glanduloso solitario terminatae **), dein in momento ejectionis pollinis patentes, polline dein effoeto, erecto-conniventes albidae, pedicelli longitudine; *stamina* 5, laciniis calycis opposita; *filamenta* primo inflexa dein elastice resilientia, supra calycis lacinias reflexa, transverse striata, crassiuscula, albida, postremo erecto-conniventia; *antherae* terminales biloculatae, candidae, primo inversae, didymae, ovatae, utrinque bilobae, dein rejectae; *loculi* oppositi, oblongo-ovati, utrinque obtusi, longitudinaliter desilientes, hyalini, transverse striati, e cellulis transversalibus longis; *antherae effoetae* in filamentis erecto-conniventibus erectae corollam candidam fingentes, cucullatae; *pistilli* rudimentum subglobosum; *flores pistilligeri* plurimi, minimi, umbellatim congesti, basi brevissime bracteolati; *bracteae* hyalinae acutae; *pedicelli* primo brevissimi, dein sensim longiores erecti, sub apice articulati et geniculati, apice patentissimo; *calyx* dorso ad basin pilis 2—4 patentissimis subclavatis, hyalinis subcalcaratus, 4-partitus; *laciniae* binae *exteriores* angustiores lineares concavae, subfalcatae, *summa* brevior; binae *interiores* laterales germini multo majores subrotundae planae, margine membranaceae, *omnes* persistentes vegetae; *germen* rectum breve attenuatum; *stigma* crassum, longum, plumosum, pilis crebris densis divergentibus acutis;

---

*) cf. Schld. Grndz. ed. II. tom. I p. 267. fig. 83.

**) l. c. p. 268 fig. 87, *b*.

gemmula in germine quoque unica sessilis; *germen* dein excrescens basi calyce vegeto cinctum, apice curvatum; *fructus* indehiscens monospermus, stylo reflexo adpresso in curvatura sito terminatus, securidiformis, margine inferiore convexo anguste marginatus, tenuissime subalatus, compressus tuberculatus; *semen* albuminosum; *embryo* axillaris rectus. — Per menses pluviosos ineunte anno flores fructusque uberrime proferentes reperi hasce herbas; 1846.

Observ. De *Urticis Blumeanis* (Bijdr. 494 etc.) U. glaberrima Rwdt. elongata Bl. javanica Bl. et angulata Bl. huic generi sunt adscribendae, a *Sundensibus Póchpochan* dictae, U. ardens Bl. autem et ovalifolia Bl., stimulans Thnb. et sinuata Bl. (Bijdr. 504 et 505), quarum flores staminigeros tantum hucusque vidi, certissime generi diverso, forsan *Schychowskyae* Endl. (Gen. 1881) sunt adjungendae, dum U. pilosiuscula, sylvatica, rubescens, sanguinea, incana, cinerascens, candidissima, dichotoma, angustata, repanda, scabra, palmata, candicans, forsan omnes *Boehmeriae* Jcq. (Endl. Gen. 1884) sunt adnumerandae.

131. URTICA (FLEURYA) JAVANICA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1879.d. et *Schychowskya* Endl. l. c. 1881. Msn. Gen. 348. Comm. 259. 1 et 2; *Fleuryam* a *Schychowskia* vix sat diversam censet Msn. clbrr. l. c., sed stigmata primo juventute 2—3, dein unicum persistens, ala fructuum dein in cilias soluta!

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr 503, folia autem dentata nec serrata, spicae subpaniculatae folio longiores nec subaequales. — *Boehmeria* Hsskl. Cat. 367. 14, erroneë huc relata species!

Descrpt. Herbae annuae ad vias et in hortis cum antecedente specie vilissimae, vulgo a Malaiis *Púlus* aut *Sarôni* dictae, strictae simplices, dein saepe basi ramosae, primo adspectu glaberrimae, lucidae, sub lente autem et tactu scabriusculae e pilis antrorsis, basi flexis albidis longis et retrorsis curvatis, minutis, unicellulatis e basi sat crassa, cellulis oblongis verticalibus circumvallata, acutissimis, succo granulis foeto plenis, juvenilibus urentibus; *caulis* herbaceus 1,5—3,0 ped. longus, laete viridis, striis 5 sanguineis longitudinalibus eleganter fasciatus tereti-subpentagonus solidus, basi 0,25 poll.

crassus; *rami* parvi, dein longiores et apex caulis dense pilis antrorsis urentibus obsessi, laete virides 5-goni; *stipulae* intra-axillares connatae et tum oblongae tenues membranaceae viridi-hyalinae, bicarinatae, carinis in subulam longam attenuatis, subcurvatae, pilis parcis adpressis obsessae, subsericeae, 0,2—0,3 poll. in caule, 0,1 poll. in ramis longae, persistentes et *inferiores* caulis dein in binas petiolo collaterales subfulcato-flexuosas lineari-subulatas dissidentes, ad basin externam corpusculis accessoriis dein deciduis auctae; *corpora* haecce sunt brevia cylindrica, 2—3-fida, basi sat crassa subconica; horum *rami* teretes apice rotundato-obtusi et seta tenui acutissima pilis reliquis conformi, apice hamulata coronati; *petioli* alterni sat longi, patentissimi teretes supra leviter angusteque canaliculati, roseo-albi, lineis elevatis viridibus muriculatis hinc obsessi, 2—3 poll. longi, in ramulis vix 0,5 poll. longi; *folia* subpeltatim petiolo inserta ovata, vix ovato-oblonga, acuminata, basi 3-nervia, integerrima nunc plerumque leviter attenuata, *inferiora* et *ramea* rotundata imoque subcordata, margine eleganter et regulariter dentata, pilis albis antrorsis hamulatis raris obsessa, supra atro-viridia, nervis impressis, subtus pallide viridia, nervis 3 rubentibus eorumque ramis dichotomis albidis prominentibus, 2—4 poll. longa, 2—3 poll. lata, ramea 1,0—1,5 poll. longa, 0,8—1,3 poll. lata; *pedunculi* axillares patenti-erecti dein patentissimi, folio sustinente multo longiores 5—10 poll. longi teretes, petiolis conformes sed tenuiores, simplices aut a medio ramosi, basi nudi, caeterum interrupte spicati aut potius racemulis abbreviatis, glomeratis, plerumque bifidis et secundis solem versus sitis obsessi; *glomeruli* multiflori; *flores* subumbellati absque receptaculo carnoso, cujusve ramuli terminales staminigeri, reliqui copiosiores pistilligeri; *flores staminigeri* praecoces ante anthesin depresso-subglobosi, *pedicello* brevi 0,02 poll. longo viridi suffulti, erecti, vertice rosei aut albidi, striis 4 prominulis viridibus notati, medio subumbonati; *calyx* tetraphyllus; *foliola* ante anthesin valvata, concava, extus hirta, ovato-subrotunda, margine hyalina, diaphana, membranacea,

albida aut rosea, nervo medio crasso prominulo viridi, in anthesi erecto-patentia; *stamina* 4 ante anthesin inflexa, in anthesi elastice resilientia, supra foliola calycis reflexa iisque opposita; *filamenta* basi lata, apice filiformi-attenuata, pallide viridia, lucida; supra medium (reflexa) antice ruguloso constricta, vallia 6 — 8 elevata; *antherae* subdidymae, albidae, loculis globosis connectivo globoso insertis, una cum filamento resilientes transversim dehiscentes, effoetae erecto-conniventes persistentes; *pollen* copiosum, minutum, globosum, albidum, fovilla copiosa foetum; *flores pistilligeri* in anthesi breviter pedicellati; *calyx* cupuliformis 4-dentatus, in anthesi minutus hyalinus, dentibus binis minutissimis, binis latioribus et longioribus semi-lanceolatis acutis, margine hyalino fimbriato-ciliatis, ciliis hyalinis subclavatis, rectus basi viridis, dein persistens vegetus, basi oblique grossificatus, subtruncato-cupularis, dorso convexus et carinatus, ibique 4—6 setosus, dentibus majoribus robustioribus, intense viridis; *germen* ovato-oblongum, acuminatum viride; *stylus* unicus brevissimus rectus; *stigmata* 3, primo aequalia subulata, verticillatim papillosa, albido-hyalina, conniventia, dein unum tantum excrescens elongatum, ad basin rudimentis alteri aut binorum 2-setosum, filiforme sat crassum, albidum, erectum, dein in germen inflexum, persistens; *gemmula* unica in loculo solitario; *fructus pedicelli* elongati 0,1 poll. longi, teretes virides apice primo nutantes, dein stricti et fructu deciduo persistentes, cylindrici virides, patentim e inflorescentia radiantes glabri, luciduli, indehiscentes monospermi; *fructus* e latere compressi albidi, ovati, acuti, mucrone reflexo adpresso emarcido apiculati, lateribus circulo impresso notati, penduli calycis tubo basi obtecti, a lateribus sibi adpressi, margine ala tenui hyalina cincti, medio tuberculis paucis notati, *maturi* cinnamomei ad marginem canaliculati, medio tuberculati, caeterum a lateribus compresso-plani ciliati, ala soluta in cilias cylindricas hyalinas tenues, apice tenuissimo hamulatas. — Mensibus Januario ad Martium 1846 flores fructusque gerentem reperi.

132. URTICA CATARACTAE Steud.

Char. Spec. cf. Steud. Nomclt. bot. ed. II. t. II. 734 *U. elongata* Bl. Bijdr. 494 nec Lk.

Descrpt. Herba basi frutescens erecta 3—4 ped. alta, e basi ramosa; *rami* teretes glaberrimi rubro-virides crassiusculi; *ramuli* angulati, subtetragoni; internodia 1—3 poll.; *petioli* oppositi patentes subteretes, supra canaliculati 1,0 poll. longi rubentes; *folia* inaequalia, alterum minus, ovali-oblonga acuminata, basi obtusa aut saepius attenuata, supra basin crenato-serrata, trinervia, inter venas transversales reticulata, bullata, pellucido-punctata, glaberrima; *paniculae* florum staminigerorum axillares aut plerumque ad basin ramorum laterales, solitariae aut geminae; *pedunculi* patentes divaricati apice cernui subpenduli, 2—3 poll. longi trichotomi, ramus alter minor; rami distichi pariter ramulosi; *flores* glomerulati secundi, coelum spectantes plurimi minuti subsessiles: *calyx* 4-partitus; laciniae ante anthesin valvatae extus rubentes, subgloboso-conniventes, dein patentes intus corolloideae albescentes; *stamina* 4, laciniis opposita, ad earum basin inserta; *filamenta* dilatata apice subulata, hyalina inflexa, dein elastice sese-erigentia; *antherae* candidae ovatae supra medium affixae; loculi basi distantes ad medium et ultra sejuncti, apice conniventes, lateraliter rima longitudinali dehiscentes.

133. BOEHMERIA (BOEHMERIA) GLOCHIDIATA Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 349. Endl. Gen. 1884. a.; flores autem staminigeri haud spicati, sed cum pistilligeris glomerati et fructus stigmate haud apiculati, stigmate deciduo, ovati, acuti, basi rotundati nec ellipsoidei; — *Splitgerberae* Miq. Msn. l. c. Endl. Gen. Sppl. II. 1884/1 valde affinis haecce, calyx autem in nostra germini *haud* arcte adhaerens et flores *haud* spicati, involucrati, involucro tetraphyllo, nisi stipulas 4 pro involucri foliolis sumas!? — *Habitus* nostrae magnopere conformis ii *Parietariae* Trnf. Msn. l. c. Endl. Gen. 1885, sed flores haud involucrati et inter *Parietarias Pouzolziae* Gaud. accedit, cui nostra solo involucro deficiente diversa! — et forsan foliis oppositis (ex Msn. l. c.). — Pariter ac in *Cyperaceis* in *Urticeis* genera nimis divisa videntur et tempore seriori forsan in pauca tantum contrahenda!

Char. spec. Horsfieldii Plantae jav. rariores mihi haud accedunt, inde solummodo inter *Blumeanas* species nostram quaeram (in Bijdragen

494 etc.), ubi nullam reperire mihi licet, nostra specimina quadrantem: *U. triandra* Bl. l. c. 496 et *U. hirta* Bl. l. c. 494 foliis subsessilibus differunt, *prior* dein foliis ovatis obtusis et caule inferne repente, lineis binis alternantibus puberulis notato; *posterior*: foliis acuminatissimis utrinque pubescentibus et caule scandente; — *U. strigosa* Bl. l. c. 495 differt: foliis basi acutis, subtus molli-pubescentibus, caule repente; — *U. coerulea* Bl. l. c. foliis denticulatis in venis subtus pubescentibus, caule suffruticoso et ramulis coeruleis. — *U. lutescens* Bl., quae e stipulis valde huic accedit, differt foliis oblongo-lanceolatis rugosis, supra nitidis, venis subtus pubescentibus, floribus dioicis et caule fruticoso; reliquae *Urticae Blumeanae* aut foliis alternis aut floribus haud glomeratis axillaribus diversae!

Observatio. Species sequentes habitum paullo diversum ostendunt, uti:

1) *B. pilosiuscula* Hsskl. Cat. 367. 1. *Urtica* Bl. 491. — Descrpt. *Folia* nunc subaequalía, nunc minus deficiens; stipulae lineari-lanceolatae, carinatae, deciduae, diaphanae, nervo medio viridi; *spicae* folio breviores aut longiores; *glomeruli* bractea lanceolata, acuminata suffulti; *spicae* nunc flores pistilligeros, nunc ad apicem et staminiferos gerentes et tunc simplices, nunc solummodo flores staminiferos proferentes et tunc paniculatae; *calyx* florum pistilliferorum tubuloso-ventricosus 4-dentatus. — Nomen sundense: *Guntalian.*

2) *B. rubescens* Hsskl. Cat. 367. 3 nec Jcq. *Urtica* Bl. Bijdr. 506. — *Frutex*, *ramuli* lenticellati et *petioli* plus minusve rubentes una cum nervo medio et lateralibus pubentes; *folia* ovali-oblonga aut oblongo-lanceolata, acuminata aut rostrata, basi obtusa, rotundata imoque subcordata, margine subintegerrima, repanda s. plus minus obtuse crenato-serrata, utrinque exceptis nervis glaberrima; *stipulae* lineari-lanceolatae subfalcatae, carinatae, virides deciduae; *flores* pistilligeri axillares aut laterales; *pedunculi* solitarii, bini ternive plerumque simpliciter dichotomi; receptacula globosa, dein subcarnosa pedicellata; *calyx* urceolatus fauce constrictus subintegerrimus, post anthesin siccus; *stigma* penicillatum; *fructus* monospermi, virides, conici, basi receptaculo immersi, decidui, indehiscentes.

3) *B. incana* Hsskl. Cat. 367. 4. *Urtica* Bl. Bijdr. 501. *Croton* Bl. Cat. 104. — *Paniculae* rami spicati interrupte glomerati; *flores* in anthesi supra receptaculum globosum, carnosum dense congesti; *florum* pistilligerorum calyx urceolatus ovoideus, in fauce subintegerrimus; *stigma* elongatum pubescens, flexuosum (nec penicillatum); *receptaculum* in fructu dein plus duplo incrassatum albido-hyalinum, primo in superficie fructus lutescentes gerens, dein magis succosum fructus plus minus immersos fovens indeque favosum. — Nomen sundense: *Tjámun.*

Descrpt. Herbae annuae erectae, in ruderatis prope *Bataviam* et hortis obviae; *caulis* 6—8 poll. altus simplex aut a basi opposite ramosus et *rami* patenti-erecti, tetragoni 4-sulcati, laete virides scabriusculi e pilis biformibus, *alteris*

antrorsis longioribus acutissimis, basi crassioribus et a cellulis parvis circumvallatis densissime verruculosis et *alteris* patentibus aut plerumque retrorsis apice acutissimo hamulatis, glaberrimis, hyalinis; *internodia* 0,5—1,7 poll. longa, ad articulos vix incrassata; *stipulae* ad basin petioli cujusve binae subintra-foliaceae, summae flores bracteantes, ovato-lanceolatae, acuminatae, 0,06 poll. longae, virides carinatae, pilis antrorsis acutissimis, verruculosis, hyalinis, a basi ad apicem sensim longioribus ciliatae, apice inaequaliter bisetosae; setae ciliis conformes sed longiores; *petioli* oppositi patentes 0,5—0,2 poll. longi, semiteretes, pilis iis ramorum consimilibus una cum nervis adpresse strigosis et hamulatis obsessi et pariter pilis minutis apice globosis conspersi; *folia* ovato- s. oblongo-lanceolata, acuminata, patentia, *infima* subrotundo-ovata, acuta aut obtusa, 0,8—2,0 poll. longa, 0,5—0,9 poll. lata, integerrima, minute serrulato-ciliata, basi obtusa nunc leviter subcordata, 3-nervia, nervis erectis extus ramosis, supra atroviridia, juvenilia strigulosa, dein glabrata, lucidula, subtus pallidiora, tota adpresse strigosa, in nervis tantum inter strigas hamulis minutis obsita; *flores* axillares glomerati, bracteolis minutissimis, lanceolatis, acutis, longiter ciliatis, intercepti, pistilligeri et staminiferi in verticillum spurium oliganthum (6—20-florum) congesti succedanei, pistilligeri primi, staminiferi dein et postremo pistilligeri denuo evoluti, viridiusculi; *flores staminiferi* pedicello brevi tereti, dense pilis longis adpressis tecto suffulti, ante anthesin depresso-globosi; *calyx* extus totus pilis patentibus apice hamulatis tectus quatripartitus; *laciniae* ovato-oblongae, acutae, concavae, in anthesi patentes cruciatae, diametrum transversum floris 0,1 poll. longam formantes, intus glaberrimae; *stamina* 4, rarius 3, calycis laciniis opposita, ab iisque ante anthesin recepta; *filamenta* tereti-subcomplanata flavescenti-viridia, lucida, in praefloratione inflexa, in anthesi elastice resilientia et supra apicem laciniarum calycis reflexa, antice longitudinaliter rugulosa, rugulis 16—12 sulcis transversalibus 10—12 interceptis; *antherae* terminales introrsae candidae, subgloboso-didymae;

loculi oblongi, paralleli, contigui, cum filamentis resilientibus elastice longitudinaliter dehiscentes, dein cucullatim aperti; *pollen* albidum, globosum, parvum, diaphanum, *fovilla* hyalina, parva, minutissima foetum; *pistilli* rudimentum centrale cylindricum truncatum breve, apice pilis longissimis, flexuosis obsessum; *flores pistilligeri* sessiles, quam staminiferi plures; *calyx* gamophyllus pariter extus pilis hamulatis patentibus, obsessus, urceolatus, ovoideus, apice acuminatus, viridis, 0,02 poll. longus, apice constrictus vix denticulatus, stylum arcte vaginans, striis intensius coloratis longitudinalibus percursus; *pistillum* 0,1 poll. longum; *germen* glaberrimum, ovoideum, basi annulo glanduloso albido suffultum, acuminatum, erectum, uniloculatum; *stylus* erectus, crassus, cylindricus, basi calycis ore constricto vaginatus, dein vix exsertus, marcescenti-deciduus; *stigma* longum erectum crassiusculum, apice hamato-curvatum, altero latere nudum, intus pilis patentibus, densissimis, hyalinis, acutis, cylindricis, totum obtectum et inde villosum; *gemmula* unica erecta; *calyx fructifer* membranaceus, crassiusculus, fructum includens, auctus, ovatus acutus, apice constrictus vix denticulatus, a latere paullo compressus, 10-costatus, costis crassis apice convergentibus, albidis apice intensius viridibus, inter costas membranaceus, viridis, extus totus pilis apice hamulatis patentibus tectus, 0,04 poll. longus; *fructus* indehiscentes monospermi coriacei, parvi, oviformes, acuti, laevissimi, lucidi, badii, ima basi albidi, 0,035 poll. longi, vix compressiusculi; *semen* conforme albuminosum; *testa* membranacea tenuis albida; *albumen* albidum farinosum; *embryo* centralis rectus albidus; *radicula* cylindrico-conica, medio incrassata; *cotyledones* applicativae orbiculatae. — Mensibus Januario ad Martium flores fructusque gerentem reperi. — 1846.

MONIMIACEAE ENDL.

134. SCIADICARPUS BROGNIARTII Hsskl.

Char. Gen. cf. Hsskl. Diagn. nov. 82. Cat. 395. 1. — *Brogniartia* Bl. (1825) (nec Knth. (1823)) Msn. Gen. 324. Comm. 236. 5. — *Ki-*

bara Endl. Gen. 2016 et Sppl. III p. 64, nomen sundense et aliis arboribus commune, hanc ob causam haud adoptandum! — Nomen a σκιάδιον, umbella, κάρπος, fructus derivatum.

Char. Spec. cf. *Br. coriacea* Bl. Bijdr. 435.

Descrpt. Arbor excelsa; *rami* crassi teretes; ramuli virides complanati cum petiolis puberuli; *petioli* oppositi 0,5—1,0 poll. longi, semiteretes torti; *folia* ampla coriacea elliptica aut saepius ovata aut ovato-oblonga, acuta aut acuminata 5—10 poll. longa, 2,5—5,0 poll. lata, versus apicem repanda aut subserrata, glaberrima, subtus tamen in nervo medio puberula; *racemi* basi ramosi axillares (lapsu foliorum saepe laterales); *receptaculum* florigerum cum pedunculo, 0,5 poll. longo, aurantiacum minutum, florum staminigerorum minus, pistilligerorum diametro 0,1—0,2 poll. subglobosum, basi bibracteolatum, apice serie 2—3-plici squamularum 4, haud alternante subclausum, hinc staminibus, hinc germinibus absque calycis rudimento farctum; *filamenta* parva, obovata, complanata in apice obtusiusculo antheras adnatas gerentia minutissimas; — caet. et germ. cf. Endl. Gen. 2016. — *Receptaculum fructigerum* dein supra hemisphaericum, subtus concavum, pagina interna (nunc supera) aurantiaca infra fructus in tuberculos stipitiformes elevata, pubescens; externa (nunc infera) flavo-viridis; *fructus* indehiscentes monospermi 1—2—3—12—15 umbellatim conferti, olivaeformes nigri extus carnosi, intus lignosi; *semen* unicum pendulum oviforme; *albumen* maximum carnosum; *embryo* axilis 0,25 poll. longus; cylindrico-conicus; *radicula* obtusa brevissima in extremitate superiore seminis hilum versus spectans; *cauliculus* longissimus, cotyledones minutae applicatae, ovatae, acutiusculae, gemmula tenuissima. — Nomen sundense: *Kibára*.

LAURINEAE VNT.

135. CINNAMOMUM ZEYLANICUM Breyn.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2023. Msn. Gen. 234. Comm. 237. 2.
Char. Spec. cf. Nees Laur. 45. Hsskl. Cat. 396. 6. Diagn. nov. 83.

Descrpt. Fructus carnosus basi calyce fere toto vegeto, in cupulam sexdentatam mutato cinctus, oblongus aut utrinque subacutus aut obtusiusculus, 0,5—0,7 poll. longus, 0,4 poll, crassus, colore indico dein anthracino splendens; caro viridis; *semen* subconforme ovoideum an ovoideo-oblongum; *testa* badia sicca flavo-fusca, chartacea, intus nitida, e raphe ramosa notata, extus ab apice versus basin striata, stria in apice elevata, basi sulcata ad margines cotyledonum; *chalaza* parva ad extremitatem seminis inferiorem nec lateralis subinconspicua, colore vix diversa, sed magis opaca rotundata; *embryo* solidus semen implens ejusdemque formae; *cotyledones* intus planae extus convexae, crassae, carnosae, supra basin conjunctae; *radicula* conica inclusa, versus hilum in seminis extremitate superiore spectans, collum latum, proportionaliter maximum, plumula subcylindrica, bifida. — cf. Nees Laur. 14 et 50. — Coluntur in horto bogoriensi septem formae hujus speciei, secundum qualitatem aromaticam corticis solummodo (ut videtur) diversae, partim ad varietatem α. *commune* Nees, partim ad β. *subcordatum* Nees spectantes. *A. Botter* (Tydschr. Ned. Ind. II. II. p. 116 etc. tab. I et II.) *Kaneelkultuur*, has varietates, quarum prior tantum ad usum pharmaceuticum et mercenarium adhibetur, notis sequentibus distinguit; sed signa, e foliorum forma sumta, maxime variabili, haud rite varietates sistere possunt.

1. *Rassa kurundu* (*Cingalens.*) i. e. Cinnamomum dulce; foliis ovatis, obtusis s. acutiusculis, basi rotundatis, margine inflexo subcanaliculatis, laete viridibus; corticis libro dulcissimo aromatico, nec acri. (Folia in nostris trinervia, in eodem saepius ramo basi cordata, subcordata aut rotundata, 2—4 poll. longa, 1,5—2,5 poll. lata, in ramis fructiferis plerumque basi acuta! —)

2. *Nai kurundu* i. e. Cinn. serpentinum; foliis ovato-lanceolatis longe acuminatis, basi subcordatis, subplanis, pallide viridibus; corticis libro aromatico subacri. (Folia in nostris plerumque triplinervia, 6 poll. longa, 2—4 poll. lata,

in ramulis subacuta basi saepe angustata.) — Nomen alterum *Mieries kur.* i. e. Cinn. piperaceum.

3. *Wella kur.* i. e. Cinn. arenaceum; foliis oblongo-lanceolatis utrinque acutis, margine subinflexo, pallidioribus; corticis libro dulci, per longum tempus conservato arenaceo. (Folia in nostris triplinervia basi subcordata aut angustata, magnitudine intermedia inter antecedentia.)

4. *Kapura kur.* i. e. Cinnamom. camphoratum; foliis parvis oblongis s. oblongo-lanceolatis, acuminatis, basi acutis, lurido-viridibus, utrinque nigro-maculatis; corticis libro valde camphorato. (Folia basi subcordata aut angustata, triplinervia, magnitudine prioris.)

5. *Kaharta kur.* i. e. Cinnamomum acre; foliis ovalibus obtusis, basi rotundatis, planis aut margine subreflexo subbullatis, atro- et lurido-viridibus; corticis libro acri adstringenti inamoeno. (Folia in nostris ovata, obtuse acuminata, basi subcordata aut acuminata, ramorum uberiorum oblonga s. elliptica, acuminata, basi ± obtusa.)

6. *Sewel kur.* i. e. Cinn. mucilaginosum; foliis oblongo-lanceolatis, obtusis basi acutis, magnitudine valde inaequali, subundulatis, laete viridibus, corticis libro mucilaginoso subacri valde inamoeno. (Folia in nostris ovata, obsolete acuminata, basi subrotunda aut cordata.)

7. *Wall kur.* i. e. Cinn. sylvestre; foliis oblongo-lanceolatis, acuminatis, basi acutis, odore graminum, submembranaceis; corticis libro inaromatico inamoeno. (Folia in nostris basi saepe acuta oblique inaequilatera caeterum priorum.)

Addita varietas octava in horto nostro deficiens:

8. *Dawal kur.* i. e. Cinnam. grandifolium; foliis grandibus ellipticis, obtuse acuminatis, basi subacutis, nervo medio subtus valde prominulo, submembranaceis, subtus dein fuscis; corticis libro acri, adstringenti inamoeno. — Nomen speciei malaicum: *Káju mànis*, sundense: *Kiámis* i. e. lignum dulce.

136. PERSEA GRATISSIMA Grtn.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2027. Msn. Gen. 325. Comm. 237. 6.

Char. Spec. cf. Nees Laur. 128. Addenda *descriptioni* haecce: *Folia* basi saepe inaequaliter attenuata, costis 9—11—13; *petioli* semiteretes; *paniculae* in nostra vix 2-pollicares, pedunculo communi subtereti (nec trigono), ramulis saepe abortivis et floribus ex axilla bracteolae binis aut ternis aut imo solitariis; laciniae *calycis* intus et extus adpresse minuteque pubescentes; *stylus* germine ovoideo sublongior; — caet. p. 12. 20; — *fructus* maturus pyriformis (neo pyri mediocris!), diametro 4,0—4,5 poll., *pericarpium* glabrum laeve tenue membranaceum; *mesocarpium* carnosum, versus peripheriam viride (aeruginosum), versus semen flavescens; *endocarpium* (aut potius testa?) carni adhaerens membranaceo-chartaceum, a semine sejunctum; *semen* plane liberum, diametro 1,25 poll., testa dein rumpente arcte inclusum. Caet. vid. Nees. l. c. p. 14. 22.

Adnot. In quibusdam seminibus anomaliam vidi, quam paucis verbis adnotabo: Embryo cotyledonibus 3, nunc 4 incarnatis carnosis, 1 minore triangulari, reliquis subhemisphaericis; radicula cum cotyledonibus connata; gemmula in centro fere seminis cotyledonibus insidens, foliolis carnosis subtrigono-pyramidatis obtusiusculis candidis 3—6 rite distinguendis. — Embryo saepe in fructu germinat, radicula e semine progreditur et gemmula inter cotyledones peltatas 2—4 crassas, carnosas prolongatur, folia plurima albida evolvens. — Nomen malaicum ac sundense: *Djámbu hollánda* i. e. Jambosa a Belgis allata.

137. TETRANTHERA ROXBURGHII Nees β. OBLONGIFOLIA Nees.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2059. Msn. Gen. 327. Comm. 239. 40.

Char. Spec. cf. Nees Laur. 508, 515 — sed in nostra plerumque laciniae adsunt 4—6, nihilominus stamina 9, floresque omnes fere sunt hermaphroditi. — *Dodecadenia robusta* Zoll. Arch. Batav. I, 606—610? Zoll. Arch. l. c. Nostra magis ad formam glabram inclinat.

Descrpt. *Ramuli* glabri, *gemmae* folia novella nondum evoluta, argenteo-sericea, lutescentia; *folia* evoluta ad 14 poll. longa, 5,5 poll. lata, oblonga aut ovato-oblonga, obtusa acuta aut obtuse acuminata, subtus glaucescentia, petiolo saepe glabro; *pedunculi* communes 0,5—1,5 poll. longi pubescentes racemosi subumbellati, partiales 0,2 poll. longi; *bractea* ad basin florum ovata s. obovata, concava, decidua, 0,2 poll. longa; *umbellulae* e floribus 5—7, omnibus hermaphroditis compositae, magnitudine fere cerasi; *involucrum*

floribus brevius; laciniae 4—6 hinc inde antheriferae; *stamina* plerumque 15 aut plura; *filamenta* 0,25 poll. longa; *antherae* primo gilvae dein flavo-fuscae; glandulae 16—18; *germen* nunquam deficiens, staminibus brevius glabrum; *stigma* exacte trilobum; *pedunculus fructifer* incrassatus; fructus carnosi depresso-globosi, albido-virescentes, diametro verticali 1,0 poll. longa, transversali 1,5 poll.; *caro* 0,15 poll. crassa, testae flavescenti adhaerens; *chalaza* orbicularis mucronulo subconico, in vertice seminis; *cotyledones* crassae apice dente sibi invicem adpressae; *plumula* subrotunda supra centrum cotyledonum bifida; *radicula* cum cotyledonibus connata. — An Litsaea robusta Bl. Bijdr. 560. Tetranthera Nees l. c. 564 hujus loci? — Nomen sund.: *Tangkálak.*

γ. *parviflora* Nees Laur. 516 — differt nostra a descriptione: foliis obtuse acuminatis, obtusis imoque retusis, in nervo medio utrumque ad basin puberulis, subtus glaucis; pedunculis communibus 0,2—0,5 poll. longis tomentosis; umbellulis plerumque 4 subumbellatis; pedunculis partialibus communi duplo brevioribus; bractea ad basin pedunculi partialis eo vix breviori, 0,1 poll. longa, acuta, villosa; floribus involucrum aequantibus hermaphroditis. — Nomen sundense: *Húru*, omnibus fere Laurineis commune.

138. TETRANTHERA AMARA Nees.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 84. Cat. 404. 5. — Rami luxuriosi et tirones descriptionem *T. fruticosae* Nees Laur. 543, rami arboris senioris, *T. amarae* Nees l. c. 551 quadrant. Zoll. Arch. Bat. I. 605.

Descrptioni Nees l. c. 543 addenda haecce: *Foliorum* distantia 0,5—1,0 poll., plerumque 0,7 poll. longa; folia 3—5 poll. longa, 1,2—2,0 poll. lata (rarius ultra), oblonga, hinc inde obovata, in ramis luxuriosis nunc supra puberula, reliqua supra glaberrima, subtus glaucescentia (cinereo-glauca); *inflorescentia* admodum variabilis, 0,4 poll. haud excedens, nunc umbellulae solitariae, binae, ternae, imoque quaternae axillares in ramis luxuriosis ibique sectioni „§ 2. Sparsae" Neesii correspondentes, — nunc et saepius umbellulae

plane sectioni „§ 3. Polyanthae" (l. c. p. 545) correspondent; (quoad polymorphiam inflorescentiae ad foliorum vid. Nees l. c. 525); *fructus* (immaturus) carnosus ovoideus aut subglobosus, calycis tubo explanato suffultus, viridis lucescens; *testa* seminis pisiformis membranacea; *cotyledones* hemisphaericae peltatae; *radicula* in seminis extremitate superiore versus hilum spectans, occulta, plumula minuta. — Nomen sundense arboris hujus altae: *Húru híris.*

139. TETRANTHERA RUBRA Nees.

Char. Spec. cf. Nees Laur. 564. *Quinquedula* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 66.

Descrpt. Arbor excelsa; *rami* crassi teretes patentes glabri, *ramuli* cinnamomeo-tomentosi, foliolis baseos abortivis lineari-lanceolatis, superioribus oblongis acutis, supra cinnamomeo-, subtus rubiginoso-sericeis obsiti; *folia* petiolo tereti pollicari suffulta, alterna, elliptico-, aut obovato-oblonga, basi acuta, saepe inaequilatera, 11—15 poll. longa, 4—5 poll. lata, apice acuta utrinque glaberrima, opaca, subtus virescenti-cinerea, subglauca, nervo medio virescenti-albido, nervis secundariis subtus prominulis; *racemi* umbellati aggregati in pistilligera, solitarii in staminifera arbore, axillares et supra axillares 3 se invicem superpositi; *pedunculi* florum staminigerorum ad 2 poll. longi, umbellulas paucas gerentes pistilligerorum breviores, umbelliferi umbellulas 5 gerentes; *involucrum* 4-phyllum cum rhachide et pedunculis ferrugineo-tomentosum, flores arcte includens, imbricatum, dein reflexum patens; foliola concava, ovata; *umbellulae* flores staminigeros 4—7, pistilligeros 5 foventes; *flores* staminigeri: *stamina* 4 majora, bina semievoluta antherifera, et 3 basi appendiculata; *calyx* sericeus 4-fidus, laciniae ovatae, minutae, albidae, diaphanae, saepe ad apicem lutescentes deciduae; *staminodia* geminata 4, subrotunda, albida; *stamina* 8; filamenta subulato-filiformia, albida; *antherarum* rudimenta nulla; *germen* conico-subglobosum, minutum, glabrum; gemmula pendula unica; *stylus* lateralis crassus ter flexus; *stigma* peltatum, subinfun-

dibuliforme, margine serrulatum; *fructus* racemosi; *pedunculi* laterales breves apice fructus 1—2 gerentes; *pedicelli* incrassati, compressi, apice in cupulam complanatam, subintegram, dilatati (residua calycis!); *fructus* carnosus sanguineus lucens sub-nephroideus 0,25 poll. altus, 0,5 poll. latus, 0,25 poll. crassus; *caro* viridi-lutescens; *seminis* testa membranacea flavescens; raphe ramosa albida; chalaza in seminis extremitate emarginata superiore albida, ovata; embryo solidus; *cotyledones* transverse cylindricae altero latere truncatae, altero rotundatae supra basin conjunctae; *radicula* inclusa versus umbilicum in extremitate seminis superiore spectans; caet. vid. Nees Laur. p. 14. — Nomen sundense: *Múgmal búrüm* s. *Húru múgmal.*

140. TETRANTHERA LUCIDA Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 86. Hsskl. Cat. 544. 14. — cf. Nees Laur. 508. B. a. †† § 5. Racemuliferae l. c. 560. Perianthio 6—4-fido, umbellulis axillaribus lateralibusque racemosis, racemis 4—9 floris aut paniculatis multifloris, petiolo multo longioribus, foliis oblongis ellipticisve obtusis aut obtuse acuminatis glabris supra lucidis subtus glaucis, filamentis omnibus villosis. — *Affinitas* maxima ad *P. Panamanja* Hmlt. Nees Laur. 561; — cujus descriptionem hoc loco subjiciam et solummodo differentias indicabo:

Descrpt. *Gemmae* foliigenae complanatae, foliolis alternantibus (suboppositis) interiora includentibus; *folia* 3—8 poll. longa, 1,5—3,0 poll. lata, oblonga aut elliptica, basi subrotunda aut acuta, apice acuta, obtusiuscula aut obtuse acuminata, supra atro-viridia, lucida, tenuissime reticulata, subtus glaucescentia, juvenilia in costis hinc puberula; petioli 0,75—1,0 poll. longi; *pedunculi* communes plane descripscriptionem laudatam quadrant, sed ad apicem ramorum ramuli proveniunt axillares, qui foliis plerumque sunt destituti, aut uno alterove tantum praediti, inde pedunculi fiunt paniculato-racemosi, tunc 2—3 poll. longi et ultra, basi elongati nudi; *umbellulae* in singulo pedunculo aut ramulo pedunculi 4—9 racemosae vagae distantes, flores staminigeros 5—6 gerentes; *squama bractealis* oblonga, obtusiuscula, minuta, ferrugineo-tomentosula, caduca; *pedunculi* umbellularum proprii

0,5 poll. longi, ante et in anthesi patentes, glabriusculi graciles; umbellulae florentes piso majores; involucri foliola extus glabriuscula; *pedicelli* florum staminigerorum 0,1—0,2 poll. longi, una cum calyce rufo-strigosi; laciniae acutiusculae floris centralis 6, reliquorum 4; *stamina* rufo-villosa, antherae viridi-flavescentes; loculi oblongi, lutei, valvulae apertae, albidae; *glandulae* sex per paria staminibus interioribus ad basin adjunctae subsessiles. — Nomen sundense: *Húru hêdjoh* i. e. Laurinea viridis.

141. ACTINODAPHNE CHINENSIS Nees β. OBLONGIFOLIA Nees.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2064. Msn. Gen. 327. Comm. 239. 43.

Char. Spec. cf. Nees Laur. 600 descrpt. optim.; addenda haecce: *Ramuli* inevoluti cum foliis rubentes; *rami* petiolique strigoso-pubentes; *folia* petiolo 0,25 poll. longo semitereti supra glabra et in nervo medio solummodo puberula, subtus minutissime (e nervis eorumque ramificationibus tenuissimis) puberula glauca formae β, singula autem et formae α! florum pistilligerorum gemmae axillares aut foliis abortivis in ramuli parte inferiore ad medium laterales 2—3 rarius 4-nae; *germen* minutum subglobosum haud angulatum minutissime sericeum; *stylus* germine triplo longior filiformis exsertus. — E China introducta.

142. CASSYTA PUBESCENS R. Br.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2067. Msn. Gen. 324. Comm. 237. 1.

Char. Spec. cf. R. Br. Prdr. I. 404. Nees Laur. 648. 7. Diagnosis plane congruit; *stamina* primi ordinis petaloidea; an varietas tantum C. filiformis L. Nees l. c. 642. 1? sed differt praeter caules hirsutos tubo calycis in fructu aequali, fructu ipso majori nec semen coriandri referente, membrana seminis interna alba. — Nomen sundense: *A'roy sanghalánghit bulu* (pilosa); — reperi frutices obtegentem in littore australi Javae occidentali anno 1841.

HERNANDIACEAE BL. DUM.

143. HERNANDIA SONORA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2108. Msn. Gen. 329. Comm. 241. 3.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 551. Wld. Sp. pl. IV. 327. Hsskl. Cat. 421. 1. Wildenovius divus citat Rumphii amb. II. 257 t. 85, quae certe huc

pertinere nequit ob Rumphii descriptionem fructus: „baccae cerasis nigris similes sed minores et umbilicatae, molles albicantes et parum rugosae, continentes bina ternave ossicula, cannabis semini similia intus plerumque excavata." Descriptio Milleri Gard. Diction. nostram quadrat: „fructus maturus est perforatus et nux interna ducessit, ita ut ventus fructum implens sonum quendam reddat, qua re nomen accepit arbor." Pariter Gaertn. frct. I. 193 habet: „Nux supera calyce inflato vestita, semen globosum osseum."

Descrpt. Arbor alta, glaberrima, robusta, rami subangulati crassi; *petioli* cum foliis supra lucidi virides, suberecti teretes, 4—7 poll. longi; *folia* peltata ovata, breviter et obtuse acuminata, nervis 3—5 majoribus et 4 minoribus albescenti-viridibus percursa, subtus glaucescentia, glaberrima, 10 poll. longa, 8 poll. lata. — Nomen sundense: *Kámpis, Kampàk* s. *Márra mînjak* i. e. Rottlera lucida. — In littoris australibus prov. Bantam Javae occidentalis frequentem reperi anno 1841.

POLYGONEAE JSS.

144. POLYGONUM (PERSICARIA) PULCHRUM BL.

Char. Gen. Msn. Gen. 317, Comm. 218. 16. Endl. 1986.c. stylus bifidus, stigmata exigua truncata, stamina 6, glandulae perigynae nullae; glandulae hae forsan nil nisi stamina abortiva?

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 530 valde affine videtur *P. articulato* et *P. attenuato* R. Br. Prdr. I. 276. 7 et 8, praeprimis priori, quod vix diversum habendum.

Descrpt. Herbae in uliginosis stagnantibus *Bataviae* longe prorepentes; *caulis* crassissimus glaber, nodosus, ad nodos radicans; *internodia* fistulosa, medio inflata, in ramis terminalibus 10—14 poll. longis adscendentibus 1,5—2,8 poll. longa, 0,5 poll. crassa, aëre rarius aqua foeta; *vaginae* (ochreae autor.) internodiis breviores 1,0—1,2 poll. longae, eaque arcte cingentes multinerviae, truncatae, ciliatae, adpresse puberulae, ciliis 0,15 poll. longis; *folia petiolo* brevi 0,5—1,0 poll. longo semitereti suffulta, elongato-oblongo-lanceolata basi in petiolum attenuata, apice acuminata supra et in nervo medio subtus pubera, subtus holosericea, mollia, margine minute ciliolata 6—8 poll. longa, 1,8—2,0 poll. lata, *juveni-*

lia in praefoliatione utrinque revolutae; *spicae* terminales 3—5; *pedunculi* subteretes dichotomi, pube adpressiuscula hirti, ad spicarum apicem 6—7 poll. longi stricti; *vaginae* diminutae nunc *bracteae* infundibuliformes extus puberulae, truncatae, ciliatae, 0,1 poll. altae, 3—4 florae; *bracteola* oblonga, diaphana, tenuis acuta, ciliolata, ad basin pedicelli cujusque; *pedicelli* 0,07 poll. longi, erecti, tenerrimi; *tubus calycis* obverse conicus viridis, pedicelli longitudine; *limbus* 5-partitus corollinus; *laciniae* albidae, obovato-subrotundae, 0,13 poll. longae, 0,1 poll. latae; *stamina* 6; *filamenta* albida, tenerrima, erecta, subconniventia, laciniis calycinis breviora; *antherae* sagittatae roseae, dorso supra basin insertae versatiles biloculatae, oblongae; *pollen* albidum, globosum; *germen* lenticulare a latere visum depresso-rotundum, lucidum, dein rufum, 0,03 poll. altum; *stylus* germine duplo major, ad medium bifidus albidus; *laciniae* basi divergentes apice truncato-conniventes; *stigmata* exigua; *fructus* lenticularis, calyce vegeto grossificato occultus, crassiusculus, lucidus, rufus, styli basi indivisa mucronatus, 0,1 poll. altus et latus, 0,6 poll. crassus, monospermus indehiscens. — Mensibus pluviosis Decembro ad Majum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

Adn. Spiculae quaedam totae flores praebent, in quibus torus et calycis tubus omnino sunt impleti pulvere atro-sanguineo subviolaceo, qui constat e globulis (Cytoblastus Schld. l. c. I. p. 198) ut videtur pallide flavidis asperis punctulatis; puncto uno centrali sat magno hyalino (centrali) verticali (cf. Schld. l. c. Tab. 1. fig. 4. *a.*)

145. POLYGONUM (PERSICARIA) FISSUM Bl. β. LATIFOLIUM Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 317. Endl. Gen. 1986.c. et Sppl. II. pag. 34, nec *Persicaria* R.Br., quae *digyna* laudatur (Prdr. I. 275. III.).

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 532 sed costae in nostris totae glabrae! *P. paniculatum* Bl. Bijdr. 533 huic valde affine!

Descript. Herbae perennes, basi procumbentes radicantes, dein erectae 18—30 poll. longae, glabrae, in stagnantibus paludosis ad fossarum margines prope *Bataviam* copiosae; *caulis* basi ramosus; *rami* simplices nodoso-articulati,

teretes virides; *internodia* 2—1 poll. longa, basi incrassata 0,3 poll. crassa, versus apicem rubentem dein viridem attenuata, 0,15 poll. crassa, glaberrima, lucida, laete viridia superiora tota, inferiora duos tertias partes vaginis obtecta, vaginis dein emarcidis deciduis nuda; *stipulae* cum basi petioli et inter se in vaginam intrapetiolarem connatae; *vaginae* (ochreae) e petiolo ortae, cylindricae, clausae, internodia arcte cingentes eisque in prima juventute longiores, tenuiter membranaceae, hyalinae, virides truncatae, 0,8 poll. longae, nervis 12—14 intensius viridibus percursae, apice in setas 0,5 poll. longas, vagina vix breviores subulatas acuminatissimas, strictas, erectas, adpressas, integerrimas excurrentibus, dein ab apice basin versus emarcidae et internodiis adglutinatae, postremo evanidae, ima basi viridi annulari tantum persistente; *folia* sparsa aut potius spiraliter disposita, ita ut sextum supra primum folium sit collocatum, dum spira dextrorsa bis caulis circuitum fecerit, basi in *petiolum* brevem sanguineum planum convexum 0,3 poll. longum, 0,10—0,15 poll. latum patentem, ima basi caulem amplectentem subannularem apice vaginiferum attenuata, oblongo-lanceolata, longiter acuminata, laxa patentia, apice nutantia, tactu mollia, glabra, lucidula, margine minute ciliato-scabra, in praefoliatione revoluta a margine ad nervum medium, infima minora, 3—6 poll. longa, 1,1—1,4 poll. lata; supra intense viridia, inferiora medio, superiora versus basin macula rubiginosa triangulari aut semiorbiculari notata, subtus pallidiora, subglaucescentia, transverse parallele nervosa, nervis adscendenti-curvatis, marginem fere attingentibus, subtus paullo prominulis; *ciliae* subulatae, albidae, dein rufescentes, intus cavae (Schld. l. c. 287. fig. 83. *b*.) longitudinaliter striatae, antrorsum directae; *cellulae* epidermidis paginae *superioris* a facie visae pentagonae; *stomata* sat copiosa cellulis hisce minora, ovalia e cellulis binis oblongis obtusis, curvatis, rimam angustam, utrinque attenuatam cingentibus; *cellulae epidermoidales* faciei inferioris majores valde irregulares, a facie visae 3—5-gonae, lateribus plus minus sinuatis, nunc valde elongatae, nunc subrotundae,

stomatibus plurimis iis superioris paginae consimilibus eleganter interspersae (cf. Schld. l. c. p. 262. 82*, sed stomata minora!); *pedunculi* terminales, rami axillaris excrescentis ope laterales oppositi folii, erecti, stricti, paniculam raram basi foliatam gerentes, teretes; *folia floralia inferiora* anguste lineari-lanceolata, acuminata, 3,0 poll. longa, 0,32 poll. lata, basi in petiolum brevem attenuata, vaginam truncatam 0,35 poll. longam reliquis vaginis conformem, setis 0,1 poll. longis terminatam gerentia; *superiora* ad subulam viridem linearem 0,15—0,05 poll. longam reducta, vaginis solis fere remanentibus truncatis ciliatis dorso adnatam; *panicula* cum pedunculo 7,0 poll. longa, spicato-racemosa; *rami* baseos 1,5—0,5 poll. inter se remoti patentes, 0,7—0,3 poll. longi, apice racemum densum, spiciformem, viridem, multiflorum gerentes strictum teretem apice cernuum, 1,5—1,0 poll. longum, 0,25 poll. crassum, ante anthesin filiformem; *vaginae bracteales* pallide virides tenuissimae, membranaceae, 0,1 poll. longae, 0,5 poll. latae, apice oblique truncatae et nervis excurrentibus ciliatae, dein marcescentes et saepe lateraliter rumpentes scariosae, racemulum 3—6-florum sustinentes; *pedicelli* pariter *bracteolis* vaginaeformibus, dein scariosis, oblique truncatis nunc lateraliter fissis haud ciliatis cincti, erecti teretes, tenerrimi pallide virides glaberrimi, 0,07—0,10 poll. longi; *calyx* basi turbinatus subtrigonus, 0,07 poll. longus, 5-fidus viridi-albescens subcorolloideus, subcampanulato-connivens; *laciniae* subconcavae, ovato-oblongae, obtutiusculae, nervo medio percursae; *calyx* dein persistens vegetus 0,1 poll. longus viridiscens; laciniae membranaceae fructum obtegentes et includentes, trigono-conniventes; *stamina* 8 ima basi calycis inserta, erecta, persistentia, demum fructum cingentia; *filamenta* basi complanata, supra teretia ad apicem attenuata, glabra tenuissima, albida, calyce breviora; *antherae* terminales inclusae, medio insertae incumbentes versatiles candidae, subrotundae, utrinque bifidae, biloculatae; *loculi* connectivo brevi mediano conjuncti inaequaliter inserti paralleli, semi-orbiculares, longitudinaliter parallele dehiscentes; *pollen* albidum sat magnum

globosum, minute verruculosum, tessellatum, reticulatum, fovilla copiosa foetum; *fovillae* granula, hyalina, subglobosa, minuta; *germen* fundo calycis insertum, brevissime stipitatum, ovatum, trigonum, viride glabrum, nitidum, minutum, uniloculatum; *stylus* terminalis rectus obsolete trigono-teres, glaber albidus, germine paullo longior 3-fidus; *laciniae* teretiusculae, styli parte integra breviores, divergentes; *stigmata* subpeltato-capitulata, subbiloba, papillis, globosis, hyalinis tecta albida; *gemmula* unica, erecta, basalis sessilis; *fructus* inter calycem vegetum membranaceum, conniventem occultus, staminibusque persistentibus cinctus, exacte trigonus ovatus, apice styli rudimento persistente apiculatus, lateribus apice subsulcato impressis, medio convexiusculis, angulis, apice acutis, versus basin obtusiusculis, brunneus nitidus laevis 0,07 poll. longus, 0,05 poll. latus, monospermus, indehiscens; *epicarpium* crustaceum fragile sat crassum, intus membrana lucida cinerascente vestitum; *semen* conforme fructum totum implens, ovatum albuminosum; *testa* membranacea albescens; *albumen* farinaceum copiosum, e granulis globosis, minutis, hyalinis tincturae Jodii ope coerulescentibus constans; *embryo* in basi albuminis lateralis curvatus, brevis teres; *radicula* subconica; *cotyledones* pleno-convexae, oblongo-ovatae, obtusae, accumbentes. — Mensibus Aprili ad Majum flores fructusque gerentem reperi 1846.

146. **POLYGONUM CORYMBOSUM** Wld. ε. **DENSIFLORUM** Bl.

Char. Spec. et Var. cf. Bl. Bijdr. 534.

Descrpt. Herba perennis procumbens; *rami* adscendentes nodoso-geniculati, subtereti-angulati; *folia inferiora* petiolata, *petiolo* supra plano-canaliculato rubenti 0,5—0,8 poll. longo; *ochrea* membranacea petioli longitudine, apice truncata; *folia* ovata, acuta, basi nunc acutiuscula, supra atro-viridia, subtus pallidiora, 2,0—2,5 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata, utrinque glaberrima, subcarnosula; *superiora* subsessilia, basi auriculata, auriculis subrotundis aut ovatis; summa sessilia semi-amplexicaulia, cordata, subrotunda; *pe-*

dunculi ad apicem ramorum axillares subcorymbosi, plerumque tripartiti, angulati, subhispidi, apice capituliferi; *flores* 6—10 terminales; calyx viridi-albescens, campanulato-connivens; *stamina* 8, antherae subexsertae roseae; *stigmata* tria capitata; *fructus* monospermi indehiscentes, calyce persistenti vegeto carnosulo viridi cincti, trigoni, rubescentes dein nigrescentes. — Nomen sundense: *Titiwŭan.*

147. POLYGONUM PUBESCENS Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 532.

Descrpt. Herba perennis basi adscendens dein erecta 2—3 ped. alta, geniculato-nodosa, superne vaginis ochreisque plerumque tecta; *petioli* 1,0 poll. longi, supra plani, subtus convexi; *folia* oblongo-lanceolata, 4—6 poll. longa, 1,25 poll. lata, longe acuminata, basi attenuata, supra in nervo medio strigosa, praeterea glabra, subtus pilis minutis subadpressis vix pubescentia, subglauca, transverse venosa; *vaginae* minimae vix 0,1 poll. longae, nodos solummodo occultantes; ochreae 0,5—0,7 poll. longae, tubulosae, striatae et sulcatae, strigosae, truncatae et rubro-marginatae; striae in setas 12 ciliiformes, 0,3 poll. longas desinentes; *spicae* solitariae terminales filiformes 6—8 poll. longae; *flores* parvi solitarii, bini, ternive ex axilla bracteae ochreatae setoso-ciliatae; *pedunculi* filiformes 0,2—0,4 poll. longi, erecti; *calyx* albido-roseus patens; stylus trifidus; *fructus* trigono-pyramidalis, badius, glaberrimus indehiscens; semen solitarium arcte cingens.

148. POLYGONUM DUMETORUM L.?

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. II. 455. 41.

Descrpt. Herba perennis scandens; folia 2,0—3,5 poll. longa, 1,5—2,2 poll. lata; petioli 0,7—1,0 poll. longi, basi caulem amplectentes, dorso poro lineari notati; *ochreae* membranaceae, emarcidae, evanidae, truncatae, 0,2 poll. longae; *flores* minuti aut axillares 2—4-ni, aut in racemo 1,0—1,5 poll. longo; *calycis* laciniae externae virides, acute carinatae, internae binae albidae, planiusculae, omnes persisten-

tes vegetae et fructum occultantes, basi trigono-attenuatae; *germen* trigonum, stylus brevis tripartitus. In horto colitur, unde alatum? nescio.

149. ECHINOCAULON PERFOLIATUM Hsskl.

Char. Gen. cf. *Echinocaulon* Msn. Endl. Gen. 1986.[d] et Sppl. III. p. 64, quod genus satis a *Polygono* L. diversum habendum, *Coccolobae* Jcq. Endl. Gen. 1990. Msn. Gen. 316 magnopere affine! — Calyx vix coloratus quinquepartitus imbricatus infructu baccaceus eique semiadnatus cyaneus, stamina 8, stylus 3-fidus, stigmata capitata, fructes subglobosi, cotyledones accumbentes!

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 81. Cat. 391. 1. *Polygonum perfoliatum* Wld. Sp. pl. II. 454. 36. Brm. Ind. 90 t. 31. 2, ubi pedicelli nimis longi, Lam. Ill. t. 315. 3 sed stigmata acuta et stylus bifidus! — Bl. Bijdr. 535.

Descrpt. Herba perennis scandens volubilis; *rami* tetragoni hinc rubentes et ramuli petiolique retrorsum aculeatissimi; vaginae breves mox dilatatae, limbo patenti plus minus regulariter orbiculatae hinc crenulato, diametro 0,5—0,7 poll.; *petioli* 2—3 poll. longi; *folia* peltata triangularia, lateribus 3 poll. longis, subtus subglauca, margine ciliato-aculeolata, imoque in nervis eorumque ramificationibus retrorso-aculeata; *spicae* terminales vagina perfoliata suffultae; *pedunculi* communes nulli aut 1—2 poll. longi; *flores* densi subcapitati; *calyx* viridi-lutescens ante et post anthesin imbricatim clausus; laciniae exteriores majores; *stamina* 8; filamenta capillaria, subinaequalia, inclusa; antherae minutae didymae; *germen* subglobosum laeve uniloculutum; *gemma* solitaria; *stylus* trifidus; *stigmata* capitata; *fructus* monospermus indehiscens calycis basi adnatus eoque nunc carnoso-succoso cyaneo teetus, laevis splendens nigrescens, subglobosus, crustaceus; *albumen* in spermodermide interna subcoriacea, lutescenti-album farinosum; *embryo* lateralis; *radicula* longa cylindrica, inflexa. — Nomen sundaicum: *Gámmut útang* (sylvestris) s. *G. gúnung* (montanus).

NYCTAGINEAE JSS.

150. BOÉRHAVIA PROCUMBENS Rxb.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 318. Endl. Gen. 2000, involucrum autem polyphyllum nil nisi bracteae, ad basin florum 3—4 umbellatim congestorum 3-nae, deciduae; cf. R. Br. Prdr. I. 278.

Char. Spec. cf. Rxb. Ind. I. 148. Dtr. 199. 4, folia autem haud undulata stamina stylo paullo longiora, cupula stipitata inter filamenta staminum 2—3 abortivorum rudimentis 2—3-crenata, nec 3-dentata.

Descrpt. Herbae perennes in ruderatis et viis hortorum prope *Bataviam* et *Bidura-tjina* obviae; *radix* tuberosa perpendicularis cylindrica subfusiformis fulva s. cerina, 1,0—1,5 poll. longa, 0,3—0,4 poll. crassa, *fibrillis* tenuissimis obsessa et cincta; *caulis* cylindricus brevis, 0,5 poll. longus, 0,2 poll. crassus a basi ramosus; *rami* procumbentes humifusi ramosissimi, nodoso-articulati, 18—30 poll. longi, radiatim a caule divergentes; *internodia* teretia, subcompressa, utrinque subincrassata, glabra, siccando sulcata, virescenti-albida, supra solis radiis exposita, praeprimis ad nodos kermesina 0,5—2,0 poll. longa, 0,1—0,05 poll. crassa, ubique, praeprimis autem in apicibus et ramulis *pilis* parcis hemicyclicis, basi angustissimis, versus apicem clavato-incrassatis, 3-articulatis, articulo summo maximo densissime verruculoso, oblongo utrinque obtuso, subcurvato, asperulis obsessa pruinosa, *cristallos* tenuissimos fasciculatos (rhaphides auct.) utrinque longiter attenuatos trigonos perplures continentia; *ramuli* plerumque oppositi, nunc altero abortivo alterni, adscendenti-erecti, 1—3 poll. longi, versus apicem valde attenuati; *folia* opposita inaequalia patentia, *petiolo* semitereti supra sulcato, 0,2—0,6 poll. longo, glabro, incarnato suffulta, rarius ovata, acuta, plerumque ovato-oblonga s. ovato-lanceolata, acuta, summa anguste oblongo-lanceolata, acuminata 0,6—1,3 poll. longa, 0,6—0,3 poll. lata, paris altero conformi sed plus dimidio minore, trinervia, in margine integro cartilagineo, repando, minutissime ciliato-serrulata, ciliis pilis ramulorum consimilibus, tactu mollia, supra atro-viridia, lucidula, subtus argentea, e epidermide ope telae cellulosae spongiosae, valde lacunosae,

mesophyllo adnata (cf. Schleid. l. c. I. 262 fig. 81. *c.*); *cellulae epidermidis* valde irregulares nunc rotundatae, nunc quadratae, nunc oblongae, omnes autem ± repando-undulatae aut angulatae; *stomata* inter minora cellulis nunc dictis dimidiis subaequantia, subrotunda, rimulam ellipticam repraesentantia, copiosa; in epidermidis facie superiore magis oblonga, minus copiosa; *parenchyma* laete viride, cristallorum fasciculis copiosis farctum; *folia* utrinque glabriuscula, supra nunc pilis raris tantum, 5—7-articulatis conspersa, articulis infimis subglobosis, crassis, sensim versus apicem diminutis; *juvenilia* supra pilis, iis ramulorum consimilibus, pluribus obsessa et margine minute ciliolata et apice mucronulo tenuissimo, deciduo apiculata; *pedunculi* prima intentione et juventute terminales, dein ramo axillari uno et postremo altero evolutis interaxillares aut interpetiolares erecti; fructiferi patentes capillares, graciles, petiolis longiores 0,2—0,3 poll. longi, glabriusculi, hinc pilis singulis jam supra descriptis conspersi, versus apicem paullo incrassati incarnato-virides, apice umbelliferi; *umbellae* 2—3-florae, rarius sub apice ramosae et ramum triflorum, umbellam superantem gerentes, aut sub apice bifidum, ramo quoque abbreviato 2-floro; *flores* parvi 0,06 poll. longi, sessiles basi 3-bracteati; *bracteae* lineari-lanceolatae, acuminatae, pilis patentibus clavatis 3-articulatis conspersae, incarnatae, deciduae; *calyx* gamophyllus, extus pilis recurvatis iis ramulorum consimilibus adspersus, medio constrictus; *tubus* basi angustatus, obverse pyramidatus viridis 5-angularis, angulis valde prominulis, intensius coloratis, punctulis albidis conspersus, limbum longitudine subaequans; *limbus* incarnatus ante anthesin plicatus et valvatus, dein albidus, campanulatus, sub-5-lobus, lobis rotundatis acutiusculis, horis meridianis apertus, dein plicato-clausus, deciduus, extus pilis minutissimis conspersus; *stamina* 5 hypogyna; *filamenta* basi in cupulam albidam, carnosam, substipitatam infundibuliformem, germinis basin cingentem et inter filamenta 2—3 fertilia sterilium rudimentis crenuliformibus 3—2 obsessam connata, basi calycis inserta, dein libera, flexuosa in parte

calycis constricta conniventia, intra limbum inclusa, primo erecto-patentia, albida, filiformia, summo apice conniventia, ante anthesin inflexa, in connectivum latum continua; *antherae* subdidymae introrsae biloculatae terminales; *loculi* subglobosi connectivo brevi lato antice adnati, transverse dehiscentes; *pollen* sat magnum globosum lutescens puberulum (aut minutissime tuberculatum?), fovilla sat copiosa foetum; *germen* basi cupula filamentorum cinctum, stipiti brevi suffultum oviforme, intra calycis tubum arcte inclusum, eumque arcte implens, dein post anthesin hoc grossificato plus quintuplo brevius obovatum subreniforme laete viride glabrum, lucidum, 0,03 poll. longum, basi attenuatum, margine stylari supra basin excavatum, altero margine convexum 1-loculare; *stylus* primo subterminalis dein lateralis, filiformis, hyalinus apice subtruncatus germine longior; *stigma* in fauce exsertum peltatum, parvum, sublobatum e pilis 3-bus, iis ramulorum conformibus marginalibus; *gemmula* solitaria sessilis obovata, basi attenuata; *fructus* intra calycis tubum persistentem obclavatum, vegetum, membranaceum, grossificatum, 5-sulcatum, vertice truncatum, perforatum et sub-5-lobum viridem, dein luride rubentem 0,12 poll. longum inclusus sed liber, oblongus basi attenuatus, albus (an semper?), membranaceus, tenuissimus, monospermus indehiscens; *semen* conforme albuminosum; *embryo* albus, lucidus, conduplicatus; *radicula* cylindrica seminis longitudine, apice versus hilum spectante subconica; *cotyledones* subrotundae, radiculae dimidiae aequilongae, applicativae; *albumen* ab embryone cinctum centrale, a cotyledonibus tectum, 2-partibile oblongum, candidum, farinosum, e globulis hyalinis, minutis, regularibus, admissa tinctura Jodii coeruleis constans. — Mensibus Februario ad Majum flores fructusque gerentes reperi; 1846.

151. PISONIA EXCELSA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2012, sed flores omnes hermaphroditi, stamina 8—11, filamenta longe exserta.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 735.

Obs. P. Limonella Bl. Bijdr. 735. Rmph. amb. V. 25. Hsskl. Catal. 393. 1, quae *Pallaviam aculeatam* Fl. Flum. IV. 12. sat refert, calycem habet imo calyculatum, filamenta longe exserta et stigma sublacerum!

Descrpt. *Arbor* excelsa; *rami* crassiusculi fragiles divaricati, cortice cinerascenti; *folia* opposita, 3-na 4-nave verticillata; *corymbi* umbellati ante evolutionem nutantes glomerulati cuprei, dein divaricati patentes flavescenti-virides suaveolentes; *calycis* alabastrum basi tubulosum, apice capitatum, 5-gonum aut 5-angulare, valvatum; calycis limbus 4—5-fidus patens dein reflexus, intus albidus, papillosus; *stamina* 8—11; filamenta hypogyna, longe exserta, filiformia, albida, erecta, a fauce calycis horizontaliter patentia, flexuosa; calycis limbo longiora; *germen* cylindrico-conicum in *stylum* brevem filiformem attenuatum, uniloculatum; *gemmula* unica, *stigma* capitatum. — Nomen sundense: *Kitjaú.*

PITTOSPOREAE R.BR.

152. PITTOSPORUM FBORIBUNDUM W. ET A.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5661. Msn. Gen. 60. Comm. 48. 5. — Moritzi et Zoll. Verz. 21. — *Itea* Bl. Bijdr. 863 (nec L.) cf. Endl. Gen. 4677. Sppl. III, p. 84, qui *Polyosmae* accedens habet genus hocce; *Pseuditea* Hsskl. Diagn. nov. 119. Catal. 762. — *Glyaspermum* Zoll. Arch. II. p. 11. (Gen. novum *Saxifragacearum!*), qui fusiorem dat Char. Gen., cujus infra reddam nova signa (certe tantum specifica!) additis in parenthesi notulis quibusdam, quas ipse feci in hoc genere longe dubioso!

Char. Spec. cf. W. et A. Prdr. I. 154. 488 cum citat. Rxb. Wlp. I. 251. 10. *Itea javanica* Bl. l. c. *Pseuditea javanica* Hsskl. ll. cc. *Glyasp. ramiflorum* Zoll. Arch. II. 12. *Pitt. densiflorum* Moritzi Verz. 21 nec Puttert. Wlp. l. c. 11.

Descrpt. Arbor 40—50 ped. alta*), ramis patentibus (Hsskl.), a Sundensibus *Kihónje* dicta; folia rarissime alterna, saepius opposita, plerumque 3—4—5-na subverticillata oblongo-lanceolata, integerrima, glaberrima, supra lucida, petiolata; *cymae* subumbellatae jam a basi ramosae, terminales

*) Arbusculum humile ramosum habitu Rhododendri (Zoll.).

aut axillares, aut foliis delapsis laterales, rufo-tomentosae; pedicelli patentissimi 3—∞ flori; *calyx* subcampanulatus patulus, glaber albido-virescens, laciniis semiovatis apice rotundatis pallidioribus, vix $\frac{1}{2}'''$ longis et latis; *corolla* calycem longe superans erecta, decidua, glabra, alba; petala usque ad medium leviter connata, 5-nervia, oblongo-elliptica, basi concaviuscula, $2\frac{1}{4}'''$ longa, $\frac{3}{4}'''$ lata, nervis lateralibus apicem versus evanescentibus; *filamenta* semiteretia, medio sublatiora (basi dilatata), glabra s. interdum apice pilis paucis obsessa, albida; *antherae* membranaceae, fuscae; *germen* erectum, longitudine filamentorum, ovatum albido-virescens, pilis adpressis hirsutissimum e carpidiis duobus compositum; *styli* 2 terminales arcte cohaerentes, columnam teretem viridescentem glabram cc. $1'''$ longam simulantes (stylus brevis, stigma capitato-depressum); *stigmata* 2 arcte concreta, stigma unicum depresso-globosum, glutinosum, viride formantia; fructus subbaccatus (primo carnosulus), demum coriaceus 2-valvis, styli rudimento coronatus, oblongo-ovatus, utrinque acutiusculus, glaber aurantiacus, $2\frac{1}{2}'''$ diamet.; semina horizontalia vix adscendentia, subreniformia, glaberrima, nitida, atra.

CELASTRINEAE R. BR.

153. EUONYMUS JAVANICUS Bl.

Char. Gen. cf. Hsskl. Adnot. 1004. 1. Catal. p. 229(1), omnibus partibus floralibus saepe 6-meris! — Intermedia species haecce inter *Lophopetalum* Wght. et *Euonymus* Trnf. (Endl. Gen. 5675 et 76. Msn. Gen. 67. Comm. 48. 6. add. 348. 6/1) nunc unum, nunc alterum genus repraesentans; an prius a posteriore jure sufficiente sejunctum? — a *posteriore* nostra differt: petalis obovatis supra basin integerrimam fimbriato-ciliatis, filamentis glandulae insertis, germine 5-loculato; gemmulis in loculis binis; stigmate acuto; capsula 5-gona, 5-loculata, loculis abortu plerumque 1-spermis; — *ab altero:* petalis sub disco pentagono crasso insertis, fimbriato-ciliatis, filamentis reflexis persistentibus, capsula 5-gona nec lobata.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 1146. Wlp. Rprt. I. 530. 5. Hsskl. Adn. l. c. Hrsf. Pl. Jav. t. 28!! mihi deest.

Descrpt. *Ramuli* teretes (nec tetragoni DC. Endl. l. c.); *folia* ovato-oblonga, elliptica aut oblonga, utrinque at-

tenuata, apice saepius acuminata, hinc inde remote crenato-serrata, 3,0—7,5 poll. longa, 1,5—2,7 poll. lata; *flores* axillares saepe ad apicem ramuli bifoliati et foliis delapsis umbellato-terminales; *sepala* in praefloratione imbricata, in anthesi conniventi-reflexa, diversiformia, externa minora; *petala* viridi-flavescentia maculis minutis sanguineis cum basi sanguinea notata, lateribus reflexis, fimbriis dimidia petala longis; *glandulae* staminiferae sanguineae; *antherae* extrorsum rima longitudinali dehiscentes, biloculatae subrotundae insidentes subdidymae; diameter floris totius 0,5 — 0,6 poll. longa; *fructus* obverse pyramidatus angulis prominentibus apice conicus acutus, 1,0—1,1 poll. longus, 0,7—0,8 poll. latus, valvatim dehiscens 5-loculatus; valvae 5; pericarpium subcarnosum, lateritio-cinnabarinum; *semina* in loculis subsolitaria, obverse oviformia atra nitentia, extremitate inferiore arillo aurantiaco-miniato, 0,2 poll. longo obconico; basis in extremitate seminis inferiore; cotyledones applicati foliacei; radicula minima subobliqua; *albumen* album embryonem cingens.

β. *sphaerocarpus* Hsskl. Cat. p. 229. Quoad foliorum formam et magnitudinem pari modo variat ac antecedens varietas; differt autem nostra, praeter colorem rubrum pedunculorum, sepalorum et sordide rubentem petalorum, praeprimis forma ac magnitudine fructus; *fructus* immaturi virides obconico-subglobosi, ab apice ad medium 5- (rarius 6-) sulcati, ut fructus obsolete 5-(6-)lobi videantur; maturi rubentes basi pentagoni, angulis vix prominulis, apice rotundati vix mucronato-acutiusculi, diametro verticali 0,75 poll., horizontali 0,5 poll.; *semina* atro-sanguinea. — Nomen sundense varietatis utriusque: *Kikátjang*.

HIPPOCRATEACEAE KNTH.

154. HIPPOCRATEA INDICA Wld. γ. EUONYMOIDES Vhl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5700. Msn. Gen. 56. Comm. 40. 1.

Char. Spec. et Var. cf. DC. Prdr. I. 569. 17, Dtr. II. 684. 17 β. Bl. Bijdr. 219. Rxb. Ind. I. 169. 1. Wght. et Arn. I. 104. 361, qui varietates

Candolleanas in eodem specimine reperisse dicunt; — Wlp. Rprt. I. 400 sp. div.

Descrpt. Frutex scandens ramulis oppositis compresso-teretibus glaberrimis subtus viridibus, solem versus atro-sanguineis, lucidis; *stipulae* caducae; *petioli* semiteretes virides plani patentes 0,2—0,4 poll. longi; *folia* elliptica s. obovata, obtusa s. acuta, basi leviter attenuata, crenato-serrulata, 2,0—4,0 poll. longa, 1,2—2,3 poll. lata, subcoriacea, supra concava, intensius colorata, sublucida, nervo medio utrinque prominulo, nervis subalternis pennatis; *pedunculus* axillaris fructifer patens tetragonus, sanguineus, lucidulus, geniculato-flexuosus, monocarpus, ad genicula bracteolis minutis, ovatis, acuminatis donatus, summo apice paullo incrassatus; *fructus* carpidia 1—3 distincta, ima basi contigua, erecto-patentia, longitudinaliter parallele nervoso-striata, viridia, lucida, oblonga, utrinque obtusa, coriacea, compressa, 2,0 poll. longa, 0,8 poll. lata, 1—2-sperma, intus pergamacea, nitidissima, 2-valvia; valvis navicularibus; *semina* ovata s. ovato-oblonga, albida, 0,6 poll. longa, 0,3 poll. lata, basi in alam oblongam, 0,9 poll. longam, 0,45 poll. latam, virescenti-albidam producta, integumento interiore chartaceo cerino; *cotyledones* maximae extus virides lucidae, oblongae, coadunatae, 0,5 poll. longae, 0,2 poll. latae; radicula brevissima, albida, in inferiori seminis parte versus hilum spectans. — Nomen sundense: *Hóëh tútung*.

155. SALACIA RADULA Dtr.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5702. Msn. Gen. 56. Comm. 40. 4; gemmulae in germinis loculis binae!

Char. Spec. cf. Dtr. II. 691. 3. *Tonsella* Sprg. Syst. Veg. I. 177. 2 — cum Bl. Bijdr. 219 etc. DC. Prdr. I. 570. Wlp. Rprt. I. 401 etc. — Wght. et Arn. Prdr. I. 105.

Descrpt. Frutex scandens; *rami* teretes rubiginosi lenticellis albidis, minutis, densissimis asperi; internodia ad poll. 6 longa; juniores virides complanati, glabri, pariter punctulis minutissimis, albidis adspersi; *folia* maxima elliptica s. elliptico-oblonga s. ovalia, 5,0—13,0 poll. longa, 2,0—

5,0 poll. lata, breviter obtuseque acuminata, basi acuta aut rotundata, margine obsolete repando-serrulata, nunc integerrima, patentissima, nunc deflexa, utrinque glaberrima, supra atro-viridia, sublucida; *petiolus* brevis teres, 0,3—0,5 poll. longus; *stipulae* minutissimae, lineari-subulatae, caducissimae; *inflorescentia* axillaris patens cymosa, petiolo longior, 0,9—1,5 poll. alta (nunc foliorum lapsu lateralis) glaberrima, dichotoma, bracteolata, divaricata, plana regularis similiflora 40—60-flora dein densa; *bracteae* ad ramificationes et pedicellorum ortum parvae latae, sed breves membranaceo-marginatae, ciliolatae, adpressissimae; pedicelli 0,2 poll. longi teretes; *calyx* brevis planus patens; laciniae ovato-subrotundae, subreflexae virides margine tenuiores persistentes; *corolla* 5-petala, petala citrina, oblonga, reflexo-patentissima, margine revoluta, hinc suberosula, 0,15 poll. longa, 0,07 poll. lata (insert. cf. Endl. l. c.) basi truncata, nec unguiculata, decidua, utrinque glaberrima; *discus* nectarifer hypogynus (gynophorum staminiferum = torus) crassus, 0,05 poll. altus placentiformis rotundus, obsolete 5-gonus apice subtruncatus, genitalia gerens glaberrimus; *stamina* 3, filamenta e basi lata, subulata, conniventia, pistillom, longitudine paullo longiora, 0,05 poll., effoeto revoluta, flavescenti-viridia, marcescenti-persistentia; antherae subglobosae, externae, 2-loculatae, loculis longitudinaliter rima dehiscentes; pollen pulcherrime miniatum, globosum, minutum; *germen* summo disco insertum flavescenti-viride, 3-gono-pyramidale, lateribus staminibus oppositis, 3-loculatum; gemmulae in loculis superpositae (cf. Wght. et Arn. adnot. ad fin. generis l. c. 104.) pendulae, 1-seriatae; stylus conicus; stigma punctatum terminale. — Habitat in provincia Bantam Javae occidentalis prope flumen Tjitjariengien, quod occidentem versus trahit, in sylvaticis frequens, nomine sundensi: *Aroy kúluk lököt* nota. Inflorescentia ab omnibus affinibus sat distincta species.

156. SALACIA PRINOIDES DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 571. 8. Bl. Bijdr. 221. Wlp. Rprt. I. 401. 5. Dtr. II. 693. Wght. et Arn. Prdr. I. 105. 363.

Descrpt. Frutex scandens; *folia* opposita nunc subopposita breviter petiolata, ovata, basi rotundata, obtusa aut utrinque acuta aut ovato-oblonga l. elliptico-oblonga, utrinque attenuata plus minus serrata, coriacea, glaberrima; *inflorescentia* axillaris; pedunculi aggregati bini s. quaterni, longitudine vix petiolorum; alabastra hemisphaerica; *calyx* planus obsolete 5-denticulatus; denticuli rotundati minuti; *corolla* 5-petala; petala denticulis calycinis alterna, praefloratione imbricata, dein patentia subrotundo-obovata, flavescenti-viridiuscula, calyci inserta, margine reflexo erosula, inde subtus concaviuscula; *discus* carnosus, crassus, glaber atro-viridis, integer inter petala et germen; *stamina* 3 disco prope germen inserta; filamenta basi dilatata, lanceolato-subulata, primo erecta conniventia, dein in discum reflexa patentissima; antherae terminales 2-loculatae, didymae, subglobosae, apice transverse rumpentes; pollen cinnabarinum; *germen* trigono-pyramidale acutum, in stylum brevem attenuatum, stigma obtusiusculum; *fructus* (edules) pedicello vix semi-pollicari suffulti, globosi, corticati, cinnabarini, intus pulpa hyalino-albida, semini solitario(!) adhaerenti impleti; *semen* subglobosum, exalbuminosum, cotyledones hemisphaericae crassae, plumula minuta. — Nomen sundense: *Kitelor* (i. e. lignum vitellinum) s. *A'roy kitjepòt.*

157. SALACIA MACROPHYLLA Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 221. Wlp. Rprt. I. 401. 4.

Descrpt. Frutex scandens (nec alte!); *rami* divaricati, seniores rimosi, cinereo-albi, rigidi, juniores murini asperuli, summi atro-virides glaberrimi, subcomplanati; *stipulae* minutae, caducissimae, petioli oppositi hinc subalterni, brevissimi, crassiusculi, subtorti, semiteretes 0,3 poll. longi; *folia* ovali- s. elliptico-oblonga, rarius ovalia, obtusa, obtuse acuminata s. acuta, basi rotundata s. rarius acute attenuata,

2—7 poll. longa, 0,6—2,5 poll. lata, nunc subintegerrima aut repando-serrulata, coriacea, utrinque glaberrima, subtus pallidiora, supra lucidula; *pedunculi* axillares solitarii aut 3-ni, nunc e ramis senioribus prorumpentes, laterales, graciles, 0,1—0,2 poll. longi, virides glaberrimi, patentes; alabastra sphaerica; *calyx* flavescenti-viridis, 5-partitus; laciniae aestivatione imbricatae, ovato-subrotundae, margine tenuiores, concavae petalis adpressae; *petala* 5, aestivatione imbricata, calycis laciniis alterna, subcampanulato-conniventia, viridiflavescentia, subrotundo-ovata, calycem longe excedentia, 0,1 poll. longa; margine tenuiore erosula, ad disci marginem exteriorem inserta; *discus* urceolatus helvolus glaber obsolete pentagonus, margine superiori tenui; *stamina* 3 ad interiorem disci marginem et basin germinis inserta; filamenta 3-angularia, basi lata, germinis lateribus opposita, erecto-conniventia et pistillum totum obtegentia, dein patenti-reflexa; antherae subgloboso-didymae, 2-loculatae, extrorsae, longitudinaliter dehiscentes; pollen cinnabarinum; *germen* 3-gono-pyramidale, disci centro insertum et margine disci filamentisque longiter persistentibus circumvallatum, 3-loculatum; gemmulae in loculis geminae, superpositae, pendulae, 1-seriatae; stylus conicus; stigma punctatum terminale; *fructus* carnosi edules, pedicello vix 0,5 poll. longo suffulti, iis priori speciei conformes. — Nomen sundense: *A'roy kitjepòt.*

RHAMNEAE R. BR.

158. ZIZIPHUS JUJUBA Lam.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 71. Comm. 51. 30. Endl. Gen. 5717. Wght. et Arn. Prdr. I. 161, petala autem haud convoluta sed cucullata aut navicularia; an *Condalia* Cav. sufficienter ab hoc genere diversa? — sola petala deficientia haud sufficere videntur! cf. Msn. Gen. l. c. 23. DC. Prdr. II. 28.

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. I. 1104. 6. Wght. et Arn. Prdr. I. 162. 509. DC. Prdr. II. 21. 21 et mea opinione *Z. rotundifolia* Lam. DC. l. c. 23 pariter ac *Z. Sororia* Schlt. DC. l. c. 22 huc reducenda! — *Malum indicum* Rmph. amb. II. 117 t. 36.

Descrpt. *Arbor* humilis 12—20 ped. alta, in hortis prope *Bataviam* saepe culta et *Bidara* i. e. *sanguis* dicta; *caulis* teres lignosus obliquus haud crassus; *coma* subglobosa, depressa irregularis; *rami* spinosi, divaricati, ramosissimi, subgeniculati, teretes tenues glabri, flavo-fusci, uberiores ad basin aut in medio trunci progredientes, crassi, erecti, stricti, virides pube, densa fulvo-albida tecti; *ramuli* ultimi teneri teretes flexuosi, incano-tomentosi, pilis cirrhoso-crispulis intricatis, in ramis uberioribus, albido-lanatis ad stipulas et petiolorum insertionem fuliginosi; *stipulae* binae, summae patentes lineari-subulatae, 0,1 poll. longae, viridiusculae, herbaceae, inaequales, brevior apice nigrescenti duriusculo, spinescenti praedita, longius persistens, altera decidua aut emarcida, *in ramis* altera brevis persistens in spinam mutata lignosam, rectam, firmam, acutissimam, 0,1 poll. longam; altera longior decidua; *in uberioribus* ramis utraque erecta, 0,2 poll. longa, fuliginoso-tomentosa, intus glabra, conica, crassiuscula, herbacea, apice nigrescenti spinescens, dein patens et firmior successive in spinas stipulares mutata; *spinae* igitur geminae, aequilongae, basi tomentosae, crassae, subherbaceae sed firmae, supra basin lignosae, badiae, glabrae, nitidae, altera patenti-erecta, altera patenti-recurva; *petioli* alterni patentes, subteretes, supra canaliculati, incano- aut ferrugineo-tomentosi, 0,2—0,4 poll. longi; *folia* 3-nervia ramorum uberiorum subrotunda aut subrotundo-ovata, 1,5—2,0 poll. longa, 1,5—1,7 poll. lata, e marginibus elatis subconcava, acuta aut subobtusa, basi rotundata aut subcordata, integerrima, supra basin minute mucronulato-serrulata, supra laete viridia, glaberrima, nitida, subtus pube intricata, albida, tota tecta in nervis fulva; *in ramis floriferis* coriacea, ovalia aut ovali-oblonga, 2,0—2,5 poll. longa, 1,3 poll. lata, plerumque obtusa hinc acutiuscula, saepe emarginata aut praemorso-truncata, basi plerumque inaequali oblique acuta aut obtusa, in margine subrevoluto serrulato-crenata, supra atroviridia, glaberrima, nitidissima, subtus tomento fulvo tecta, nervis plerumque glabratis; in praefoliatione implicativa ad

ad nervos 3 introrsos; *racemi* axillares secundi abbreviati, dichotomi; *pedunculi* tomentosi patentes 0,1 poll. vix longi; *rami* patentissimi imoque subreflexi, iterum dichotomi, 0,2—0,1 poll. longi, flores succedaneos deciduos proferentes et inde bifariam scrobiculati, pariter dense tomentosi in pedicellorum cicatricibus glabri; *bracteae* ad pedicelli cujusdam basin lineares tomentosae, 0,07 poll. longae caducissimae; *flores* in racemulis 15—20 succedanei viridiusculi foetidi; *pedicelli* patentes 0,15 poll. longi teretes; *calyx* extus tomentosus 5-fidus patentissimus, in praefloratione valvatus, alabastrum globosum formans, dein patens diametro 0,15 poll.; *laciniae* ovatae, acutae, intus glabrae, elevato-carinatae; *petala* 5 laciniis calycinis alterna, infra torum inserta, albida minima, basi attenuata, cucullato-concava, obtusiuscula, dein resilientia et reflexa in sinubus calycis, ejusque laciniis breviora; *stamina* cum petalis inserta iisque opposita, in anthesi elastice resilientia, reflexa, petalisque incumbentia et aequilonga; *filamenta* filiformia, albida, apice subulata; *antherae* versatiles ovatae, basi bilobae, apice mucronulatae, biloculatae; *loculi* lateraliter oppositi, basi divergentes, rima longitudinali dehiscentes; *germen* toro lato, 5-gono, stellatim 10-radiato, in radio quoque sulcato viridi, fundum calycis totum obtegenti semi-immersum, minutum, viride subglobosum, 2-loculatum; *gemmulae* in loculis solitariae; *styli* bini breves albidi, crassiusculi, erecti sub-divergentes; *stigmata* truncata papillosa; *fructus* edules (incolis) cerasiformes, primo virides dein rubentes, in pedicellis penduli solitarii, succo glutinoso foeti; indehiscentes, 2-loculati aut abortu 1-loculati, loculo altero minuto collaterali seminis abortivi rudimentum gerente; *endocarpium* sat crassum lignosum rugoso-exsculptum; *semina* in loculis solitaria, sessilia, complanata, ovata, albuminosa; albumen tenue periphericum; *cotyledones* applicativae, subrotundae; *radicula* in basi seminis versus hilum spectans. — Per totum annum fere flores fructusque gerit. — 1846.

159. GOUANIA RETINARIA DC. β. MICROCARPA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5746. Msn. Gen. 70. Comm. 50. 1.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 40. 19 et 20. *G. microcarpa* DC. Wght. et Arn. Prdr. I. 167. 521.

Descrpt. Frutex scandens ramosus; *rami* elongati teretes, juniores hirsuto-puberuli; ramuli axillares ad apicem simpliciter cirrhosi; *stipulae* semi-sagittatae basi obtusae, 0,2—0,4 poll. longae, acutae; *petiolus* vix pollicaris, juvenilis hirsuto-puberulus; *folia* subrotundo-ovata, breviter acuminata aut ovato-oblonga, acuminata, basi plus minus cordata, acumine obtusiusculo, margine praesertim versus basin et apicem glanduloso-crenato; *inflorescentia* elongata, racemoso-spicata in ramulis terminalis; ramuli basi plerumque bifoliati, in axilla inferiore inflorescentiam alteram, saepe abortivam s. bifloram gerente, in superiore cirrhifera; *flores* 5—7-ni conglomerati in pedunculo elongato polygami aut plerumque hermaphroditi, breviter pedunculati, bracteola lineari-lanceolata, decidua suffulti; glomerulis distantibus; *flores hermaphroditi*: *calyx* extus albescens gamosepalus, tubus viridiusculus turbinatus germini adnatus; limbus 5-fidus, laciniae erecto-patentes ovatae, acutae; *corolla* pentapetala; petala angusta cucullata, calycis lacinias alternantia, primo inflexa, dein elastice desilientia, subreflexa, albida apice lutescentia, filamenta cum antheris foventia ac occultantia iisque longiora; *stamina* 5, petalis opposita patentia a petalis recondita; filamenta filiformia, antherae didymae minutae; *germen* calyci adnatum; discus epigynus patelliformis 5-lobatus persistens; lobi apice in cornua subbiloba producti, petalis alterna; stylus profunde 3-partitus; stigmata obtusa; *flores staminiferi* quoad calycem, corollam et stamina ab iis floris hermaphroditi haud diversi; *fructus* 3-alati magni, diametro sesquipollicari, triloculares, 3-valves; loculi monospermi.

160. STROMBOSIA JAVANICA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5752. Msn. Gen. 44 et 71. Comm. 32 et 51. Hsskl. Adnot. 1016. 1. Catal. p. 232.(1) — *Rhamno* maxime affine genus vid. Msn. Gen. 71 od illustr. char. gen. addenda haecce: *calyx* in alabastro cyathimorphus 5-dentatus; *petala* unguibus latis canescenti-puberulis concavis in urceolum conniventibus ad faucem ciliatis, laminis vix 4-tam unguium partem longis ovatis, acutis, patentibus supra glaberrimis, margine albescenti-puberulis; *filamenta* spathulata, petalorum unguibus adnata; discus 5-sulcatus, *germen* 3—5-loculatum obtegens; gemmulae in loculis singulis solitariae, e angulo interno pendulae; racemuli axillares abbreviati.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 1155. Calycis dentes dein obsoleti indeque calyx planus obsolete crenulatus; petala 5 viridiuscula, filamenta 5, antherae subsessiles ovato-oblongae, nigrescentes acutae, rima longitudinali bina lateraliter dehiscentes; germen ovatum; stylus brevis filiformis. — Nomen sundense: *Kikádjang* i. e. Lignum fabaceum s. *Kiköjüp*.

161. SAMARA RACEMOSA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5753. Msn. Gen. 71. Comm. 51. 28, sed flores racemosi et in *S. scandenti* paniculati!

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1018.a. 1.(2) et *S. scandentem* (cujus diagnosin addam ad finem!) Wld. Sp. I. 665. 1 et 2.

Diagn. Scandens, foliis ellipticis obtusis s. acutiusculis, racemis lateralibus, floribus 4-andris luteis majoribus.

Descrpt. Frutex alte scandens, habitu *Ardisiae* cujusdam; *rami* 0,7 poll. crassi, lignosi teretes, juniores teretes cinnamomei, lenticellis oblongis linearibus rufis notati, summo apice saepe flagelliformes elongati, 3—5 ped. longi, foliis rudimentariis deciduis ramisque axillaribus patentissimis, subfoliiferis, dein spinaeformibus muniti, teretes glaberrimi, infra glaucescentes, lenticellis linearibus rufis, supra olivacei; *stipulae* nullae; *folia* juvenilia, lucida, dein opaca, petiolo crassiusculo subtereti versus apicem supra plano, 0,5—2,0 poll. longo, reflexo s. patente suffulta, elliptica nunc ovalia s. oblonga, acutiuscula s. obtusa, basi acuta, rarius attenuata s. obtusa, grandia firma coriacea, glaberrima, supra olivacea, subtus melina, diaphano-punctata, margine acuto recurva, 4,0—8,0 poll. longa, 1,6—3,7 poll. lata; *inflorescentia* lateralis (delapsu foliorum) racemosa, 1,3—1,0 poll. longa patens;

rhachis angulata, viridis glabra, 12—20 flora; pedicelli basi bracteola minuta, subrotunda, acutiuscula, nigrescenti-scariosa suffulti, patentissimi virides glabri nunc adscendentes, 0,2 poll. longi; *calyx* glaber campanulatus, erectus corollae adpressus, 4-fidus, laciniae ovatae, acutae, 0,05 poll. longae; *corolla* 4-petala imo calyci inserta; petala oblonga, acuta, calycis laciniis alterna margine ciliolata, gilva, dein cerina, siccando in dorso punctulis striisque hyacinthinis notata, 0,1 poll. longa; *stamina* 4, petalis opposita iisque parte inferiore adnata; filamenta teretia, petalis paullo longiora, erecta, filiformia, lactea; antherae incumbentes dorso supra basin insertae, oblongae, subsagittatae, a piculatae, introrsae; loculi longitudinaliter rima dehiscentes; *germen* subglobosum, minutum in fundo calycis disco nullo cinctum, depresso-subglobosum, glabrum, 1-loculatum; gemmula unica aut bina?; stylus brevis cylindricus rubens; stigma snbcapitatum, minutum, sanguineum; pistillum totum altitudine calycis longitudinem dimidiam attingens. — Nomen sundense: *A'roy katjámbang gedè.* — Habitat in sylvis humilioribus Bantam provinciae Javae occidentalis.

Obs. *Samara scandens* Hsskl. Catal. 1618.ª 2.(3) *Ardisia* Bl. Bijdr. 686. Hsskl. Catal. 746. 2.

Diagn. Scandens foliis ovalibus apice rotundatis, paniculis terminalibus, floribus 4—5-andris albis minoribus. — Corolla 5—4 petala, petalis supra hirsutis; stamina 5—4 petalorum basi inserta; antherae divergentes sagittatae lateraliter rima dehiscentes; germen gemmulam unicam fovens; stylus conicus; stigma truncatum. — Nomen sundense cum specie priori commune.

BEGONIACEAE R. BR,

162. BEGONIA CORIACEA Hsskl.

Quoad affinitatem cf. Endl. Gen. Ord. 203, ejsd. Ench. Ord. 205 p. 493, not. Msn. Gen. p. 442 et 336. Comment. 248, ubi certe majori jure *Euphorbiaceis* affinis ordo dicitur.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. p. 336. Endl. Gen. 5153 et char. fam. Endl. Ench. 493, calycis foliola autem interiora haud complicata (Endl.)

nec valvata (Msn.) sunt, sed imbricata concava; filamenta haud brevissima; calycis foliola ♂ 4 nec plura; receptacula solitaria trigona stipitata, nec gemina (Endl. Msn.).

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. add. p. 311. Zoll. Arch. II. 583. 1. *B. peltata* Hsskl. Cat. 865. 16 p. 192. Wlp. Rprt. V. 766. 2 nec Otto et Dtr. Wlp. Rprt. II. 210. 55. *B. Hasskarli* Zoll. et Mor. Verz. 31. Locus inter *B. scandentem* Sw. et *B. concinnam* Schlt. Wlp. l. c. 207. 18 et 19; affinis quoque *B. nelumbiifoliae* Schltd. et Cham. Wlp. l. c. 209. 30. — *B. albo-coccinea* Hook, cui Wlp. adducere vult hancce speciem, toto habitu et sola diagnosi sat diversa! — Pariter *B. rubra* Bl. Wlp. Rprt. II. 208. 25 sufficienter diversa: fol. inaequaliter cordatis ciliatis subtus cum petiolo et caule dense tomentosis, etc.

Diagnos. reform. Herba perennis radice tuberosa, caule humili erecto, foliis peltatis subrotundo-ovatis, repando-crenatis, glaberrimis, nitidis, coriaceis subtus atro-purpureis, cyma brevi multiflora, calyce 4-phyllo, foliolis externis rotundatis, internis obovato-spathulatis; fructibus subaequaliter 3-alatis, alis semi-orbicularibus.

Descrpt. Herbae perennes, prope *Bidara-tjina* ad ripas declives limosas obviae elegantissimae; *radix* tuberosa, subglobosa, 1—3 poll. diametro; *caulis* erectus a basi ramosissimus, geniculato-nodosus, nodis incrassatis, 10,0—18,0 poll. altus, glaberrimus, purpureus, lucidus; *internodia* 0,5—1,5 poll. longa, 0,25—0,10 poll. crassa; *rami* dichotomi, erecto-patentes glaberrimi purpurei; *stipulae* oblongae aut ovatae, patentes obtusae, carnosulae, 0,1 poll, longae; *petioli* erecto-patentes, teretes, 0,12 poll. crassi, 1,0—2,0 poll. longi, teretes purpurei, glaberrimi; *folia* excentrice peltata, coriacea, subrotundo-ovata, acuta, repando-crenata, 8-nervia, 3,0—5,0 poll. longa, 2,5—3,7 poll. lata, sat crassa, glaberrima, supra laevissima, nitidissima atro-viridia, ad umbilicum insertionis tantum petioli et nervum medium paullo erubescentia, subtus purpurea lucida, nervis sanguineis, dichotomis, marginem attingentibus radiatim percursa, margine inter crenaturas minute elevato-glandulosa; pedunculi terminales cum calycibus atro-sanguinei, lucidi, glaberrimi, dichotomi, cymosi, ad ramificationem 1,0 poll. longi; *corymbus* 1,0 poll. altus, 1,0—1,5 poll. latus elegans, primo flores staminigeros iisque deciduis pistilligeros proferens; *bracteae* ad ramificationem quamquam binae minutae et sensim altiores minutiores, patentes carnosulae oblongo-

ovatae aut ovato-subrotundae, atro-sanguineae, basi parum attenuatae 0,10—0,02 poll. longae et paullo angustiores persistentes; *pedicelli* tenues filiformes in ♀ crassiores, 0,4—0,5 poll. longi, divaricati; *calyx* corolloideus ♂ 4-phyllus biseriatus; *foliola* 2 *exteriora* in praefloratione plana valvata suborbiculata, diametro 0,20—0,25 poll. extus punicea, intus persicina, utrinque glaberrima; *interiora* 2 in praefloratione concava, imbricata, externis cruciatim alterna, cuneata, nunc obovato-cuneata, plana, patentia, 0,35 poll. longa, 0,15—0,20 poll. lata, persicina; *calyx* ♀ gamophyllus; *tubus* germini adnatus, 3-gonus et 3-alatus, atro-sanguineus glaber, 0,2 poll. altus, cum alis 0,4 poll. latus; *alae* subaequales, unica nunc paullo latiore, rotundatae 0,10—0,15 poll. latae, tubi altitudine; *limbus* basi constrictus, calyci ♂ plane conformis, sed eo tertiam partem minor, foliolum internum alterum saepe deficiens; *stamina* plurima monadelpha capitulum formantia luteum, centrum floris sistentia; *columna* filamentosa teres erecta 0,1 poll. longa, albescenti-flava; *filamenta* (-torum apices) radiatim columnae apici imposita filiformia pallide flavescentia, glabra, in connectivum tenue latum, cuneiforme 0,03 poll. longum, apice truncatum, continua 0,03 poll. longa; *antherae* luteae cuneiformes subtrigonae, basi attenuatae, apice emarginatae, 2-loculatae; *loculi* longitudinaliter utrinque connectivo adnati basi attenuati, apice rotundato-obtusi crassiores, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* albidum minutum ellipsoideum irregulare inaequale; *germen* calycis tubo adnatum, 3-loculatum; *receptacula* (placentae) e angulo interno loculorum orta, ope laminae tenuis angustae, albidae, sectione transversali cordato-acuminata, inde trigona, basi latiora, ad insertionem paullo impressa, angulo externo anguste producto, rosea, nunc, sed non semper, linea mediana, a basi oriente, plus minus percursa, nec bifida, tota gemmulis plurimis minutissimis tecta; *gemmulae* candidae, oblongae utrinque obtusae subangulatae, verticaliter insertae; *stylus* brevis teres crassiusculus 0,07 poll. longus, strictus, erectus, apice trifidus; stigmata 3 globoso-conniventia 2-loba, *lobi* iterum bilobi subreflexi, per paria

superpositi, subreflexi, lutei, papillosi; papillae cylindricae, hyalinae, apice subclavatae, incrassatae, succo hyalino et corpusculis minutis foetae; *fructus* atro-sanguinei 3-alati, membranacei cf. Char. gen. — Per totum annum flores fructusque profert. — 1846.

163. BEGONIA ROBUSTA Bl.

Char. Spec. cf. Bl. En. 96. Wlp. Rprt. II. 211. 63, an eadem ac *B. macrophylla* Dryand. Wlp. Rprt. II. 208. 26? —, nam nostra nullo modo erecta, sed repens adscendens evadit!

Descrpt. Caulis herbaceus crassus, repens, ad nodos subtuberosus, subcarnosus; *rami* adscendentes crassi cum petiolis pedunculisque dense retrorsum hirti sanguinei, dein viridescentes; *stipulae* crassae, carnosae, ovato-lanceolatae, erctae, pariter ac folia coloratae et hirtae, intus glaberrimae, 1,0—1,2 poll. longae; *folia* alterna, maxima, petiolo 8—13 poll. longo, 0,1—0,2 poll. crasso, carnoso, tereti suffulta, subrotundo-ovata, oblique cordata, lobis baseos rotundatis, acuminata, angulata s. sinuata, denticulata, 5—7-nervia, nervis palmatis, utrinque et subtus praeprimis in nervis hirtissima pilis glandula suffultis, roseis, patentibus nec retrorsis, primo sanguinea, dein viridia et pilis pinguento destitutis; *pedunculi* axillares, 3 poll. longi, cymigeri, bifidi, ad ramificationes bracteati; *bracteae* deciduae; ramuli denuo dichotomi abbreviati cum pedunculis et alabastris patentim hirti, sanguinei, pedunculi 8—12 poll. longi et ultra, teretes, subcernui basi bracteolati; bracteolae ovato-lanceolatae, marcescentes caducae; *calyx* coloratus carnosus patens; foliola externa, ovata, subtus sanguineo-hirta, supra glaberrima, rosea, medio excavata, margine plana, interna obovata in floribus pistilligeris paullo minora, glaberrima; *stamina* plurima; filamenta receptaculo subgloboso-cylindrico inserta libera, erecta basi attenuata complanata, apice in connexivum clavatnm transeuntia; antherae 2-loculatae, luteae; loculi ad latus utrumque adnati, rima longitudinali dehiscentes; *styli* 3 crispato-dilatati, carnosuli; stigma adnatum; *germen* trialatum, triloculatum; gemmulae in loculis plurimae, minutissimae, trophospermium carnosum,

bipartitum arcte obtegentes albidae, sublucidae. — Nomen sundense: *Hariang búlu*, i. e. pilosa.

EUPHORBIACEAE BRTL.

164. EUPHORBIA ANTIQUORUM L. β. ERECTA MILL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5766. Msn. Gen. 337. Comm. 250. 3.

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. II. 882. Sprg. Syst. Veg. III. 786, Bl. Bijdr. 633. (Rheed. Mal. II. t. 42. Comm. Hrt. Amst. I. 23. t. 12.)

Descrpt. *Rami* glaberrimi, lucidi, triangulares, longitudinem 5 pedum attingentes; anguli ad axillas sinuati; sinus apice aculeis binis stipularibus rufis patentibus coronati; cicatrix foliacea semi-orbicularis tripunctata ab his et stipulis, binis minutissimis ad inferum (cicatricis) marginem circumvallata; *folia* rarissima (utut videtur, nam Sprng. hanc speciem inter Aphyllas Euphorbias enumerat et Rheed. l. c. nulla, Commelinus autem rudimenta tantum foliorum delineant!) obovata aut spathulata, basi attenuata, 0,7—1,3 poll. longa, 0,5—0,7 poll. lata, integerrima, basi erecta, dein recurva, ad latus utrumque extus spina viridi 0,2 poll. longa, intus stipula minutissima, lanceolato-subulata, decidua, suffulta; gemmae floriferae axillares minutae, hemisphaericae, apice acutae; *inflorescentia* aggregata axillaris; involucrum subsessile bibracteatum; bracteae ovatae, acutae, adpressae, una cum involucro viridi-flavescentes oppositae, in axillis gemmas minutas gerentes; *involucrum* 5-fidum, 5-glandulosum; laciniae conniventes subrotundae, ciliatae; glandulae triangulares superficie transverse oblongae, opacae; *flores* masculi plurimi intra involucrum inclusi, dein numero quinario centrifuge sese evolventes; prolongatione pedicelli (nec filamenti!) et inde articulatio hujus cum filamento exserta; *bracteae* florum singulorum imprimis 5 priorum cuneatae fimbricato-lacerae, reliquae plus minus abortivae minores; *antherae* biloculatae croceae; loculi discreti oblongo-subglobosi, sursum rima dehiscentes.

165. EUPHORBIA PILULIFERA L.

Char. Spec. cf. Richt. Cod. Linn. 3511. Bl. Bijdr. 635.

Descript. Herbae annuae lactiferae in ruderatis, hortis et ad vias prope *Bataviam* ubique vulgatissimae, erectae, strictae, summo apice cernuae, basi subdichotome ramosae; *caulis* et *rami* pilis longis acutissimis, patentissimis, primo roseis dein rufis, 10—12-articulatis, ad articulos haud constrictis, ubique autem punctulis verruculatis elevatis hirsuti et minoribus curvato-reflexis, suo apice caulis superficiem attingenti, simili modo constrictis intertextis; *internodia* 1—2 poll. longa, teretia, ad nodos incrassata; *stipulae* ad basin petioli utrinque minutae, altero latere (superiore) saepe in unam connatae paullo latiorem, lineari-subulatae, ciliatae, 0,07—0,10 poll. longae, deciduae; *petioli* oppositi brevissimi, 0,1 poll. longi, patentes semiteretes, supra rubentes, subtus concavi virides pariter ac caulis hirsuti; *folia* infima minuta apicem versus magnitudine increscentia, omnia coelum versus secunda utrinque mollia, supra viridia, pilis sparsis hirsutiuscula, subtus canescenti-glauca, nervis valde prominulis, pilis sparsis subadpressis, margine ciliata et repando-serrulata; infima ovalia aut ovali-oblonga, superiora oblonga, basi obliqua subcordata, apice acuta aut obtusiuscula, 0,5—1,6 poll. longa, 0,3—0,6 poll. lata; *pedunculi* teretes erecti, 0,2—0,4 poll. longi, apice dichotomi, cymas brevissime iteratim dichotomas globosas aut biglobosas gerentes; *flores* intra involucrum calyciforme turbinatum viride, extus pilis longis albidis adpressis obsitum, persistens, breviter pedicellatum recepti, succedanei, ♀ centralis solitarius exsertus, ♂ plures hunc cingentes; *bracteae* ad basin pedicelli minutissimae subnullae; *involucrum* 0,02 poll. longum dein lateraliter fissum, limbo 4-partito, laciniis in fimbrias solutis brevibus et inter has appendices truncatae roseae subrotundae, horizontali-patentibus, lucido-roseis; *flos* ♀ centralis pedicellatus; pedicellus dein exsertus apice cernuus; *calyx* exigue 3-denticulatus; *germen* a calyce suffultum, trigono-subglobosum, tuberculatum et pilis longis, albidis, adpressis obsessum, 3-loculatum;

gemmulae in loculis solitariae erectae; *stylus* brevissimus aut potius profunde 3-fidus; *laciniae* bifidae primo conniventes, dein patentes; *stigmata* 6 capitulata, lucidula, subrosea dein viridia; *flores* ♂ basi bracteolis laciniatis brevibus hyalinis intra involucrum inclusis suffulti, dein exserti; *pedicelli* involucri longitudine; *calyx* nullus; *stamen* unicum; *filamentum* tenue cum pedicello sine ullo calyce aut corolla articulatum, dein erectum; *anthera* erecta didyma terminalis biloculata; *loculi* paralleli dein apice divaricati, rima longitudinali dehiscentes; *pollen* oblongum longitudinaliter 4-costatum, albidum; *fructus* 3-gono-pyramidati, stylo et stigmatibus persistentibus vegetis coronati, extus rugulosi pilisque adpressis obsessi, 3-cocci; cocci elastice secedentes et in valvas 2 dehiscentes, basi tantum cohaerentes, monospermi; *semina* trigona, utrinque truncata, phoenicea, parva, basi strophiolo minuto suffulta albido. — Flores fructusque per totum annum profert. — 1846.

166. TRAGIA HIRSUTA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5782. et Sppl. II. 5782/1. Msn. Gen. 338. Comm. 252, 30. Calyx floris staminigeri 3—6-partitus! in eadem inflorescentia; antherae subsessiles biloculatae.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 630; an *T. hastata* Rnwdt. Bl. Cat. 108? Hsskl. Adnot. 1026. 1.

Descrpt. Frutex alte scandens; *caulis* teretiusculus hirto-retrorsum-strigosus; *folia* basi exciso-cordata, trinervia, ovata, ovalia s. oblonga 2,0—4,5 poll. longa, 0,7—2,5 poll. lata, acuta aut plus minusve breviter acuminata, denticulata aut serrulata, supra in ramulis nervorum pilis adpressis solitariis, conspersa dein glabriuscula, subtus hirta pilis nunc nitentibus; *inflorescentia* terminalis aut ramo juniore axillari celerius evoluto oppositi-folia, basi flores pistilligeros, apice staminigeros ferens; rhachis et ovaria pilis latiusculis lucidis divaricatis tecta; *flores* bracteati; bracteae lineari-lanceolatae; pedicelli breves subsecundi erecti; *calycis* floris pistilligeri laciniae indivisae lineares dein patentissimae; floris staminigeri ovato-lanceolatae, acutae, virides glabriusculae; *cocci* flavo-fusci lignosi, intus sericei

lividi; *semina* globosa, brunnea, cinereo-maculata, testa crustacea; endospermium candidum, albumen periphericum globosum; *embryonis* cotyledones orbiculares, radicula cylindrica crassiuscula. — Nomen sundense: *Pùlus ároy*, i. e. Urtica (ex affinitate U. stimulantis!) scandens, et *Cnesmonae javanicae* commune!

167. ACALYPHA INDICA L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 339. Comm. 252. 39. Endl. Gen. 5787, styli autem haud pinnatim multifidi, sed profunde 3-fidi aut 3-partiti, laciniis hyalinis capillaribus.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 628. Richt. Cod. Linn. 7264.

Descrpt. - Herbae annuae, *Mercurialis* facie, in ruderatis (prope *Bataviam* et *Bidara-tjina*) *totius Javae occidentalis* vilissimae erectae, nunc simplices nunc basi suffrutescentes et valde ramosae 5,0—36,0 poll. altae; *caulis* laete viridis, basi teretiusculus subglabratus, 0,2 poll. crassus, versus apicem angulatus et pilis albidis, a basi curvato-adpressis, subintricatis, tenuissimis, acutissimis haud articulatis incanus; *stipulae* minutae virides lineari-subulatae, 0,6 poll. longae, caducae, ad latus utrumque petiolorum; *petioli* alterni, primo erecti dein patentes, postremo patentissimi subteretes, supra leviter canaliculati cum foliorum nervis subtus adpresse puberuli, 1,0—2,7 poll. longi, 0,05 poll. crassi, pallide virides; *folia* ima basi subpeltatim inserta in petiolo erecto erecto-patentia, in petiolo patenti verticali-pendula, 5-nervia, rhombeo-ovata aut subrotundo-ovata, basi angustata aut rotundata, integerrima, supra medium serrato-dentata, apice acuta, 1,5—3,2 poll. longa, 1,2—2,3 poll. lata flaccida, supra atro-viridia, opaca, subtus pallidiora, lucidula; *nervi* a basi divergentes, par externum juxta marginem decurrens, omnes ramosi intra marginem accuratim confluentes; *folia* in *speciminibus senilibus* valde ramosis multo minora; *spicae* bracteatae axillares erecto-patentes androgynae, petiolum aequantes aut paullo superantes; *rhachis* triangularis puberula, ultra medium floribus pistilligeris bracteatis distantibus, dein floribus staminigeris minutis, basi remote, supra dense glomeru-

latis tecta; supra flores nuda filiformis et apice corpusculo terminata 3-calyculato (ad instar *Corylli avellanae* involucrorum); calyculis basi sat crassis campanulatis, margine tenuiori fimbriato-laceris, in triangulum dispositis, inferno rhachidem vaginante, reliquis binis divaricatis prima juventute florem ♀ abortivum unum alterumve gerentibus; *bracteae* suborbiculatae reniformes cucullatim conniventes, multinervosae glabriusculae, a centro 0,2 poll. latae, transverse 0,4 poll., ambitu repando-dentatae flores ♀ succedaneos involucrantes; *flores* ♀ minute pedicellati erecti; *calyx* 3-phyllus minutissimus viridis; *foliola* e basi lata, acuminata, hyalina, nervo viridi percursa ciliata, ciliis antrorsis patenti-erectis, minutissimis, unicellulosis, hyalinis; *corolla* nulla; *germen* viride juvenile pilis adpressis subcanum, 3-gono-globosum, 3-sulcatum, 3-loculatum; *gemmulae* in loculis solitariae; *styli* 3 profunde 3-fidi, sub-3-partiti (nec pinnatim multifidi Endl. Msn.); *laciniae* subulatae, tenuissimae, plerumque conniventes et conglutinantes, nec divergentes, hyalinae, pilo uno alterove acuto tenuissimo, patenti-erecto praeditae; *stigmata* punctiformia terminalia; *fructus* virides pilis adpressis obsiti, 3-cocci, calyce persistente vegeto minuto suffulti, 3-gono-subglobosi, 3-lobi, stylorum basi conniventi mucronati, diametro 0,1 poll.; *cocci* angulo externo leviter sulcati et in sulco dehiscentes; *epicarpium* herbaceum, *endocarpium* chartaceum elastice 2-valvatim desiliens; *valvae* subrevolutae, dein deciduae; *columella* libera dein cum calyce persistens; *semen* in cocco quoque solitarium, pendulum, albido-strophiolatum, oblongo-subglobosum laeve, rubiginosum; *albumen* copiosum; *embryo* centralis candidus lucidus; *cotyledones* applanatae suborbiculatae, longitudine paullo latiores; *radicula* cylindrica, cotyledonibus paullo longior; — *flores* ♂ glomerulati; *glomeruli bractea* viridi lineari-subulata, 0,1 poll. longa, subcurvata suffulti, 4—6-flori; *flores* brevissime pedicellati patentes; *pedicelli* teretes, basi *bracteolis* aequilongis linearibus uninerviis pilosis suffulti; *calyx* 4-partitus in praefloratione valvatus subglobosus; *laciniae* ovatae, acutae, concavae albescentes, in

anthesi patentes, apice viridiusculae; *stamina* 10—15 basi monadelpha; *filamenta* hyalina apice divergentia; *antherae* apice insertae, biloculatae, obtusiusculae; *loculi* divergentes longitudinaliter dehiscentes, apice connati confluentes; *pollen* parvum, globosum, albidum, fovilla parca foetum. — Per totum annum flores fructusque profert. — 1846.

168. ACALYPHA HISPIDA Brm.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 339. B. II. D. Endl. Gen. 5787, styli autem uti praecedentis speciei.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 628, sed lineas binas caulis obverse strigosas haud vidi; *A. indica* L. sat diversa habitu humiliore, sed rigidiore minus intense viridi, foliorum forma et pubescentia, racemisque minoribus densis, floribus obtectis et bracteis minoribus. — *Caturus spiciflorus* L. Mnt. cf. Richt. Cod. 7398, cui haec species synonima dicta, spicas *pendulas* habere dicitur; an jure utraque conjuncta? an haec a specie Burmanni diversa, cujus Fl. Ind. comparare mihi nunc haud prostat?

D e s c r p t. Herbae annuae in ruderatis prope *Bataviam* vilissimae, subsimplices erectae, strictae, 6—24 poll. altae, graciles, habitu *Sidae* cujusdam; *caulis* angulato-subteres viridis aut rubescens, totus pilis curvatis, adpressis puberulus; *stipulae* ad basin petioli binae, minutae, subulatae, deciduae virides; *petioli* alterni, summi patenti-erecti, dein patentes et patentissimi, sat crassi pallide virides, supra canaliculati pariter ac caulis foliorumque nervi puberuli, 0,5—2,2 poll. longi, hinc rubentes; *folia* in eadem cum petiolo planitie horizontalia, dein cernua ovata aut ovato-oblonga, acuminata, basi 3—5-nervia, obtusa, rotundata, aut subcordata, serrato-dentata, 0,5—2,5 poll. longa, 0,25—1,50 poll. lata, supra atro-viridia, pilis minutis molliter puberula, subtus pallidiora, lucida, hirsutiuscula (saepe morbose juxta nervos eorumque ramificationes eleganter lutea); *racemuli* axillares solitarii aut gemini, altero breviore androgyni, erecto-patentes 0,4—2,0 poll. longi, pilis patentibus crebris hispidis; *flores* ♂ ad apicem racemuli in spiculam 0,15 poll. longam, dense congesti, minuti, plurimi, breviter pedicellati; *bracteae* spathulatae, acutae, basi attenuatae, pilis longis, albidis cilia-

tae; *ciliae* pilis rhacheos conformes haud articulatae, tenues acutissimae, massa minute granulosa totae foetae; *pedicelli* teretes brevissimi, *alabastra* depressa, globosa; *calyx* pallide virescens, margine albido-subcoloratus, 4-partitus; *laciniae* ovatae concavae, in praefloratione valvatae, in anthesi erecto-conniventes; *corolla* nulla; *stamina* basi monadelpha; *filamenta* 6—8 apice libera patentia; *antherae* didymae, albidae, biloculatae; *pollen* album, globosum, minutum; *flores* ♀ racemi partem inferiorem maximam obtegentes, subsessiles minuti intra *bracteam* recepti, suborbicularem infundibuliformi-cucullatam viridem adpresse pilosam, margine acute serrulatam persistentem vegetam; *calyx* minutus, 3-partitus; *laciniae* lineari-lanceolatae, acuminae virides; *germen* calyce majus viridi-subglobosum, pilis albidis erectis, densis hispidum, 3-loculatum; *gemmula* in loculo quoque solitaria; *styli* 3 profunde 3-fidi, hyalini; *stigmata* capillaria longa, leviter papillosa, acuminata, subulata; *fructus* pilis singulis, adpressis, albidis tecti, virides, depresso-globosi, 3-goni, 3-cocci in coccos dein desciscentes inter bracteam cyathimorpham recepti; *cocci* subglobosi, intus dehiscentes 2-valves, plerumque in valvas dein dissoluti iisque elastice desilientibus ejecti; *semen* subglobosum, a ventre paullo compressum badium, basi strophiola albida, lineari, sulcata praeditum, 0,05 poll. longum, 0,04 poll. crassum. — Per totum annum flores fructusque gerit. — 1846. — Malais ac sundensibus sub nomine *Saròni* nota, nomen et speciei antecedenti et nonnullis *Compositis*, e. g. *Chrysanthemo* et *Wollastoniae* commune.

169. CLAOXYLON INDICUM Endl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5790. Msn. Gen. 339. Comm. 252. 37.

Char. Spec. cf. *Erytrochilus* Rnwdt. Bl. Cat. 110. Bijdr. 615. *Croton pigmentarium* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 74. *E. mollis* Bl. l. c. certe ab hac specie haud diversa videtur; alteram quoque reperi formam, quam ante hos tres annos sub nomine: *Cl. macrophyllum* hisce signis distinxi: Foliis ellipticis aut ovato-ellipticis basi oblique subcordatis, apice breviter acuminatis (grandibus, 7—9 poll. longis, 4—5 poll. latis) repando-serratis, longiter petiolatis (petiolo 6—8 poll. longo), junioribus in nervis puberulis, adultis et senioribus glaberri-

mis, spicis dioicis (6—8 poll. longis), floribus glomerulatis, calycis laciniis revolutis, filamentis sterilibus apice bifidis. Etsi haec diagnosis magnopere differt ab illa clbrr. Blume, tamen paullo post hanc speciem in horto reperire haud potui, foliorum forma et integumento mutatis! Pari modo descriptio sequens nostra a diagnosi citata sat diversa videtur, et inde haec valde mutanda est.

Descrpt. Frutex; *rami* teretes cinerascentes, juveniles angulati virides molliter tomentosi; *stipulae* minutae, subulato-lanceolatae caducae; *folia* alterna petiolata; petiolus subteres supra planiusculus holosericeus 2—4 poll. longus; lamina cordato-oblonga, cordato-subrotunda rarius cordato-obovata, 4—9 poll. longa, 4—7 poll. lata, lobis baseos subinaequalibus rotundatis, apice obtusiuscula aut rotundata imoque acuta, senior ovata aut ovalis basi obtusa, rotundata aut acuta saepe inaequalis, grosse serrato-dentata, juvenilis utrinque holosericea, senior supra in nervis tantum pubens, caeterum glabra aut pilis plus minus sparsis, minutis, subsericeis adpressis obsita, attamen tactu mollis, subtus holosericea; *inflorescentia* interrupte glomerato-spicata; rhachides spicarum virides holosericeae; spicae staminigerae 4—8 poll. longae; pistilligerae 2—3 poll. longae, *flores staminigeri* plures aggregati, *pistilligeri* plerumque bini aut 3-ni, rarius aggregati plures, breviter pedicellati nutantes; *calyx* 3—4 partitus, laciniae subrotundae, acutae, concavae, 0,1 poll. longae, persistentes aut staminibus aut germinibus adpressae, dein patentes; *stamina* plurima squamulis fimbriatis interjecta, petala in staminigeris nulla, in pistilligeris 3—4 minuta rotundata, laciniis calycinis alterna et ab his subtecta; viridia, persistentia; *germen* subglobosum 3—4-gonum, holosericeum 3—4-loculatum; gemmulae in loculis solitariae; styli 3—4 reflexi intus stigmate fimbriato plumoso tecti; *fructus* 3—4-coccus subcarnosus dehiscens depressus 3—4-gonus; valvae coccorum extus sulcatae holoseriaceae, intus sericeae, carnoso-coriaceae, virides deciduae, axis columnaris cum seminibus persistens; *semina* arillo carnoso, succoso, laevissimo, phoeniceo, involuta globoso-subtrigona, acuta, vertice lineis tribus elevatis ad medium evanescentibus praedita, rugoso-sulcata; diametro

0,1 poll.; integumentum crustaceum; *embryo* axilis rectus *albumine* carnoso cinctus; cotyledones radiculam, cylindricam, acutiusculam, aequantes subcordato-rotundatae, applicativae. — Nomen sundense: *Talingkup.*

170. CLAOXYLON MINUS ENDL.

Char. Spec. cf. *Erytrochilus minor* Bl. Bijdr. 616, folia in specimine nostro subtus haud pubescentia habeo, forsan seniora!

Descrpt. Caulis fruticosus 6—7 ped. altus ramosissimus; *rami* teretes glabri lenticulati, juniores puberuli; *folia* alterna breviter petiolata; petiolus 0,3 poll. longus semiteres, supra leviter canaliculatus glaber; lamina obovata, acuminata, basi attenuata, 2,5—3,5 poll. longa, cuneato-serrata, subcoriacea, glaberrima, supra nitens subtus in costis puberula; inflorescentia spicata, axillaris erecta dein patens; spicae interrupto-glomerulatae; glomeruli 5—11-flori; *flores* brevissime pedunculati; *calyx* tripartitus, laciniae ovatae, acutae, concavae; *stamina* plurima globoso-conferta; filamenta basi connata, complanata, diaphana, hyalina, apice subulata; antherae basi affixae terminales erectae immobiles didymae, apice rima dehiscentes, cyathulam 4-dentatam referentes, lutescentes; *flos terminalis* inflorescentiae *pistilliger; germen* 3—4-coccum, gemmulae in coccis solitariae; styli persistentes 3—4 bipartiti glanduloso pilosiusculi; stigma terminale minutum; *fructus* 3—4-coccus; cocci sutura media notati subglobosi, in sutura dein dehiscentes, monospermi; *semina* coccis conformia, glabra, nigra; integumentum crustaceum; *embryo albumine* cinctus erectus; cotyledones ovatae, obtusiusculae, oppositae; radicula recta, cylindrica, longitudine fere cotyledonum, intra albumen recondita. — Nomen sundense: *Serùt* s. *Sirùt.*

171. ELATERIOSPERMUM TOKBRAI BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5800. Msn. Gen. 339. Comm. 252. 44.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 621.

Descrpt. Arbor alta; *rami* graciles teretes glabri; *folia* alterna, opposita aut ternatim-verticillata, inter nervos

secundarios suboppositos parallelo-venosa, 3,5—5,5 poll. longa, 1,5—2,5 poll. lata, coriacea, glaberrima; *fructus* racemosi, subglobosi, 3-sulci, apice obsolete 6-sulci, diametro 1,5 poll. virides subglaucescentes, 3-valvatim dehiscentes, extus fibroso-carnosi, intus lignosi, 3-cocci, coccis monospermis, saepe autem dissepimentis dein subevanidis subuniloculati monospermi; *semen* pendulum, arillo crasso carnoso tectum, compressiusculum truncato-triangulare, diametr. vertic. 0,7 poll., horizont. 1,2 et 0,3 poll.; testa duplex, externa coriacea, purpurea, interna crassissima, cellulosa, carnosa, albida, dein siccando tenuissima; cuticula nuclei crassa, gilva, intus rugosa, glaberrima; hilum corticale superficiale; raphe excurrens crassa; nucleus albuminosus; *albumen* periphericum crassum, bipartitum, solidum, sebaceum; *embryo* inversus rectus; cotyledones binae, magnae, foliaceae, applicativae, planae, suborbiculares integerrimae, basi subcordatae; blastema parvum, radicula solitaria, supera brevis retracta, clavata, obtusiuscula; cauliculus distinctus, plumula indistincta. — Nomen sundense: *Tókbrai.*

172. ELAEOCOCCA VERNICIA Jss.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5804. Msn. Gen. 341. Comm. 253.73, an jure genus hocce ab *Aleurite* sejungendum? (cf. Endl. Gen. 5802. Msn. l. c.), signa distinctionis praeter calycem in numero et cohaerentia staminum sita vix sufficiunt, loculorum in germine numerus enim admodum variabilis; habitus generis utriusque idem fere. Addenda haecce: flores monoici in eadem inflorescentia, staminigeri plures, pistilligeri solitarii; calyx saepe uno latere tantum ad basin usque rumpens, aut et altera latere ad medium fere fissus, rarissime 3-partitus; stamina 9—10 omnia fertilia; stigmata bifida reflexa, albumen crassissimum.

Char. Spec. cf. Sprg. Syst. Veg. III. 884. *E. cordata* Bl. Bijdr. 618? nec A. Jss.

Descrpt. Arbor mediocris ramis glaberrimis, erectis, crassis teretibus; *folia* inferiora, integra, cordato-ovata, acuminata, 8 poll. longa, 1,5 poll. lata, aut uno latere partita, indeque irregulariter biloba, aut plerumque 3—5-loba, lobis ovato-acuminatis, glandulis scyphimorphis in sinubus loborum, subtus in axillis nervorum puberula, petiolum aequantia

aut triente superantia; rami florentis cordato-ovata, saepe hinc inde sublobata, plerumque integerrima, acuta aut acuminata, 4—6 poll. longa, 4—5 poll. lata, undulata, utrinque glaberrima, 5-nervia, ad basin cordatam biglandulosa, glandulis scyphimorphis crassis; glandula altera saepius ad medium loborum rotundatorum baseos: nervis supra valde, infra paullo prominulis; *petioli* folia aequantes aut iis breviores subteretes glabri patentes; *inflorescentia* paniculata, ramis patentibus glabris 2,0—2,5 poll. longis, dein dichotome ramosis; pedicelli semi-pollicares subpuberuli; *flores staminigeri: calyx* flavo-viridis 0,5 poll. longus, membranaceus, plerumque uno latere ad basin partitus aut altero latere fissus; *petala* calycem duplo superantia spathulata, albida, basi rosea cum tubo staminum connata, marginibus autem ad basin usque libera; *glandulae* 5 oblongae acutae, petala alternantes 0,1—0,2 poll. longae, subteretes virides basi tumescentes, flavescentes; *stamina* 9—10; filamenta duplici serie monadelpha, exteriora, minora, interiora altius connata, primo albida dein punicea; antherae subrotundae, 2-loculatae, loculis distantibus margine dehiscentibus, flavae; *flores pistilligeri: calyx* et *corolla* fl. staminig. sed petala plane libera et calyx mox deciduus aut emarcido-persistens; *germen* extus sericeum dein rubiginoso-puberum, rugosum, 3—5-gonum, 3—5-loculatum, gemmulis in loculis pendulis solitariis, apice in stylum brevem attenuatum; stigmata 3—5 profunde 2-partita, reflexo-divaricata; *fructus* primo carnoso-fibrosus, dein exsuccus, coriaceo-lignosus, obsolete 3—4-angulato-globosus, primo extus viridis, pilis minutissimis ferrugineis tectus, dein glaber badius, varicoso-reticulatus, 3—4-coccus, diametro 1,7 poll.; *semina* 0,75 poll. longa, 0,5 poll. lata, 0,3—0,4 poll. crassa; testa lignosa subossea, plane a nucleo albuminoso impleta; *albumen* periphericum, crassissimum, integrum, solidum, carnosum, siccando corneum, oleiferum; *embryonis* cotyledones maximae subrotundae, 0,5 poll. diametr., tenuissimae, membranaceae, candidae, albumini adglutinatae, vix solubiles siccando ab illo vix distinguendae; radicula cylindrica, obtu-

siuscula in extremitate seminis supera versus hilum spectans, 0,2 poll. longa. — Arbor e *China* in Javam introducta, ad parandum oleum tinctorium magnopere diaphanum ac splendens.

173. ADENORHOPIUM MULTIFIDUM Phl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 341. Comm. 253. 76. *Jatropha* L. Endl. Gen. 5805, sed differt a nostra: calyce haud 5-partito, lobis margine glandulosis, aestivatione convolutiva (qui in nostris cupuliformis 5-fidus, laciniis vix repandis, in praefloratione imbricatis), glandulis etiam in floribus ♂ praesentibus, in ♀ acutis nec subtruncatis, germine 3-loculato, stylis filiformibus nec brevibus, intus sulcatis crassis; fructu 3-cocco, nec dilabeato; staminibusque monadelphis nec liberis, antheris introrsis nec extrorsis; respectu floris *Andae* Piso Msn. l. c. Endl. Gen. 5801 accedit hocce, *Adenorhopium* Pohl nullo jure huic generi adjunctum sed potius distinguendum! signa supra laudata sufficienter hoc genus a *Jatropha* Endl. distinguunt.

Char. Spec. cf. Steud. Nomclt. ed. II. *Jatropha* L. Bl. Bijdr. 617. Hsskl. Catal. 1038. 1.

Descrpt. *Frutices* arborescentes 10—12 ped. alti, in omnibus hortis prope *Weltevreden*, *Bataviam*, *Bogor*, uti *Javae occidentalis* totius culti, valde ramosi, *succo* viridi-flavescenti copioso glutinoso foeti; *succus* hic continet *granula* hyalina, subglobosa, minuta, ope tincturae Jodii atro-coerulea et majora *corpora* tenuia tabulaeformia, a facie visa quadrata angulis obtusis, a latere visa linearia, utrinque obtusa, hyalina, ope tincturae Jodii citrina aut plus minus intense gilva aut cerina tincta et tum lineas concentricas quadratas ostendentia, stratis amyli similia (cf. Schld. l. c. t. I. p. 177 f. 6 et 7 et p. 178 f. 10. *b*.), adjecta tinctura Jodii primo momento motum, vulgo dictum molecularem celerrimum praebentia corporum utrorumque (cf. Schld. l. c. p. 299 § 43 et praeprimis observationes ibidem citatas *Fritschianas*, quae hunc motum haud vitale phaenomenon esse egregie demonstrant; qui motus autem adjecta aqua fontana provocari haud potest, cujus ope succus coagulat lacteus); *rami* sat crassi teretes cinerascentes, summi 0,8 poll. crassi, cicatricibus e petiolis delapsis primo transverse ovalibus concavis dein transverse oblongis, planiusculis albescentibus notati stricti patenti-erecti, apice dense foliati,

ibique glauco-pruinosi et hinc inde lenticellis suberosis obsiti; *stipulae* virides multifido-setosae, basi 5-partitae, *laciniae* profunde —, superiores 2-, inferiores 3-fidae, flavescentes tenuissime subulato-attenuatae, 0,8 poll. longae, patenti-divergentes, persistentes, dein marcescentes nigrae, postremo deciduae; *succus* partium ramorum viridium idem ac inferiorum, continet autem et corpora elliptica aut subirregularia parva, transverse 3—4 striata, nunc bacillaria, lineari-oblonga, striis 9—12 transverse notata, corporum instar amyli senilium, partim resorptorum (cf. Schld. l. c. p. 176), tinctura Jodii ope hyalina, sed cellulam praebentia (simplicem?) elongatam, contentu granuloso, tum flavescenti submoniliformi-congesto; *altera* quoque adsunt *corpora* tabulaeformia (an crystalli?) pluria, quam supra descripsi, ubi alterum minus, altero majori verticaliter est adnatum (in commotione corporum supra laudata optime a quolibet latere conspicienda), et *altera* linea mediana duplici longitudinali (e deciduo corpusculo verticali?) instructa; *petioli* sparsi (aut potius in spiras 3 congesti) patentissimi, basi ima incrassati, glaberrimi, pruinoso-glauci, 4—8 poll. longi, 0,15—0,20 poll. crassi; *cellulae epidermidis* (a facie visae) subquadratae, altero latere saepe valde obliquo; *folia* subpeltatim, praesertim in tironibus petiolo inserta, basi profunde cordata, radiatim 9—13-nervia, nervis flavescentibus, 4—8 poll. longa, in tot lacinias profunde palmatim lobata, laciniis in *tironibus* lineari-lanceolatis, acuminatis, 3,5—5,5 poll. longis, 0,5 poll. latis, plerumque profunde pinnatifidis, lacinulis 2—12, inferioribus minoribus, omnibus acuminatis patentibus, nunc oppositis, nunc alternis, subtus albido-glaucescentibus, in *senioribus folia* multo latiora et majora, sed inferiora laciniis pinnatifidis, superiora integerrimis aut hinc inde pinnatifido-incisis, anguste oblongo-lanceolatis, 3,5—7,5 poll. longis, 1,0—1,5 poll. latis, longiter acuminatis et setoso-mucronatis, basi attenuatis integerrimis, margine subreflexo rigido, nunc supra medium lacinula una aut binis oppositis aut collateralibus aut imo ternis, in uno latere solitaria, in altero binis, rarissime pluribus pinnatifido-

incisis; *lacinulis* nunc obtusis vix prominulis, nunc acutis plerumque elongatis, acuminatis, nervo medio proprio percursis, 0,5—1,5 poll. longis, sinubus tum magis acutis, juvenilia supra laete viridia, lucida, *adulta* atro-viridia, glabra, opaca, nervorum ramis transversis intra marginem confluentibus et reticulatis pallidioribus notata, subtus tota glauco-pruinosa et eleganter reticulata; *cellulae epidermidis* superioris a facie visae plane irregulariter pentagonae, inferioris minores subrotundatae papillosae, *stomata* utrinque nulla (meo microscopio observanda; cf. Schld. l. c. 261 fig. 75, — 266. 70); *nervi* et *nervuli* eorumque rami tenuissimi vasa spiralia gerunt sat magna; *spira* fasciaeformis facillime extrahenda, in continuitate haud dense convoluta; *pedunculi* terminales sed ramo axillari excrescente et ramum primarium continuante, laterales erecti, petiolum suum vicinum superantes, 8—9 poll. longi, teretes 0,2—0,3 poll. crassi, petiolis consimiles, corymbiferi; *corymbus* puniceus glaber trichotomus, primo 1,0 poll. altus et 2,0 poll. latus, dein anthesi incipiente 1,5—2,0 poll. altus, 3 poll. latus, postremo fructifer pendulus, flores singulos apertos adhuc gerens 2,5 poll. altus, 3 poll. latus; *bracteae* ad basin ramorum et omnium eorum ramulorum e basi lata anguste et longiter acuminatae adpressae, primo erectae, dein patentes flavescentes 0,15—0,05 poll. longae persistentes; *rami* primo pallide reseo-flavescentes, dein omnes intense phoenicei, inferiores dein fructiferi rubenti-virides incrassati, omnes subcompressi, glabri subpruinosi erecto-patentes; *interstitia* inter bracteas infima 0,6 poll. longa, reliqua fere omnia 0,2 poll. longa; *pedicelli* 0,15—0,20 poll. longi, erecti, teretiusculi, 0,04 poll. crassi; florum ♀ crassitie duplici, flores (3) cujusque rami peripherici et nunc quoque rami 1—2 altioris centrales (4—5) ♀, jam ante flores ♂ ejusdem corymbi aperti et stigmata polline obtecta praebentes, reliqui omnes ♂, evolutione succedanea centrifugali se aperientes; *flores* ♀ robustiores in fundo corymbi reconditi; *alabastra* ovato-oblonga basi incarnata, caeterum punicea imbricativa; *calyx* brevis incarnatus, 5-fidus persistens; *tubus*

cupuliformis 0,05 poll. altus, 0,15 poll. transverse latus, dein paullo dilatatus et ad faucem constrictiusculus; *limbi laciniae* oblongo-lanceolatae, crassiusculae, ad margines tenuiores membranaceae, roseae, intus subconcavae, laete purpureae, acutae, serrulato-subrepandae, tubum duplum (0,1 poll.) longae, in praefloratione imbricativae, dein erectae, postremo patentissimae, vegetae, fructibus adpressae; *petala* 5 laciniis calycinis alterna, altero margine collaterale dimidium subcontorto-imbricantia, in anthesi patentia, primo navicularia, dein obovato-oblonga, 0,3 poll. longa, 0,18 poll. lata, apice cucullato-concava, ima basi vinea lucidula nectarifera, caeterum tota, intus autem intensius punicea; *cellulae epidermoidales* paginae utriusque papilloso-elevatae (cf. Schld. l. c. p. 266 f. 70), margine integerrimae, apice sublateraliter emarginatae; *squamulae* 5, petalis alternae, minutae, hypogynae, complanatae, viridi-flavescentes lucidae, subquadratae, truncato-sub-3-lobae, 0,02 poll. longae et paullo latiores; *germen* vineum lucidum, glaberrimum, ovato-pyramidatum, trigonum, angulis acutiusculis, lateribus plano-subconvexis, linea mediana, paullo elevata carinatis, 2—3-loculatum; *gemmula* in loculo quoque solitaria e angulo centrali ope retinaculi viridis, cupuliformis pendula albida, obovata obliqua, ex angulo exteriori versus axeos basin spectans, stria diametrali a radicula basali ad angulum insertionis, minus intense colorata notata; *styli* 2—3 breves 0,02 poll. longi, germinis angulis continui, basi subconnati, conniventes, unicum fingentes, intus sulcati, persistentes, longe vegeti, dein marcescentes; *stigmata* subpeltata, plano-convexa, biloba et sulcata, hepatica, glabra, minute papulosae cellulis iis petalorum conformibus; *flores* ♂ plurimi cujusque inflorescentiae, quam ♀ paullo tenuiores, post anthesin ex apice pedicellorum articulatim decidui; *calyx* et *corolla* plana iis florum ♀ conformes, *calycis laciniae* autem tubum tantum aequantes et *petala* apice paullo latiora, basi attenuata, 0,25 poll. longa, 0,15 poll. lata; *glandulae* 5, petalis alternae, minutae, citrinae, lucidae, compressae, obovato-subquadratae, apice rotundatae, medio apiculatae, 0,3

poll. longae nectariferae, nectare saepe inundatae; *stamina* 8 erecta, stricta, basi conniventia, apice subdivergentia, 0,22 poll. longa libera; *filamenta* teretia punicea, glabra, lucidula, 0,1 poll. longa, apice in antherae *connectivum* lineare flavescens transiens; *antherae* erectae, lineari-oblongae, extrorsae, subcomplanatae, acutae, mucronulo rubenti, basi sagittatae, lobis acutissimis, 2-loculatae; *loculi* anguste lineares incarnati, margine antico diaphano, tenuissimo e contentu pollinis lutei, sulcati, dein in sulco rima longitudinaliter dehiscentes; *pollen* copiosum, aurantiacum, globosum, tessellato-tuberculatum, sat magnum, fovilla copiosa e granulis hyalinis, tincturae Jodii ope coeruleis, ovalibus constante foetum; *fructus* nunc subgloboso-pyramidati trigono-sub-3-lobi, nunc obcordati complanati 3—2-, rarius abortu 1-loculati, 2—3-costati, nunc in 3-loculatis, loculo tertio abortivo, ad costam valde prominulam reducto, in suturis inter costas utrinque paullo costato-elevati, primo virides, dein aurantiaci, a calyce persistente decidui indehiscentes, postremo paullo post lapsum in coccos 2—3 delabentes, 1,2 poll. alti, 1,1 poll. crassi, 1,5 poll. lati; *epicarpium* 0,13 poll. crassum intus gilvum carnosum, carne e cellulis dodecaëdris sat magnis, primo succo foetis, dein vacuis constante; *septum* dein evanidum ad receptaculum columnare centrale emarcidum reductum; *endocarpium* pergamaceum; *semina* in loculis solitaria pendula, subtrigono-globosa, diametro 0,8 poll. extus arillo subcarnoso, tenui cinereo tecta; *testa* badia lignosa fragilis, intus membrana candida vestita; *nucleus* subcompresso-globosus, membrana reticulato-nervosa obtectus, albus apice umbonatus; *albumen* valde copiosum periphericum bipartibile 0,7 poll. diametro, saponaceum, e corpusculis minutis, globosis, hyalinis, admissa tinctura Jodii haud mutatis, et aliis minutissimis punctiformibus admissa tinctura Jodii motum saltatorium (molecularem) ostendentibus et nigrescentibus constitutum, embryonem totum cingens; *embryo* 0,55 poll. longus, lucidus, candidus; *radicula* subteres versus basin paullo attenuata, obtusiuscula, 0,18 poll. longa, 0,1 poll.

crassa, in apice seminis versus hilum spectans; *cotyledones* complanatae, adplanatae, ovali-suborbiculares, basi cordatae, 0,4 poll. longae et paullo angustiores 5-nerviae; *plumula* minutissima. — Per totum annum flores fructusque gerit. — 1846.

174. CURCAS PURGANS Mdk.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 341. Comm. 253. 74. Endl. Gen. 5806, sed valde incorrectus! — Calyx floris ♂ tubum corollae subaequans, *nec* brevissimus; filamenta interiora in columnam connata, antherae extrorsae, *nec* filamenta basi tantum connata, antheris introrsis; glandulae ovatae plano-convexae, *nec* conoidae; corolla ♀ calyce *haud* multo, sed vix duplo longiora, aestivatione imbricativa, *nec* contorta; germen *haud* disco brevi 5-lobo insidens, *sed* glandulis 5-truncatis complanatis cinctum; styli *haud* distincti filiformes, *sed* basi connati breves, apice tantum distincti; corymbi *haud* staminigeri terminales, pistilligeri axillares, *sed* flores utriusque generis simul gerentes. — Genus vix nisi habitu et corolla ♂ gamopetala, staminibusque internis in columnam connatis ab *Adenorrhopio* diversum! An *Mozinna* Ort. Msn. l. c. Comm. 254. 79. Endl. Gen. 5814 sufficientes diversum genus?

Char. Spec. cf. Steud. Nomclt. ed. II. *Jatropha Curcas* L. Wld. Sp. pl. IV. 560. Bl. Bijdr. 618, sed folia plurima haud truncato-, sed profunde cordata et haud semper integerrima, nec semper 5-loba.

Descrpt. Frutices 7—10 ped. alti, in sepibus ubique in *Java occidentali* ad 5000 ped. altitudinem s. m. frequentes, culti ob ramorum partes abscissas facillime, *Salicum* instar, radices propullantes, et *Djírak kósta* i. e. *Ricinus malabaricus* dicti, succo aqueo viridiusculo-albido copioso foeti; *succus* idem ac speciei antecedentis; *caulis* erectus ramosus; *rami* sat crassi cinerascentes et e petiolis deciduis cicatricibus semi-lunaribus elevatis, subexsculptis notati 0,7—1,0 poll. crassi, summo apice laete virides, glabri; *cellulae epidermoidales* (a facie visae) subquadratae aut pentagonae, *stomatibus* interjectis nullis, hinc inde glomerulis cellularum, irregulariter globosarum, primo epidermidem tuberculatim extollentibus posteaque in lenticulas suberosas gilvas mutatis mixtae; *stipulae* et in prima juventute vix conspicuae, minute tuberculatae, mucronulatae, dein ne rudimentum quidem relinquentes; *petioli* sparsi erecti s. erecto-patentes laete virides

teretes glaberrimi, basi incrassati, 4—10 poll. longi, 0,07—0,20 poll. crassi, prima juventute in ramis novellis 2,0 poll. longi, rubentes e *cellulis epidermidis* minutis quadratis succo purpureo foetis; *folia* subpeltatim inserta 7—9-nervia, ramorum minus uberiorum ovata, basi truncata aut subemarginata, imoque subcordata, apice breviter acuminata, margine integra, irregulariter repanda, nunc repando-sinuata, subangulata, angulis brevibus acutissimis, nunc sinu uno alterove profundiore 3—5-loba, basi sub-7-loba, lobis acutis, 6—7 poll. longa, latitudine baseos nunc paullo majore, nunc et plerumque aequali, nunc imoque minore, prima juventute nunc sanguinea, nunc laete viridia, in nervis eorumque ramificationibus utrinque, praeprimis autem subtus cano-tomentosa e pilis cylindricis, vermiculari-flexuosis, hyalinis, unicellulosis, vix acutis, simplicibus, dein deciduis glabrata, postremo omnia prasina glabra, subtus vix pallidiora; *cellulae epidermoidales* paginae *superioris* a facie visae sexagonae; *stomata* oblonga pauca, utrinque obtusa e cellulis binis lineari-oblongis, obtusis, curvatis, granulis foetis, rimam angustam linearem, continentibus; *paginae inferioris cellulae* multo minores irregulariter 5—6-gonae, *stomata* minora, subrotundo-oblonga, rimam angustissimam minorem praebentia copiosiora; *pedunculi* terminales, ramo laterali excrescenti laterales aut subaxillares, erecti, corymbosi, ima basi plerumque ramum, quasi pedunculum geminatum gerentes patentem minorem, pariter ac centralis corymbiferum, virides, glabri trichotomi cum ramis 2—3 poll. longi; *rami* divaricati minute arachnoideo-tomentosi, successive glabrati, ad ortum bracteis bracteolis persistentibus suffulti 0,5—0,2 poll. longi; *bracteae* oblongo-lanceolatae, acuminatae, basi paullo attenuatae, 0,3—0,1 poll. longae, 0,1—0,05 poll. latae, virides, pariter ac ramuli corymbi arachnoideo-tomentosae, marcescentes deciduae; *pedicelli* erecti aut patentes stricti breves, bracteola summa breviores 0,03 poll. longi; flores ♀ et ♂ in eodem corymbo, priores plerumque in 2—3-chotomiae axillis 4—5, posteriores peripherici, centrifugaliter, evoluti, ratione inflorescentiae sat

magni virides, lente suaveolentes, subglobosi, aequales; *calyx* basi bracteola bracteis conformi suffultus, 5-partitus, tenuis pallide viridis; *laciniae* ovato-oblongae, obtusae, margine tenuiores, 0,15 poll. longae, 0,06 poll. latae, basi paullo attenuatae, integerrimae, glaberrimae, ante anthesin imbricativae, exteriores majores, nec convolutae, in anthesi erectae calycem subcupuliformem fingentes, post anthesin in ♂ deciduae, in ♀ patentes et fructigerae reflexae, deorsum conniventes vegetae, oblongo-lanceolatae, acutae, 0,3 poll. longae, 0,12 poll. latae; *corolla* ♂ 5-petala; *petala* oblongo-lanceolata, acuta, flavescenti-viridia, 7-nervia, 0,23 poll. longa, 0,1 poll. lata, basi lata concava et in concavitate ima basi lēviter cristato-carinata, laevia, paullo altius ad medium pilis candidis longis, cylindricis, flexuosis, patentibus acutiusculis, unicellusis, dense et minute verruculosis obsessa, et inde subcanescentia et conniventia, corollam urceolatam, gamopetalam mentientia, apice glabra, patenti-revoluta, extus glabra, lucida, decidua; corolla ♀ eadem, sed *petala* intus ad basin canescenti-pilosa, pilis acutioribus, ad medium in corollam gamopetalam connata urceolatam, limbo patente subrevoluto; *glandulae* 5 carnosae, cerinae, lucidae, minutae, petalis alternae, 0,05 poll. altae, in ♀ complanatae, subquadratae, apice truncatae, in ♂ brevissime stipitatae, ovatae, plano-convexae acutiusculae, staminibus seriei externae alternae; *stamina* 10 biseriata; *filamenta* seriei exterioris ima basi adnata columnae filamentorum seriei internae, singula a glandulis binis intercepta, erecta, filiformia, glabra, lucidula, columnae adpressa, 0,15 poll. longa, summo apice subulato-attenuata, flavescenti-viridia; *antherae* extrorsae erectae, supra basin insertae, ovatae, basi sagittatae, apice acutiusculae, 2-loculatae, pallide flavescentes, 0,06 poll. longae; *loculi* connectivo lato, lineari, apice attenuato, antice adnati basi divergentes, apice conniventes, longitudinaliter antice rima dehiscentes; *filamenta* seriei interioris ad apicem in columnam 5-gonam tenuem flavescenti-viridem connata, apice 5-denticulatam, denticulis ovato-lanceolatis patentibus, antheriferis, *germinis* rudimentum

glanduloso-subuliforme, pilis longis, flexuosis iis petalorum conformibus obsessum cingentibus; *antherae* oblongo-lanceolatae, extrorsae, basi breviter bifidae patentes, externis alternae easque paullo superantes, *omnes* in fauce corollae exsertae, ima basi cohaerentes, caeterum externis conformes; *pollen* globosum, magnum, citrinum, minute cancellato-reticulatum et verruculosum, verruculis obtusis, hyalinis, fovilla copiosa farctum, eamque poro unico(?) elastice desilienti in sacculo vermiculari ejiciens; *fovilla* corpuscula gerens minuta, ovalia, hyalina, inter se succo gelatinoso, hyalino, haud immediate discernendo sed corpuscula continenti, cohaerentia; *germen* subgloboso-trigonum, lateribus leviter sulcatis, pallide viride glabrum, lucidum, glandulis 5 basi suffultum, 0,1 poll. altum, 0,08 poll. crassum, 3-loculatum; *stylus* brevis viridis apice 3-fidus; *stigmata* dilatata, biloba, subrevoluta, atro-viridia, margine crenulata, sulcata; *gemmulae* in loculis solitariae, pendulae ex anguli interni loculi apice; *fructus* basi calyce reflexo vegeto suffulti, racemosi penduli ovato-globosi, obsolete trigoni, apice vix styli rudimento terminati, ex apice obsolete 3—6-striati, basi sub-6-sulcati, 1,3 poll. alti, 1,0—1,2 poll. crassi, stramineo-citrini, carnosi, dein in striis 3-bus, germinis angulis correspondentibus, ab apice basin versus dehiscentes, 3-valves, 3-loculares; *valvae* septiferae longiter persistentes et fructu jam deciduo solummodo rimas angustas 3 tantum praebenti; *pericarpium* carnosum, 0,2 poll. crassum, dein siccum coriaceum, 0,1 poll. crassum, *extus* membrana tenui glabra laevi, dein nigrescenti, corrugata tectum; *medio* album farinoso-carnosum, *intus* membrana pergamentacea laevi albida, dein flavo-fusca, postremo solubili fulva vestitum; *columella* centralis persistens, valvulis postremo deciduis, primo carnosa, postremo fibrosa, subtrigona, apice subclavata, 1,0 poll. longa; *semina* ex apice columellae pendula, oblonga, subtrigona, apice paullo attenuata et ad hilum *caruncula* albida, carnosa, lucida, subconico-trigona, obsessa, nigra, tactu oleosa, lucidula, dorso convexa, linea mediana vix elevata, longitudinali notata, antice in angulo laterum adplanata,

leviter bisulcata, sulcis ad basin decurrentibus ibique divergentibus et evanidis, poris minutis irregularibus longitudinaliter subseriatis exsculpta, 0,9 poll. longa, 0,45—0,40 poll. crassa, albuminosa; *testa* sublignoso-crustacea, *extus* brunnea, spongioso-membranacea e cellulis complanato-cylindricis, apice papuloso-prominulis, arctissime sibi adpressis (cf. Schld. l. c. p. 260 fig. 72.*a*.) hyalinis, contentu(?) minute granuloso, rubiginoso foetis, poros supra dictos, intus cellulis globosis, hyalinis vestitos regulariter radiatim cingentibus, caeterum irregulariter dispositis; *medio* e cellulis irregulariter polygonis, versus faciem testae internam sensim diminutis, intimis minimis, omnibus cytoblastum sat magnum (cf. Schld. l. c. 259 fig. 67) aut potius massam gelatinosam, hyalinam, grumosam eas ipsas saepe dimidias et ultra implentem continentibus; *intus* e strato cellularum quam exterius crassiore cylindricarum, subcurvatarum densissimarum, rufarum lignosa et linea duplici intensius colorata, e cellulis densissimis brevibus cylindricis conformata, a cellulis internis minutis sejuncta; *nucleus* ovato-oblongus compressiusculus, 0,6 poll. longus, 0,45 poll. latus, 0,3 poll. crassus, membrana candida tenui facile solubili, nervis intus prominulis, longitudinalibus, dichotomis percursa tectus, e impressionibus nervorum nunc descriptorum ab apice radiatim leviter sulcatus, albidus, glaber lucidulus; *albumen* nucleum formans periphericum, embryonem cingens corneum bipartibile totum albidum, e tela cellulosa granulis minutis, globosis, hyalinis, tincturae Jodii ope aureis (an Amyloid?), nec lilacinis foeta; *embryo* lucidus, candidus valde complanatus centralis, 0,55 poll. longus; *radicula* in seminis extremitate superiore versus hilum spectans crassa, cylindrica brevis, apice conico, 0,12 poll. longa, 0,06 poll. crassa; *cotyledones* valde applanatae, palmatim 5-nerviae, nervis crassiusculis dichotomis, applicativae, ovato-subrotundae, basi cordatae, 0,52 poll. longae, 0,4 poll. latae; *plumula* minutissima. — Per totum annum flores fructusque gerit. — 1846.

175. RICINUS SALICINUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5809. Msn. Gen. 339. Comm. 252, 41. solummodo floribus nunc dioicis differre videtur!

Char. Spec. cf. Hsskl. Adn. 1041, 5. Catal. hrt. bog. p. 237.(1)

Descrpt. Frutex 5—8 ped. altus salicinus ramosissimus; *rami* ramulique teretes glabri; *stipulae* lineari-subulatae, caducae; *folia* sparsa, copiosa, salicina, breviter petiolata, petiolo 0,5 poll. longo semitereti crassiusculo, sanguineo, — lineari-lanceolata, 3—5 poll. longa, 0,5—0,8 poll. lata, utrinque attenuata basi obtusiuscula, apice acuminata, glaberrima, supra lucida viridia, subtus glauca tenuissime venoso-reticulata et inter rete scutellis orbiculatis, minutissimis, peltatis obsita, juniora sanguinolenta, scutellis niveis; *flores* spicati minuti; spicae 3 poll. longae aut unisexuales aut gynandrae; rhachis recta teretiuscula, rubicunda; *alabastra* globosa, vix diametr. 0,1 poll. attingentia, sanguinea, in axi bracteolae ovato-lanceolatae, acutae, minutae solitaria aut bina ternave (quoad partes *floris* reliquas cf. Char. gen. Endl. l. c.); antherae sanguineae, pollen albidum; germen glaucum minutissime muriculatum; stigmata germine longiora reclinata plumosa; *fructus* lurido-virides muriculati, subglobosi, minuti. — Habitat ad margines rivulorum diversa supra mare altitudine (0—4000 ped.) Javae occidentalis et a Sundensibus *Tjúijer* s. *Tjüjer* i. e. *Nerium* dicitur.

176. ROTTLERA GLABERRIMA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5819 et 5788. Msn. Gen. 339. 340. Comm. 252. 36 et 53. Hsskl. Diagn. nov. 167. Adnot. 1045. Catal. p. 238 (1) *Mappa* Jss. a *Rottlera* Rxb. haud diversa habenda ob calycis divisionem inconstantem et antherarum loculos in plurimis speciebus haud inter se diversos; *Adisca* Bl. Bijdr. 609, a clsso. *Endlicher* l. c. jam ad *Rottleram* reducta transitum praebet inter genus utrumque. — *Moritzi*, Verzeichn. herbar. *Zollinger* p. 17 genus utrumque de novo sejungit —!

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 170. Catal. 1045. 19.

Diagn. Foliis alternis aut suboppositis, elliptico-oblongis, acuminatis, glaberrimis haud peltatis.

Descrpt. Arbor monoica, *rami* teretes graciles glabri, juniores sanguinei glaberrimi; *folia* alterna aut subopposita petiolata, petiolo pollicari, oblonga aut elliptica, acuminata, basi biglandulosa, obtuse acuta, margine repanda, 3—5 poll. longa, 1—1,7 poll. lata, utrinque glaberrima supra lucida; *stipulae* subulatae sanguineae ad apicem ramulorum deciduae; *inflorescentia* axillaris, saepe ad apicem ramulorum staminigera interrupte glomerato-spicata, spicis pollicaribus; *flores* staminigeri 4—5 aggregati, bractea minuta, ovata, acuta, sanguinea suffulti; *calyx* 3—4-partitus; laciniae ovatae, concavae patentes; *stamina* pluria, filamenta erecta, basi subconnata; antherae terminales albidae, biloculatae, loculi (cruciatim bisulci), apice connati, longitudinaliter rima dehiscentes; *flores pistilligeri* axillares longe pedunculati, solitarii; pedunculus communis pollicem dein superans teres, gracilis ad articulationem pedicelli bracteolis sanguinis, lanceolatis, minutis; *calyx* 4—5-partitus patens; laciniae lineari-lanceolatae subulatae; *germen* 2—3-dymum, 2—3-loculare, loculis subglobosis, 1-ovulatis, tuberculis resinosis uti et alabastra staminigera tectum; styli 2(—3) pollicem dimidium superantes, rubentes, filiformes, persistentes, apice flavescentes papillosi, stigma gerentes; *fructus* 2(—3) cocci, coccis ad centrum tantum connatis, solubilibus, sutura a vertice ad basin notatis, muricato-echinatis aut subglabris, dein in sutura dehiscentibus, monospermis; *semina* subglobosa ad basin tantum arillata; arillus tenuis, integumento adhaerens brunneo, albido-maculatus; integumentum nigrum crustaceum; *albumen* maximum *embryonem* parvum includens, illo prioris speciei simillimum.

177. CROTON ARGYRATUS Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5827. Msn. Gen. 340. Comm. 253, 61; sed glandulae floris pistilligeri desunt! — cf. etiam Endl. Gen. Sppl. III. 5827/1—3.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 602.

Descrpt. Frutex, *rami* teretes brunnei, juniores una cum foliis petiolis nervisque majoribus paginae folii inferioris ferrugineo-furfuracei; *stipulae* longe subulatae, subserratae,

deciduae; petioli subteretes 1,0—2,5 poll. longi; *folia* subcordato-peltata, ovata, acuminata, versus basin in nervo medio glandula instructa, margine crenulata, pendula aut cernua, seniora supra glabra, viridia, laevia, juniora ferrugineo-furfuracea, subtus argenteo-lepidota; *inflorescentia* terminalis racemosa; pedunculi ad rhachidem squamoso-bracteolati 0,2—0,3 poll. longi, teretes 1-flori; *flores staminigeri: calyx* 5-partitus, laciniae patenti-erectae, basi subconnatae, uti omnes partes florales ferrugineo-pubescentes; *petala* 5 oblonga, obtusa, longitudine sepala paullo superantia et cum iis alterna, a medio reflexa, calyci extrorsum adpressa albida; *stamina* 11, quorum 10 sepalis petalisque opposita, unicum centrale, e receptaculo villoso enata; filamenta petalis alterna 5 patentia exteriora, 5-petalis opposita interiora suberecta, centrale erectum, magnitudine duplici petalorum; antherae cordato-ovatae, erectae, dorso supra basin affixae, 2-loculatae, introrsae; loculi rima longitudinali dehiscentes; pollen luteum; *fructus* subglobosi, basi calycis laciniis suffulti, ferrugineo-tomentosi, apice depressi, 3-cocci, 6-sulci; pericarpium externe carnoso-siccum, interne lignosum, cocci 2-valves, 1-spermi; *semina* extus convexo-, intus angulato-oblonga; *albumen* carnosum; *embryo* axilis; radicula in extremitate superiore seminis versus hilum spectans. — Nomen sundense: *Kiréndang*.

178. CROTON PENDULUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5827, sed filamenta basi leviter connata, antherae extrorsae, flores pistilligeri corollati, capsula tomentosa, semina arillata! cf. Endl. Gen. Sppl. II. p. 90. Sppl. III. p. 98.

Descrpt. Arbor mediocris; *rami* patentes crassiusculi; *petioli* alterni patentes subtrigoni aut semi-teretes, 1,5—5,0 poll. longi, laete virides puberuli; *folia* basi biglandulosa, oblonga 8—14 poll. longa, 2—4 poll. lata, supra atro-viridia, sublucida, glaberrima, subtus in nervis eorumque ramificationibus puberula, margine repando-serrata, utrinque attenuato-acuta; *racemi* longissimi, 3—4,5 ped. longi terminales penduli

puberuli; *pedunculus* communis subcompressus; flores aggregati, fasciculi alternantes; pedicelli breves 0,2—0,1 poll. longi, cum calyce stellato-puberuli; *sepala* 5, exteriora viridia, interiora semi-petaloidea; *petala* oblonga viridi-lutescentia, nitida; *glandulae* breves truncatae, petala alternantes; *flores staminigeri: stamina* 15—20, filamenta basi in columellam brevem connata; antherae extrorsae biloculatae; loculi appositi, rima longitudinali dehiscentes; *flores pistilligeri: germen* trigono-pyramidale, albescenti-viride, pubescens 3-loculatum; loculi singuli gemmula unica; stigmata sex brevia acutiuscula, erecta; *fructus* calyce vegeto suffulti, obsolete trigono-globosi, 0,7 poll. alti, virides tomentosi, tricocci; cocci bivalves; *semina* arillata chartacea; *albumen* mediocre cotyledones crassas cingens. — Reperi in sylvis humilioribus (altitudine 5—10-centipedum supra mare) Javae occidentalis, provinciae Bantam, flores fructusque aeque proferentem mensibus Semptbr. et Octbr. (1841), incolis ipsis ignotam arborem.

179. RYPARIA CAESIA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5836. Msn. Gen. 341. Comm. 254. 81; — sed: *Calyx* 3—4-partitus reflexus; petala 5, singula (et in floribus staminiferis!) squamulis instructa subcoriacea patentissima; *filamenta* connata in tubum, rudimentum pistilli cingentem, apice capitatum; *antherae* 5 biloculatae, capitulo tubi extrorsum adnatae; loculi paralleli subsejuncti!

Char. Speciei unicae cf. Endl. l. c. Bl. Bijdr. 601.

Descrpt. Frutex, *rami* erecti subteretes, juniores cum petiolis rufo-strigosi; *petioli* patentes utrinque incrassati semipollicares; *folia* verticalia, pendula, oblonga, acuminata, 4—8 poll. longa, 2—2,5 poll. lata, basi acuta; *spicae* 4 poll. longae, subcylindricae, multiflorae; pedicelli breviter bracteolati, teretes 0,2—0,3 poll. longi; bracteola ovata, acuta, minuta; *alabastra floris staminiferi* depresso-globosa, aurichalcea, valvata, dein *calycis* laciniae 3—4 ovatae, acutiusculae, concavae, reflexo-patentes; *petala* calycem longitudine superantia, 0,2—0,3 poll. longa, reflexo-patentia, viridi-albescentia, ovato-lanceolata, pubescentia, basi squama crassiuscula, ovata, vil-

losissima, flavescenti donata; *columna antherifera* 0,2—0,3 poll. longa, crassa, sericea, apice capitata; capitulum apice planum pilosum; antherae 5 biloculatae, capitulo tubi extrorsum adnatae; loculi paralleli subsejuncti.

180. SAUROPUS RHAMNOIDES Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5842. Msn. Gen. 342. Comm. 254, 98; sed: *calyx* 6-fidus, tubus horizontaliter deplanato-orbicularis; limbus 6-partitus; laciniae biseriales alternae externae latiores, interiores longiores, in orbem tubi depressae, eique fere totae adnatae; *antherae* biloculatae, loculi paralleli adpositi; *stigmata* 2-fida lateraliter flexa; capsula baccata depresso-globosa, stigmatibus diminutis coronata, sulcata, calyce vegeto suffulta.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 596.

Descrpt. Frutex erectus 8 ped. altus; *rami* patentissimi, flexuosi, teretes glabri, virides (nec scandentes!); *folia* alterna disticha, petiolo 0,15—0,25 poll. longo, ovata vel ovato-oblonga, breviter sed acute acuminata, basi rotundata, passim subcordata, seniora subcoriacea, utrinque glaberrima, supra sublucida, pallide viridia, subtus subglaucescentia, 1—2 poll. longa, 1,0—1,2 poll. lata; *stipulae* binae parvae, lanceolatae, rigidae, subreflexae; *inflorescentiae* ramulus 0,2—0,3 poll. longus, axillaris imbricato-bracteolatus, ex axillis bracteolarum minutarum, subpatentium densarum sensim flores proferens; *flores staminigeri* ad basin ramuli pedicello gracili 0,5 poll. longo suffulti, primo virides, dein sanguineo-cuprei, disciformes, margine crenati, diametro 0,4 poll.; *calycis* (vid. supra ad Char. gen.) laciniae exteriores apice subrotundatae antheras, iis oppositas, haud attingentes, interiores oblongo-lanceolatae, obtusiusculae inter columnae antheriferae lobos sitae; *columna staminifera* calycem altitudine haud superans, minuta, lobi tres patentes, horizontales, pallidiores; antherae verticales; *flores pistilligeri* ad apicem ramuli; pedunculus 1,0 poll. longus; *calycis* laciniae primo virides erectae, subcampanulatae, dein subcupreae, patentissimae, subtus concavae, supra convexae, exteriores plus duplo majores, stigmatibus oppositae, interiores alternae intensius co-

loratae; diametr. calycis 0,7 poll.; *germen* liberum turbinatum, stigmatibus 3, plane inter lacinias calycinas reconditum.

181. SAUROPUS ALBICANS Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 596. et spec. anteced., a qua differt haecce: ramis angulatis minus flexuosis; *foliis* oblongis aut ovato-oblongis involutis, paullo angustioribus, apice subacutis opacis, supra subglaucescentibus subtus glaucis; *ramulis floriferis* brevioribus; floribus staminigeris diametro 0,2 poll. rubenti-viridibus; pistilligeris laciniis subaequalibus hyacinthino-coccineis, erectis nec patentibus subrotundis biserialibus, fructiferis autem patentibus subuniseriatis; fructibus carnosis oppressis sanguineis; fructu diametr. 0,5 poll. viridi-albido; seminibus angulo interno ad medium affixis nec ad apicem! — albumine peripherico; embryone ad angulum internum seminis sito. — Nomen sundense speciei utrique hujus generis commune: *Kátuk.*

182. AGYNAIA MULTIFLORA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5843. Msn. Gen. 342. Comm. 254. 97.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 165. Catal. 1055. 2.

Diagn. Suffruticosa ramulis pinnaeformibus 4-angulatis, foliis ovato-oblongis acuminatis basi nunc cordatis, pedunculis multifloris, floribus staminiferis et pistilligeris intermixtis.

Descrpt. Herba perennis, basi nunc suffruticans; *ramuli* 8 poll. longi, 4-angulato-alati vix ancipites; *folia* ramuli infima ovata mucronata, intermedia acuta, summa ovato-oblonga acuminata, mucrone acutissimo, integerrima, glaberrima, subpinnatim nervosa, 0,7—1,5 poll. longa, 0,5—0,7 poll. lata; *stipulae* lanceolatae, erectae marcescentes; *flores staminiferi* 12—20, florem pistilligerum singulum binosve cingentes, axillares iisque subaequales; stylus e 3 connatis consistens; stigmata 3 bifida reflexa; fructus depressi trigono-subglobosi dehiscentes. — Nomen sundense: *Marèmeh liimbut.* — Habitat in sylvis montanis Javae occidentalis altitudine 1—3 mill. pedum.

DIPTEROCARPEAE BL.

183. DIPTEROCARPUS TRINERVIS Bl. β. ELEGANS Bl.

Char. Gen. et Spec. cf. Bl. Fl. Jav. Dipterocarpeae p. 11—13 t. 1. Endl. Gen. 5392. Msn. Gen. 35. Comm. 27, 3. Wlp. Rprt. V. 122. 3.

A descriptione (Bl. l. c.) data differt sequentibus (cf. Hsskl. Decad. I. 5): *gemmis* 2,5—3,5 poll. longis, glaberrimis, obsolete complanatis, lanceolato-elongatis, haud glutinosis; *petiolis* semi-teretibus haud canaliculatis, rore glaucescente obsitis; *foliis* 11 poll. longis et ultra, 4—7 poll. latis, basi plus minus cordatis, nervis glaberrimis, foliorum juvenilium pilis adpressis raris obsitis et margine villoso-ciliato; — foliis junioribus (vix a stipulis denudatis) gemmae arcte adpressis, applicativis nec conduplicativis, plicatis utrinque sericeo-villosissimis, longitudine petioli glabri, 0,1 poll. longi; *calycis* laciniis tribus minoribus 0,07 poll. longis, dentes quasi referentibus, marginibus sub apice depresso-reflexis, apice erecto, binis longioribus 1,1 poll. longis, margine ciliatis, ante anthesin erectis, in anthesi patentibus, post anthesin tubo extrinsecus *haud* punctis crebris elevatis pallidioribus, laciniis minoribus 0,5—0,7 poll. longis, 0,7 poll. latis, majoribus omnino speciei sed delineatione angustioribus; *petalis* 2,0 poll. longis, 0,7 poll. latis, basi ochroleucis vitta mediana rosea demum petali partem superiorem occupante, inde corolla (limbo) primo haud patens, sed contorta tubulosa rosea; alabastrum pedunculatum, oblongo-lanceolatum, compressum, cylindricum, torulosum rubens.

γ. *Canescens* Bl. a specie (cf. Bl. l. c. p. 11) differt: gemmis 2,0—3,5 poll. longis, petiolis 1,0—1,2 poll. longis, supra vix canaliculatis, foliis 10—13 poll. longis, 4—5 poll. latis, oblongis aut elliptico-oblongis nec ellipticis, nervo medio et nervis lateralibus adpresse pubescentibus pilis *haud* stellatis sed strictis longis haud evanidis. — A *D. Hasseltii* Bl. foliorum forma, a caeteris speciebus glabritie gemmarum sat distincta varietas an forsan species nova?

Alterum in horto bogoriensi adest *specimen* gemmis gaudens vix pollice longioribus imoque angustioribus, curvatis, in reliquis partibus *D. trinervi* congruum; *alterum* specimen foliis basi magis attenuatis fere cuneatis, nec cordatis, gemmis minoribus 0,5 poll. longis.

Tertium dein adest: foliis ovalibus 9—15 poll. longis et 6—9 poll. latis, basi subcordatis; gemmis 1,0—1,2 poll. longis, glabris, apice pilis coronatis, petiolis brevibus crassis; — an *D. trinervis* varietas? — Nomen sundense toti generi commune: *Paláglar*.

TERNSTROEMIACEAE DC.

184. DICALYX ODORATISSIMUS BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5407. Msn. Gen. 39 et 250. Comm. 29; 30, et 158. 7. Albumen periphericum carnosum; embryo axilis teres.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 1116. Wlp. Rprt. I. 367. 2.

Descrpt. *Folia* elliptico-oblonga aut obovata 4—10 poll. longa, 2,5—4,0 poll. lata, utrinque acuta aut acuminata, grosse obtuseque serrata, glaberrima, coriacea, petiolo subtereti 0,5—1,0 poll. longo, crasso, glabro; *inflorescentia* axillaris aut lateralis paniculata una cum pedunculo communi ac partialibus viridi-flavescentibus vix tomentosa; *flores* aut sessiles aut plerumque breviter pedicellati, bracteolis ad basin pedicelli et calycis oblongis, acutis, deciduis; *calycis* tubus subhemisphaericus, imo basi germini adnatus viridiusculus minutissime stellato-tomentosus; limbus 5-partitus persistens, laciniae ovatae, acutiusculae, ciliolatae in praefloratione imbricativae, minutae; *corolla* tubo calycis ad faucem inserta 5-petala, petala basi subconnata, patentia, obovata, obtusa, supra concava, albida, decidua, basi staminifera; *stamina* plurima, filamenta albida, adscendenti-erecta, filiformia, apice subulata, antherae minutae, luteae, subglobosae, biloculatae, loculis oppositis, incumbentes; *germen* annulo nectarifero, aurantiaco, 5-angulato cinctum et dein hujus ope tubo calycis plane adnatum, subglobosum, apice liberum, annulo haud

tectum, 3-loculatum; gemmulae in loculis plurimae biseriatae; stylus erectus, albidus, filiformis; stigma truncatum, subtrilobum viridi-flavescens; *fructus* carnosi, oviformes, primo albidi, dein indici, carne viridi, endocarpio lignoso, 3-loculati, loculis monospermis, hinc inde vacuis; *semina* albuminosa; albumen periphericum carnosum; embryo axilis; radicula versus hilum spectans in extremitate seminis superiore teres. — Nomen sundense: *Kisarjàwan.*

185. SAURAUJA NUDIFLORA DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5414. Msn. Gen. 40. Comm. 30. 8. Capsula baccata.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 526. 6. *S. Noronhiana* Bl. Bijdr. 126. Wlp. Rprt. I. 370. 1. Hsskl. Cat. p. 210. 923. 2.

Descrpt. Arbor humilis, *rami* teretes crassi, ad apicem foliosi, cum petiolis strigoso-muricato-squamulosi dein glabri; *folia* obovata, acutiuscula, basi plus minus obtusa acutave, 7—11 poll. longa, 4—6 poll. lata, juniora utrinque strigoso-squamulosa, seniora glaberrima in nervis tantum asperula, calloso-subserrata; *petioli* 1,0—1,5 poll. longi, crassi supra planiusculi; flores axillares casu foliorum laterales, solitarii aut 3 — 7 aggregati; pedunculi 0,5 — 1,0 poll. longi penduli, ad medium bibracteolati, muriculati, laete virides; *calyx* corollaceus, albidus, erectus, imbricativus; *corollae* petala basi ad medium cohaerentia, campanulata, basi rosea, apice bifida, reflexa, candida; *stamina* plurima; filamenta ima basi cum petalis et ad medium usque inter se connata; antherae dorso supra medium insertae incumbentes pendulae introrsae; loculi apice rima ad insertionem protracta dehiscentes; *germen* subglobosum, roseum, sericeum; gemmulae in loculis plurimae; styli 5 antheras excedentes candidi divaricati, basi connati; capsula baccacea calyce vegeto nunc viridi arcte inclusa ovoidea, stylis persistentibus coronata pendula. — Nomen sundense totius generis: *Kilèho,* cui in hac specie addatur epitheton: *bádak,* i. e. Rhinozerotis s. grandis.

186. SAURAUJA CAULIFLORA DC.

Char. Spec. cf. Prdr. I. 526. 12. Bl. Bijdr. 126. *Marumia* Rnwdt. Bl. Cat. 79, nec Bl. — *Scapha* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 66.

Descrpt. Frutex arboreus; *rami* crassi teretes, juveniles puberuli; stipulae nullae; *petioli* subteretes, 1 poll. longi; *folia* ovato-oblonga, utrinque acuminata s. basi acuta, imoque obtusa, obsolete setaceo-serrata, 3—7 poll. longa, supra laevia viridia, subtus nervosa, glandulaceo-tomentosa, in nervorum reticulatione et petiolis ferrugineo-squamuloso-strigosa; squamulae ante foliorum evolutionem rubrae imbricatae; *inflorescentia* racemosa, axillaris aut e cortice trunci erumpens; racemi oliganthi axillares solitarii, laterales plurimi aggregati imoque conglobati, pedunculis defloratis emarcidis, persistentibus, nigrescentibus quasi involucrati; pedunculi secundarii carnosi, rubentes clavato-incrassati; *alabastrum* depresso-globosum; *calyx* 5-partitus; laciniae basi rubrae, dein concavae, orbiculato-ovatae, roseo-albidae; *petala* saepe 4 albida, basi connata, lato-ovata, margine subrevoluta; *stamina* plurima, filamenta dilatata, linearia, basi connata; antherae introrsae, supra basin dorso affixae, biloculatae; loculi paralleli sigmoidei, apice poro dehiscentes lutei; *germen* obsolete trigonum depressum, liberum 3-loculatum; gemmulae in loculis plurimae; styli 3, basi connati albidi; stigmata globosa, minuta, hyalina; *fructus* capsularis, calyce vegeto persistente arcte appresse cinctus, cicatrice carpica spuria triangulari notatus, 3-valvis, vacuus, dein mucilagine aquoso hyalino farctus; *semina* in loculis plurima placentae columnari bifidae, carnosae affixa, dein in mucilagine natantia, minuta, ovato-angulata, brunnea, tuberculata; integumentum crustaceum. — Nomen sundense: *Kilèho lúmbut*, i. e. humilis.

187. SAURAUJA NEPAULENSIS DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 526. 4. Sprg. Syst. Veg. II. 613. 6, nec autem cur. post. 210, ubi haec cum *S. micrantha* Bl. Bijdr. 127 confusa, cui differt: foliis basi attenuatis supra glabris, calyce hirsuto, pedunculo racemose subtrifloro, foliaceo-bracteato, in apice ramulorum laterali.

Descrpt. Arbor; *rami* teretes fusci glabri, juniores virides hinc sanguinei, strigosi; *folia* alterna s. sparsa oblonga, utrinque attenuata, 4—6 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata, supra glabra, nitida, in nervis minutissime strigulosa, subtus ubique strigoso-aspera, margine setaceo-serrata, apice plus minus in acumen producta nunc obtusiuscula; *alabastra* pisiformia, viridia, pilis sanguineis hirsuta in pedunculo racemoso-subtrifloro, foliaceo-bracteato, ad apicem ramorum laterali; *calyx* hirsutus 5-partitus; laciniae 3-externae calycinae, binae internae semi-corollinae, persistentes, vegetae dein omnes virides, conniventes bullatae; *petala* patentia oblonga aut obovato-oblonga, candida, basi connata et simultaneë decidua; *stamina* 20—25; filamenta brevia crassa, erecta, albida; antherae flavae, apice truncatae, aurantiacae, biporosae; *germen* superum depresso-globosum, laeve albidum, 5-loculatum; styli erecti, albidi 5 ad basin liberi persistentes, apice dein marcescentes; fructus carnosi minuti, calyce vegeto bullato occulti, indehiscentes. Nomen sundense: *Kilèho* s. *Kiköjüp*.

CLUSIACEAE LNDL.

188. GARCINIA CAMBOGIA Dsrss.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5443. Msn. Gen. 43. Comm. 32. 15.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 561. 3. Wlp. Rprt. I. 395. 5, *nec* Wght. et Arn. Prdr. I. 100. 349, quae ex autoritate cllrr. Wght. (cf. Wlp. Rprt. I. 395. 7) est *G. Cambogia* Rxb., nec Dsrss., inde *G. Roxburghii* Wght. — Hsskl. Diagn. nov. 136. Fructus sulcis 6—10 completis cum tot semi-completis alternantibus caet. descrpt. cf. Rheed. mal. I. p. 42 optima t. 24 (in editione Hilliana, fructus, quem Rheed. 10-loculatum declineavit, 8-loculatus apparet!); *Mangostana Cambogia* Grtn. II. 106 t. 103. Rheed. l. c. Arbor indica Gummi guttam fundens fructu acido sulcato aureo mali magnitudine J. Brm. Zeyl. p. 27 nec: Arbor indica Gummi guttam fundens fructu dulci rotundo cerasi magnitudine, quam filius N. Brm. cum praecedenti confundit in Flor. Ind. p. 119 sub: Cambogia Gutta. cf. Rheed. ed. Hill. l. c. — Pericarpium acidum (ad cibos adhibetur), arillus pulposus dulcis ii *G. Mangostanae* similis sed minor; semina saepius abortiva aut vix evoluta. — Arbor e Zeylonia in Javam introducta, rarissima in hortis reperitur, ubi ob fructus acidos *A'ssam zeylon*, id est Tamarindus zeylanica nominatur, dum cingalenses hanc, uti recte Burm. dicit, *Gohrke* appellantur.

189. STALAGMITES DULCIS G. Don.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5444. Msn. Gen. 43. Comm. 32. 16, sed sepala inaequalia inaequalia subpetaloidea! — petala 5—6; — filamenta nunc libera nunc in phalanges 3—5-partitas connata.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. I. 396. 3 et *Xantochymus javanensis* Bl. Bijdr. 216. Wlp. Rprt. I. 395. 1, quae utriusque foliorum forma in eadem saepe reperiri potest arbore.

Descrpt. Arbor mediocris; *rami* crassi subtetragoni torti virides; *petioli* vix pollicares; *folia* ovali-oblonga, ovata, ovato-oblonga, imoque lanceolata, acuta aut acuminata, coriacea, 5—9 poll. longa, 3—5 poll. lata, glaberrima, integerrima; *flores* racemosi; racemi abbreviati, flores singulatim producentes dein oblongati pollicem superantes; *sepala* albescentia; *petala* 5—6 subrotunda alba vix unguiculata; *glandulae* magnae 5, petalis alternae, crassae, truncatae, crenulatae lutescentes; *stamina* petalis opposita inter glandulas (phalanges staminum abortivorum); filamenta plane libera aut in phalangem 3—5-partitem connata; antherae minutae introrsae longitudinaliter (nec poris geminis apicalibus Bl. l. c.) dehiscentes subrotundae flavescentes; *germen* 5-loculatum, basi glandulis cinctum; gemmulae in loculis solitariae; stylus brevissimus, stigmata 5; *fructus* carnosi apice, (abortivi lateraliter) stylo stigmatibusque planis patentibus coronati, primo 5-costati dein plus minus globosi 1—5-loculati, glaberrimi, pallide aurantiaci, ubique succo lactescente luteo impleti, plane fructum *Garciniae Mangostanae* referent, pericarpio autem carnoso; *semina* in loculis solitaria, pulpa carnosa, aurantiaca, involuta, oblongo-trigona, extus convexa, integumento tenui membranaceo fusco; cotyledones crassissimae semen implens, radicula brevissima, gemmula vix conspicua. — Nomen sundense: *Múndu.*

α. *edulis* Hsskl. Catal. 928. 1; pericarpii carne pallide aurantiaca, acidula eduli; sub nomine sundense: *M. amies* i. e. dulcis saepe colitur in hortis.

β. *sylvestris* Hsskl.; pericarpii carne viridi-flavescenti, acidissima adstringenti ineduli; in sylvis montanis sub nomine: *M. állas,* i. e. sylvestris, s. *Mánggong* s. *Gèrtok pántok* nota.

190. DISCOSTIGMA ROSTRATUM Hsskl.

Char. Gen. cf. Hsskl. Diagn. nov. 137. Endl. Gen. Sppl. III. 5446/1. Msn. Gen. Comm. 345. 18/1. Wlp. Rprt. V. 145.

Char. Spec. cf. Hsskl. ll. cc.

Descrpt. Arbor altissima, ramosissima (in horto bogoriensi solummodo pistilligera sterilis!); *folia* coriacea opposita breviter petiolata oblonga aut oblongo-lanceolata, obtusiuscule rostrata, basi acuta aut attenuata, glaberrima, integerrima tenuissime parallelo-venosa, inflorescentia lateralis seu rarius axillaris racemosa, abbreviata, *flores* terni parvi; *sepala* externa minuta, interio petaloidea; *petala* viridi-flavescentia, patentia, concava; *stigma* germine multo latius peltatum, glaberrimum, viscosa substantia tectum flavescens. — Nomen sundense: *Túngtung mónjet* (simiarum); nom. malaicum; *Káju púrries.*

191. CALOPHYLLUM INOPHYLLUM L. β. BLUMEI Wght.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 43. Comm. 32. 19 et 20; Endl. Gen. 5448 et 5451 *Apoterium* Bl., quod genus nullo modo a *Calophyllo* sejungendum! — nam calyx 0 certe pro calyce deciduo sumendus et filamenta irregulariter libera aut plus minus in phalanges irregulariter 1—4 et forsan plures connata! — cf. Endl. Sppl. II. p. 108. 5448/1 *Calysaccion* Wght. (Msn. Gen. Add. 345. 19/1), genus forsan nimis affine et vix a *Calophyllo* sejungendum; cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 102.

Char. Spec. cf. Rmph. amb. II. 211 t. 71 *Bintangor maritima* ex pedunculis folio multo brevioribus et tota descriptione huc pertinet; Rheed. Mal. IV t. 38. Wlp. Rprt. I. 397. 4. *Wight.* clss. hanc, *C. Inophyllum* Bl., a specie Linneana sejungit ob petala 8 et racemos folio breviores, an sufficiente jure ad distinguendas species? valde dubito, quare solummodo varietatis instar a specie sejungere possim; *C. ovalifolium* Nor. Verh. V. 714. — Antheras nec biporosas, uti vult. clss. Blume, sed semper totas rima duplici longitudinali dehiscentes reperi, rima primo ab apice incipiente et sensim ad basin progrediente!' cf. antheras biporosas dictas *Solani nigri* L.

Descrpt. Arbor mediocris in pagis, vulgo *Kampong* dictis et hortis Europaeorum prope *Bataviam* et *Bogor* frequens culta et *Njámplong* dicta, pulcherrima 30—40 ped. alta; *rami* patentes terminales et inferiores divaricati subpenduli, succo gummifero glutinóso, in apicibus albido, in ramis lignosis flavescenti-viridi ad marginem interiorem et exterio-

rem corporis lignosi foeti; *ramuli* juniores crassi subteretes, nunc subcomplanati, glaberrimi, virides nitidi, in floriferis rore glauco-albido obtecti; *gemmae* terminales complanato-conicae, furfuraceae, conglutinatae axillares aut potius supra-axillares minutae, oblique conicae, farina albido-fulva tectae; *stipulae* nullae; *petioli* oppositi, patentes semi-teretes crassi, 1,0 — 1,5 poll. longi, 0,15 poll. lati una cum nervo medio supra plano subtus acute carinato protuberante flavescenti-virides; *folia* rigida, coriacea, glaberrima, lucidula, penninervia, margine cartilagineo, lutescenti-viridi cincta, laete viridia, subtus pallidiora forma variabili, ovalia, ovali-oblonga, elliptica aut obovata, apice plerumque obtusa et rotundata, nunc acutiuscula, nunc retusa aut emarginata, basi plerumque acuta aut attenuata, nunc et obtusa et rotundata, 3,5—7,0 poll. longa, 2,5—3,7 poll. lata, nervis transversis plurimis parallelis eleganter striata; *pedunculi* ad apices ramorum axillares erecti aut erecto-patentes, folii medium et paullo ultra attingentes racemosi, 5—13-flori, tetragoni, una cum pedicellis albidi, glaberrimi, 2—5 poll. longi; *pedicelli* patentes basi bracteati teretes 1,5 — 2,0 poll. longi, oppositi, cruciati, apice paullo incrassati, 1-flori; *bractea* albida, orbiculata s. oblongo-subrotunda, 0,2 poll. longa, caduca; *flores* suaveolentes elegantes; *alabastra* globosa, primo a calycis foliolis 2-nis externis tecta, imbricata; *calyx* coloratus albidus 4-phyllus; *foliola* cruciata per paria aequalia, *externa* minora, transverse 0,2—0,3 poll. longa et lata, suborbiculata, concava, navicularia, *interiora* majora basi attenuata, diametro 0,4 poll., *omnia* in anthesi reflexa, pedicello adpressa, decidua, quam petala longius persistentia; *petala* 8 (nunc, sed rarius 6) 4 *exteriora* latiora 0,6—0,7 poll. longa, 0,4—0,5 poll. lata, basi attenuata, apice irregulariter 2—3-fida, lacinula interna saepe inflexa, nunc integra concava, navicularia; *interna* 4 (—2) angustiora obovato-oblonga, 0,2—0,3 poll. lata, *omnia* in anthesi patentissima, candida; *stamina* hypogyna plurima, decidua; *filamenta* basi in phalanges 2—3—4 irregulariter collecta, erecto-patentia, 0,3—0,4 poll. longa, sulfurea glabra,

lucida inaequilonga, ante anthesin erecta haud incurva; *antherae* terminales lineari-oblongae, 0,06 poll. longae, 2-loculatae, utrinque truncatae, subbifidae persistentes; *loculi* paralleli, contigui, rima ab apice basin versus longitudinali, toti dehiscentes (nec 2-porosi Bl.); *pollen* globosum, luteum, parvum; *germen* sessile subglobosum, roseum, 0,15 poll. longum, glaberrimum, 1-loculatum; *stylus* erectus filiformis crassiusculus, versus apicem geniculato-flexus, albidus glaber, apice subincrassatus, 0,4 poll. longus; *stigma* patelliforme semi-orbiculare aut semi-lunare subpeltatum, albidum, glutinosum; *gemmula* unica globosa, erecta sessilis; *fructus* globosi, 0,8—1,0 poll. diametro, rubri extus carnosi, intus lignosi, indehiscentes monospermi; semen sessile globosum. — Mense Januario et Februario flores et mensibus sequentibus fructus gerit. — 1846.

HYPERICINEAE DC.

192. HYPERICUM CHINENSE L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5464. Msn. Gen. 44. Comm. 33. 5.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 545. 11, quod differt autem: foliis ellipticis nigro-punctatis, sepalis oblongis punctatis; — magis affine nostrum *H. cordifolio* Choiss. DC. Prdr. I. 545. 12, quod autem e diagnosi diversum: inflorescentia pauciflora, staminibus brevibus, stylis liberis; — *H. monogynum* L. Bl. Bijdr. 141 foliis oblongo-ovalibus diversum videtur; *H. adenophyllum* Ledeb. Wlp. Rprt. II. 808. 19, quod e diagnosi glandulis foliorum prominulis, corymbis paucifloris, sepalis subserrulatis diversum!

Descrpt. Suffrutex; *rami* teretes rubentes fastigiati; *folia* opposita sessilia, coriacea, ovato-oblonga, basi cordata, semi-amplexicaulia, integerrima, eglandulosa, epunctata, subtus glauca; *inflorescentia* umbellatim corymbosa aut panicato-corymbosa, dichotoma; *bracteae* binae minutae, oppositae, lineari-lanceolatae, obtusiusculae; *peducnuli* dichotomi rubentes versus apicem incrassati; *calyx* 5-sepalus; sepala aequalia, ovato-lanceolata, obtusiuscula, ante et post anthesin erecta, in anthesi patenti-cernua, externa viridia, apice rubentia, petalorum quintam partem longa; *petala* lutea, ovato-spathu-

lata, subtorta; *stamina* 60; filamenta in phalanges 5 disposita, exteriora patentia, petalis longiora, interiora erecta minora, filiformia lutea; antherae minutae incumbentes; *germen* conicum s. obsolete pentagono-pyramidale; stylus crassus, erectus, stamina externa longitudine aequans, versus apicem rubens 5-fidus (aut 5, ad apicem fere connati!); stigmata 5 rubra punctiformia cum stylo marcescenti persistentia; fructus 5-loculati, polyspermi, valvatim dehiscentes 5-valves.

AURANTIACEAE CORR.

193. GLYCOSMIS SIMPLICIFOLIA Sprg.

Char. Gen. cf. *Glycosmis* Corr. et *Sclerostylis* Bl. Endl. Gen. 5502 et 3. Hsskl. Catal. 214.(1) Adnot. 946; germen et fructus in eodem ramo variant 1—5-loculati, gemmulae in loculis 1—2; Steudel. Nomcl. bot. ed. II. sub genere utroque enumerat species sequentes omnes. Wght. et Arn. Prdr. I. 93. — Fructus autem in Blumeanis speciebus pariter ac in *S. atalantioides* W. et A. succulenti, nec exsucci Bl. Bijdr. 133. Endl. l. c.

Char. Spec. cf. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 162. Bl. Fl. Jav. Praef. VII. Hsskl. Cat. 946. 1. *Sclerostylis lanceolata* Bl. Bijdr. 134. — Wlp. Rprt. I. 380. 2.

Descrpt. *Foliola* 5—9 poll. longa, 1,5—2,5 poll. lata, coriacea, utrinque glaberrima, integerrima, brevi-petiolulata, *petiolulus* 0,2—0,3 poll. longus, una cum gemma axillari ferrugineo-rubiginoso-tomentosus; *racemi* axillares 0,5—1,5 poll. longi; *flores* minuti; *petala* viridiuscula, subconcava; *germen* 1—4-loculatum toro subgloboso suffultum, gemmulae in loculis solitariae; *fructus* succulenti, roseo-incarnati; *semina* in fructu monospermo subglobosa, in polyspermo extus convexa intus angulata, funiculum umbilicale latum diametrum verticalem seminis aequans, integumentum tenue venosum, membranaceum, diaphanum, laeve nitens; *radicula* ad hilum spectans in extremitate superiore seminis, parte inferiore truncata cylindrica, prominula aut conica intra cotyledones recondita; *cotyledones* in sem. globosis hemisphaericae, in angulatis oblique angulatae versus faciem internam, virides carnosae rugosae, extus villosae; gemmula cordato-lanceolato-linearis. —

Nomen sundense huic ac sequenti speciei commune: *Kitjandàna.*

Observ. 1. Huic speciei valde accedit: *Glycosmis pentaphylla* Colebr. cf. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 161. Bl. Fl. Jav. Praef. VII. *Sclerostylis* Bl. Bijdr. 135. Wlp. Rprt. I. 380. 4. — Foliola 3—5 alterna, 3—8 poll. longa, 1,5—3,0 poll. lata, oblonga aut oblongo-lanceolata, obtusa aut acuta; racemi axillares 0,2—0,5 poll. longi; fructus iis speciei antecedentis similes depresso-globosi, monospermi aut obsolete 2—4-lobati, 2—4-spermi, roseo-incarnati, succulenti; semina iis spec. antec. simillima, embryo villosus autem forsan magis elongatus. — An *G. pentaphylla* Wght. et Arn. Prdr. I. 93. 328 synonyma?

Observ. 2. *Glycosmis cyanocarpa* Sprg., cui germen oblongum subcylindricum toro depresso suffultum, bacca exsucca obverse ovoidea aut oblonga. — cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 92. IV. observ. ad finem, qui jam species binas Blumeanas *Cookiae Glycosmidi* adjungendas censent; uti Sprg. Gen. p. 345, cur. post. 161 et ipse Blume illstrss. in Flor. Jav. Praef. VII. Blume in Bijdr. 166 descriptionem floris praebet et fructus, quae in Wlp. Rprt. I. 381. 2 omissa; Sprg. Syst. Veg. cur. post. 162; foliola 1—7 supra nitida utrinque glaberrima, corymbi 1,0—2,5 poll. alti; pedicelli basi squamoso-bracteolati, germen 5-locatum, oblongum, subcylindricum, toro depresso suffultum; fructus semi-pollicares, basi attenuati, oblongi, carnosi, indico-antracini; cotyledones iis speciei primae similes sed oblongae, intus planae, extus convexae. — Nomen sundense: *Kibèwok.*

194. COOKIA PUNCTATA Sonner.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5507. Msn. Gen. 46. Comm. 34. 8 et *Micromelum* Bl. Endl. Gen. 5509. Msn. l. c. 10. Wght. et Arn. Prdr. I. 95. VIII et 94 adnot. ad VI et p. 90 schema. Hsskl. Adnot. 948. 1. Catal. p. 215 (1): Calyx parvus urceolatus 5-fidus (nec integerrimus Bl.!) flores quinarii; baccae (steriles dein exsuccae) succo balsameo foetae; semina, unum alterumve evolutum, reliqua abortiva et inde fructus dissepimenta intorta!

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. II. 558. Lam. Ill. t. 354 bona excl. *e.* — Sonner. voyage II. 231 (ed. II. IV. 398, trnsl. germ. II. 181) t. 130 optima, antherae autem nimis rotundatae delineatae sunt; DC. Prdr. I. 537. Wght. et Arn. Prdr. I. 95. 388. — *Micromelum pubescens* Bl. Bijdr. 138. Wlp. Rprt. I. 382. V. 140. 1. — Rmph. amb. I. 135 t. 55. Foliola 7—13 subtus in nervis cum petiolo communi, ramulis et inflorescentia exasperato-puberula ovata s. ovato-oblonga, obtuse acuminata, accrescentia; fructus racemosi sclopetiformes rufi asperi intus dulces. — Nomen sundense: *Kibádjeta bóddas*, i. e. Glaucena alba.

195. PAPEDA RUMPHII Hsskl.

Char. Gen. cf. Hsskl. Diagn. nov. 174. Catal. 952. 1.(2) Endl. Gen. Sppl. III p. 95; Wlp. Rprt. V. 141. Msn. Gen. add. 345. 15.

Char. Spec. cf. *Lemon Papeda* Rmph. amb. II. 104 t. 27 ubi descrpt. Hsskl. Diagn. nov. 174. Catal. 952. 1.(3) Wlp. l. c.

Descrpt. Arbor mediocris; *truncus* irregularis obliquus, lignum solidum, durum flavescens; *ramuli* spinis firmis acutis minuti; *petiolus* alatus maximus cordatus, folio minor, cum hoc 4—5 poll. longus, et crenatus, diaphano-punctatus; *spinae* minores in axillis foliorum; *fructus* pugnos binos crassi, subglobosi, cortice firmo citriodoro, laevi sed verrucoso, verrucis glabris, inde irregulares et obliqui, flavissimi; pulpa alba, succulenta, acidissima et acerrima. (Rmph. l. c.)

MELIACEAE JSS.

196. MUNRONIA JAVANICA Bnnt.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. Sppl. I. 5518/1. Hsskl. Catal. 955ª.(1), sed calyx profunde 5-partitus; flores saepe 4-meri, germen 3—5-, plerumque autem 4-loculatum; discus hypogynus conico-tubulosus; fructus saepe 1—2—3-, rarius complete 5-loculatus; semina in loculis gemina, abortû nunc solitaria, haud: „ala introflexa cincta" sed hemisphaerica, subangulata, exarillata, ad umbilicum ventralem excavata, cavitate massa albuminosa, albida, carnosa impleta, lucida, integumento coriaceo! — foliola 5—6 nunc opposita nunc plus minus alterna.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. I. 426. 1 et 3 (cum 427. 6. *Turraea pumila* Bnnt. — Horsf. Pl. jav. II (mihi haud accedit!) Hsskl. Catal. 955. ª. 1.(2) *Didymochiton? littoralis* Hsskl. Adn. 966. 2.

Diagn. Suffrutex pygmaeus hirsuto-pubescens foliis plerumque impari-pinnatis, foliolis 3—5 (rarius 6), ovato-oblongis oblongisve, summo el-

liptico-lanceolato aut obovato-spathulato; infimis subintegris, summo inciso-dentato; inflorescentia axillari dein laterali subracemosa 3—13-flora, pedicellis brevibus, sepalis spathulato-linearibus, subreflexis dein conniventibus petalorum limbo oblongo- aut obovato-lanceolato.

Descrpt. (ad specim. viv.) Fruticulus, radice pilari 3,0 poll. longa, *trunco* simplici erecto 5—8 poll. alto, 0,2 poll. crasso, cortice albido subrimoso, apice rosellam foliorum 10—15 patentium aut reflexorum gerens; partes juveniles (petioli, folia inevoluta et inflorescentia) minutissime stellato-puberulae, adultae glabriusculae aut glabrae; *folia* pinnata; petiolus communis 1,0—1,3 poll. longus, basi tumidus subteres patens; *foliola* 5—6, nunc opposita nunc ± alterna breviter (terminale longius) petiolulata, paris infimi ovato-acuminata, 0,5 poll. longa, 0,3 poll. lata plerumque integerrima; paris alterius oblonga s. oblongo-lanceolata, acuminata, 1,5 poll. longa, 0,6 poll. lata, integerrima aut hinc inde inciso-serrata, incisuris 1—3, rarius 4—5 acutis; terminale elliptico-lanceolatum basi (rarius totum) integerrimum, 1,5—2,0 poll. longum, 0,7—1,0 poll. latum, supra basin irregulariter inciso-serratum, incisuris 2—6, nunc profundis et inde foliolum lobatum imoque 2-partitum et foliola 2 terminalia, integerrima aut inciso-serrata praebentibus; *racemi* axillares, dein lapsu foliorum laterales, primo erecti, dein erecto-patentes, in anthesi patentissimi, fructiferi penduli 1—2 poll. longi, 3—13-flori; pedunculus communis subteres; *pedicelli* solitarii basi bracteolis 3 suffulti, crassiusculi, angulati; bracteola intermedia major, laterales minutae; omnes acutae virides; *calyx* profunde 5-partitus ante et post anthesin connivens, in anthesi patens; laciniae lanceolato-obovatae, acutae, basi attenuatae persistentes vegetae, 0,2 poll. longae, 0,07 poll. latae; *corolla* candida 1,0 poll. longa; petala basi in tubum 0,6 poll. longum connata, limbus liber oblongo-lanceolatus, acutus, 0,4 poll. longus, 0,2 poll. latus patens, reflexus; *tubus stamineus* liber 0,25 poll. longus candidus, decemdentatus; dentes subulati patentes, per paria approximati; antherae dentibus vix longiores iisque alternae sessiles ovatae, mucrone apiculatae,

extrorsae, longitudinaliter rima duplici dehiscentes; *germen* disco hypogyno brevissimo, glanduloso-lobato insertum, tubulo interno conico 0,2 poll. longo candido et styli partem infimam cingente inclusum, pube minuto tectum 3—4-(rarius 5-) loculatum, truncato-3—4(-5)-gonum; gemmulae in loculis geminae; stylus capillaris albidus, tubo stamineo longior; stigma peltato-capitatum, papillosum; fructus atro-virides glabri loculicide 3—4- (rarius 5- saepius abortu 1—2-) loculati, valvis totidem dehiscentes, obtuse 3—4-angulares, 0,25 poll. diametro; *semina* hemisphaerica, subangulata, exarillata ad umbilicum ventralem excavata, lucida; cavitas massa albuminosa, carnosa, candida, impleta; integumentum coriaceum; *albumen* albidum, carnosum, cotyledones tenues viridi-flavescentes albumine cinctae; radicula minuta supera. — Reperi in sylvis humidis litoris Javae occidentalis, prov. Bantam australis; ubi sub nomine sundensi: *Singadépa laùt*, i. e. Bragantia littorea nota.

SAPINDACEAE JSS.

197. IRINE TOMENTOSA Bl.

Char. Gen. cf. Noronh. Verh. bat. Gen. V. 65. Bl. Bijdr. 229. Endl. Gen. 5607, sed petala calycem subaequantia; stamina plerumque 5—6 rarius plura, filamenta in floribus staminiferis longissima, in hermaphroditis brevia; germen 2—3-dymum; stylus in fertilibus longus, in staminiferis brevis; semina arillata (nec exarillata) exalbuminosa; cotyledones induplicatae. — *Nephelio* L. sat affine genus.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 230. Wlp. Rprt. I. 416. 2.

Descrpt. *Folia* saepe impari-pinnata, abortu folioli unius paris terminalis; foliola alterna aut opposita 3—9-juga oblonga aut oblongo-lanceolata, acuminata, basi attenuata, nervis secundariis alteris intra marginem evanescentibus, alteris in denticulum brevem prolongatis, inde margine grosse remoteque serrata; supra in nervo medio, subtus in nervis, petioli et rhachis inflorescentiae fulvo-tomentosi; *inflorescentia* racemoso-spicato-paniculata aut panicula 12—15 poll. alta ramosa; rami spicati; spicae racemulis 2—7-floris dense

tectae; pedunculus racemuli subulato-bracteatus; *calycis* laciniae subulato-lineares tomentosae; *petala* hisce alterna truncato-obovata, minora albescentia; *stamina* in floribus sterilibus longe exserta; *germen* sterile minus, stylus abbreviatus; in fertilibus *stamina* brevia germen vix excedentia; germen majus 2—3-dymum, stylus longe exsertus; annulus aurantiacus genitalia amplectens; antherae cordato-ovatae, laete miniatae; *germen* tomentosum, rubro-fuscum; *fructus* indehiscens oviformis; epicarpium brunneum, glaberrimum, verruculosum, siccum sublignosum; mesocarpium pulpa medullosa, subfarinosa, subrosea farctum, endocarpio adhaerenti; endocarpium papyraceum, cerinum, glabrum; *semen* unicum sessile basi affixum, parte inferiore truncatum, obovatum inversum; arillus semen involvens mucilaginoso-carnosus, diaphanus dein exsiccus; integumentum arcte epidermidi adhaerens, suberoso-coriaceum rufum, intus cuticula arcte adhaerente badia glaberrima vestitum; nucleus exalbuminosus; *embryo* longitudinalis conduplicatus; radicula basin versus spectans, linearis compresso-conica, cotyledones crassae inaequales applicativae, extus ruminatae.

Observ. *Irine glabra* Bl. Bijdr. 230. Wlp. Rprt. I. 415 ad fin. hisce diversa: folia opposita et alterna pinnata; foliola accrescentia 7—11 juga, juga 2—3 infima saepe decidua, foliolis plus minus oblique subrotundis aut ovatis 1,0—2,5 poll. longis, 1,0—2,2 poll. latis, superiorum jugorum ovato-oblongis, oblongis basi rotundatis et ad apicem obovato-oblongis basi attenuatis, omnibus basi acuminatis eodem modo ac in praecedente grosse remoteque serratis utrinque glaberrimis; petiolus communis a latere compressus anceps; paniculae rami basales dein paniculati, caeterum eodem modo compositi ac in priori specie.

198. IRINE? INTEGERRIMA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5607, a quo autem differt nostra: calyce corolloideo nunc 4—6-fido, petalis deficientibus, staminibus 8 rarius 5—6, stylo apice 2—3-fido! — *Nephelio* L. (Endl. Gen. 5617), *Schlei-*

cherae Wld. (Endl. Gen. 5621), pariter ac *Sapindo* L. (Endl. Gen. 5610) accedens! cf. Msn. Gen. 53. Comm. 38. 16. 23b. 19.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 231. Wlp. Rprt. I. 416. 3.

Descrpt. Arbor alta; *rami* crassi; *folia* pinnata; rhachis angulata pubescens; foliola 2—6-juga alterna aut subopposita, unicum saepe terminale, oblonga aut ovato-oblonga, acuminata, basi acuta, integerrima, glaberrima, 7—11 poll. longa, 2—3 poll. lata, subtus subglaucescentia; *inflorescentia* ad apicem rami axillaris, dein lapsu foliorum composito-panaliculata; rami singuli (aut potius inflorescentiae singulae) racemoso-spicati aut racemoso-spicato-paniculati; racemuli pedunculus brevissimus, pedicelli brevissimi, flores aggregati fragrantes; *calyx* subcampanulatus dein patentissimus persistens 5-, rarius 4—6-fidus corolloideus albidus extus tomentosus, intus villosus; laciniae ovatae acutae; *petala* nulla; annulus aurantiacus genitalia cingens; *stamina* 8, rarius 5—6, filamenta brevissima, antherae subglobosae, didymae albescentes; *germen* substipitatum 2-, rarius 3-coccum, hirsutum, tuberculatum; gemmula in loculis solitaria; stylus unicus apice 2-, rarius 3-fidus; stigmata totidem interiorem styli ramorum faciem occupantia; *fructus* (immaturus) viridis 0,7 poll. longus, 0,4 poll. crassus, obverse ovoideus, loculis 1—2 abortivis ad basin fructus lateralibus rudimentariis, mucronato-tuberculatus monospermus; *semen* basifixum. — Nomen sundense: *Língsör*.

199. CUPANIA LESSERTIANA Cmbsd.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5614 ex parte, *Tripha* Noronh. Verh. bat. Genootsch. V. 67. *Mischocarpus* Bl. Bijdr. 238; — discus 5-lobatus antherae basifixae! — Moritzi (Zoll. et Mor. Verz. 22.) *Mischocarpum* Bl. ad *Schleicheram* Wld. ducit sine ullo jure, nam fructus in illo dehiscens, in hac indehiscens, pericarpio crustaceo, ne de aliis signis distinctionis agam!

Char. Spec. cf. Cmbsd. Mem. Mus. XVIII. 46. *M. sundaicus* Bl. Bijdr. 238. Wlp. Rprt. I. 418. 3. *Schleichera trijuga* Zoll. et Moritz. Verz. 22, nec Wld.

Descrpt. Arbor mediocris; *folia* abruptim pinnata aut pinnata cum impari, foliola alterna 3—5 oblongo-lanceo-

lata, acuminata, basi acuta, integerrima, glaberrima, membranacea, supra nitida, subtus opaca, ad venarum origines poro longitudinali lineari, nervo medio parallelo instructa, 5—8 poll. longa, 1,5—2,5 poll. lata; racemi conferti axillares s. terminales 3—5—7 glomerati, brevi pedicellati cum rhachide angulata glabri; *petala* nulla; *discus* 5-lobatus; *stamina* primo erecta dein patentissima; filamenta filiformia albida; antherae in basi emarginata affixae, biloculatae, subtetragonae, apice emarginatae; loculi rima longitudinali dehiscentes; *germen* cf. Bl. l. c. fructus valvati, baccati, coccinei, saepe abortu uniloculati; valvae coriaceae dein sublignosae, apertae persistentes; *semina* solitaria, ferruginea, angulato-subglobosa, arillata, arillus apice appendiculatus, appendice ad apicem seminis replicata, carnosus extus violaceus laevis intus albidus; cotyledones replicatae. — Nomen sundense huic et sequenti speciei commune: *Kihóë.*

200. CUPANIA DIPLOPETALA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5614, petala 5 calyce breviora.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 363. 1, an forsan eadem ac *C. Roxburghii* Wght. Wlp. l. c. 2? Icones Wigthii clss. mihi haud suppetunt!

Descrpt. Arbor mediocris cortice nigro rimosissimo; *folia* alterna abrupte pinnata aut abortu folioli unius paris supremi impari-pinnata; foliola subopposita plerumque 5-juga oblongo-lanceolata, glaberrima, integerrima, basi acuta, apice acuminata, subcoriacea, 4,0—6,5 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata, supra reticulata, subtus minute verrucosa, ad venarum ortus imperforata; *gemmae* cum ramulo juvenili ferrugineo-tomentosae; *inflorescentia* eadem ac praecedentis speciei; *flores* pedicellati, bracteolati, albidi; *calyx* 5-partitus persistens; laciniae exteriores minores virides, interiores petaloideae concavae, albidae; *petala* 5 calyce breviora, obovato-subrotunda, albida, ad basin unguium processibus petaloideis albidis, hirsutis, bifidis, apice crispato-incisulis, petalis incumbentibus, *stamina* 8 sustinentibus; filamenta exserta, ciliata; antherae

ovatae erectae; *pistillum* et *fructus* iis praecedentis speciei similes.

201. NEPHELIUM LAPPACEUM L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5617, flores saepe polygami evadunt, omnes apetali (cf. Wld. Sp. pl. IV. 169. 372.) — cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 113. V. Msn. Gen. 53. Comm. 38. 18.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 365. 3. *Nephelium echinatum* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 80. *Euphoria Nephelium* DC. Prdr. I. 612. Bl. Bijdr. 235.

Descrpt. Arbor alta; *rami* erecto-patentes; *folia* (summa ternata aut) abrupte pinnata, foliola 2—3-juga opposita aut alterna, brevi-petiolulata in petiolo communi 4—7 poll. longo, petiolulo trigono aut semi-tereti supra plano subtus carinato aut rotundato, elliptica aut ovata, utrinque glaberrima, supra lucida 0,1—0,25 poll. longa; *inflorescentia* paniculata terminalis, panicula ramoso-patens; *flores* ad ramos fasciculati; *calyx* campanulatus dein patens, 4—6-fidus; *stamina* 5—7; filamenta annulo glandulari intus inserta libera patentissima, calycem dimidio superantia, albida, villosa; antherae biloculatae; loculi basi distantes, apice tantum ad insertionem filamenti conjuncti, lateraliter dehiscentes; *pistillum* in floribus staminiferis rudimentarium, villosum, subdidymum centrale; in hermaphroditis stipite suffultum; germen 2—3-dymum, una cum stylo nigro-pilosiusculum; stylus ad basin fere 2—3-partitus, apice recurvus; stigma ad interiorem styli paginam; *semina* arillo diaphano, lacteo, dulci carnoso tecta, perispermio adhaerenti; cotyledones crassae, rectae aut subrectae; radicula minuta in extremitate seminis superiore, hilo aversa.

Varietates plurimae in vicinitate urbium ac plagorum coluntur, nonnullae nunc quoque spontaneae aut semi-spontaneae in sylvis reperiuntur. Quoad foliaturam, imoque quoad fructus hybridae videntur inter hanc speciem, ac *N. glabrum* Cmbsd. (an idem ac *N. rimosum* Wlp. Rprt. V. 365. 4?), ita ut, si fructus non haberemus, difficile esset speciem arboris destinare. (Hsskl. Diagn. nov. 163.) — Hoc loco nonnullas

varietates principales eorumque signa distinctionis, quantum enucleare potui, indicabo.

α. Rámbutan átje lötik (minus): folia acuta aut breviter acuminata, basi acuta aut obtusa, coriacea, 3—8 poll. longa, 2—3—5 poll. lata; fructus subgloboso-oblongi, hinc bini, saepius solitarii, sanguinei, remote criniti, crinibus apice recurvis viridibus.

β. Rámbutan átje gedè (majus): folia apice obtusa aut profunde emarginata, basi acuta, 4,0—5,5 poll. longa, 2,0—2,5 poll. lata; fructus immaturi, subglobosi, longe densissimeque criniti, maturi subgloboso-ovales a latere compressiusculi, antecedenti fere duplo majores, 2,2—2,0 poll. longi, 1,7 poll. lati.

γ. Rámbutan átje bôdas (album): foliola ovata aut ovato-elliptica, 3—5 poll. longa, 2—3 poll. lata, obtusiuscula, basi rotundata aut acuta, coriacea; fructus crines albido-flavescentes, caeterum antecedentis.

δ. Rámbutan átje kómeng (flavum): folia speciei sequentis; fructus in panicula racemosa terminali obverse-oviformes, immaturi aurantiaci, maturi phoenicei, crinibus apice curvato-hamatis minoribus; arillus acidulus.

ε. Rámbutan átje gúndil: foliola obovata aut elliptica utrinque plerumque acuta, 3—9 poll. longa, 1,2—4,0 poll. lata: fructus obverse oviformes gilvo-subsanguinei, 1,7—2 poll. longi, 1,2—1,5 poll. crassi, longiter ac tenuiter criniti, crinibus apice flexuosis 0,7 poll. longis a latere compressis; arillus dulcis.

ζ. Rámbutan gúndil: folia fructusque antecedentis, fructus miniati dein phoenicei, crinibus erectis sanguineis, apice curvato-hamatis, 1,2 poll. longi, 1,0 poll. crassi; arillus acidulus.

η. Rámbutan gúndil piit: folia antecedentis sed minora; fructus subglobosi atro-sanguinei, diametro longitud. 1,0 poll. transvers. 0,7—1,0 poll., crinibus parvis dein marcescenti-deciduis; arillus dulcis.

ϑ. Rámbutan átje húrung: foliola inter latissima, valde

lucida, ovata aut obovata, acuta, obtusa imoque emarginata, basi obtusa s. plerumque attenuata, 3—9 poll. longa, 1,5—4,0 poll. lata; fructus oblongo-oviformes phoenicei longiter ac tenuiter criniti, crinibus plus semi-pollicaribus atro-sanguineis, apice viridibus, 1,5 poll. longi, 1,2 poll. crassi; arillus acidulo-dulcis.

ι. *Rámbutan pùlu túntun*: folia praecedentis, fructus oblongo-subglobosi, 1,2 poll. longi, 0,8 poll. crassi, longissime criniti phoenicei, pericarpium tenuius, quam in reliquis, crinibus filiformibus, semi-pollicaribus; arillus acidulus.

κ. *Rámbutan pùlu gedè* (pilosum majus): folia praecedentis; fructus subglobosi, coccinei, criniti, 1,5 poll. longi et crassi, crinibus subrectis, arillus acidulo-dulcis.

λ. *Rámbutan pùlu lötik* (minus): folia antecedentis; fructus obverse-oviformes densissime aggregati, phoenicei, longiter criniti, 1,2 poll. longi, 1,0 poll. crassi, crinibus curvatis, semi-pollicaribus, apice viridiusculis.

μ. *Rámbutan ramúntan*: folia iis γ. similia sed foliola acutiora; fructus oblongi 1,5 poll. longi, 0,7—1 poll. crassi, citrini, longiter criniti, crinibus semi-pollicaribus, apice flexuosis albescentibus; arillus dulcis.

ν. *Rámbutan serógol*: folia speciei sequentis; fructus oblongi, inter majores, 2 poll. longi, 1,5—1,7 poll. crassi, tuberculati, tuberculis elongatis, atro-sanguinei; arillus dulcis.

ο. *Rámbutan lötik hidüng* (minus nigrum): folia et rami speciei; fructus obverse-oviformes s. oblongi tuberculato-semi-criniti, atro-phoenicei, crinibus plerumque deciduis et tum tuberculis mucronatis, 2,0 poll. longi, 1,0—1,2 poll. crassi; arillus acidus.

π. *Rámbutan léngsar* (Lengsar nomen *Irinae tomentosae*): rami crassissimi; foliola 6-juga in petiolo communi 10 poll. longo, subopposita, oblonga, acuta, 7,5 poll. longa, 2,0 poll. lata, subtus glauca, puberula; fructus obverse-oviformes, verrucoso-tuberculati, phoenicei, 1,2 poll. longi, 1,0 poll. crassi in panicula racemosa terminali; arillus acidulus.

202. NEPHELIUM GLABRUM Noronh.

Char. Spec. cf. Noronh. Verh. bat. Gen. V. 80. Rnwdt. in Bl. Cat. 111, Hsskl. Catal. 992. 2. Wlp. Rprt. I. 420. 1. *Euphoria* Bl. Bijdr. 233; an *N. rimosum* Wlp. l. c. V. 365. 4?

Descrpt. Arbor alta; *rami* graciles, tenuiores, ac in specie normali praecedente; *folia* pinnata; petiolus communis 5—9 poll. longus subteres; foliola alterna s. opposita, 3—5-juga saepe cum impari, oblonga aut elliptica, obtusa imoque emarginata, acuta aut breviter obtuseque acuminata, basi acuta, utrinque glabra, subtus glaucescentia nervis subpinnatis; *paniculae* laxae; *flores* minores, sed caeterum cum specie anteced. plane congrui, excepto germine haud pilosiusculo sed verruculoso, stylo apice tantum bifido, laciniis reflexis intus tantum stigma gerentibus; *fructus* subsolitarii *nondum maturi* subglobosi versus basin rudimentum germinis partis alterius gerentes, diametro pollicari, densissime tuberculis basi arcte sibi adpressis et connatis, apice liberis et rotundatis glabris tecti; *maturi* obverse-oviformes phoenicei, tuberculati, 2,0—2,2 poll. longi, 1,7 poll. crassi; arillus dulcis. — Nomen sundense: α. *Pulásan bürrüm* (rubrum) adest *varietas* quoad fructus ab antecedente haud diversa, sed foliolis in ramis firmioribus petiolo communi 9 poll. longo suffultis, obovato-oblongis, acutis aut obtusis, imoque retusis, utrinque glaberrimis, subtus glaucescentibus, 3,0—4,5 poll. longis, 1,5—2,0 poll. latis; *altera varietas* nomine haud diversa sundensi, foliis gaudet oblongis aut obovato-oblongis, acutis aut obtusis 2,0—3,5 poll. longis, 1,5 poll. latis subtus glaucescentibus, fructibus plerumque solitariis coccineis obverse-oviformibus tuberculatis, 1,7 poll. longis, 1,5 poll. crassis.

β. *Pulásan hidüng* (nigrum): fructus oviformi-subglobosi, tuberculati, atro-sanguinei, 2,0 poll. longi, 1,7 poll. crassi; arillus dulcis.

γ. *Pulásan bódas* (album): folia e ramis gracilibus alterne pinnata, foliola 3—5-juga, oblonga aut ovato-oblonga, utrinque acuta, 2,0—4,5 poll. longa, 0,7—1,7 poll. lata, supra lucida, subtus glaucescentia, submembranacea in petiolo

communi 2,0—4,5 poll. longo; fructus (altero plerumque abortivo) subsolitarii obverse-oviformes tuberculati, straminei aut crocei, 1,7 poll. longi, 1,5 poll. crassi; arillus dulcis.

203. SCHLEICHERA AMOENA WLP.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5620 et 21. Msn. Gen. 53. Comm. 38. 23 et 23.[b] Jure *Melicocca* cum *Schleichera* Wld. conjungenda! — Hsskl. Adn. 993.1. Catal. p. 225.(2) — Wght. et Arn. Prdr. I. 114 suadent sejunctionem generis utriusque ob calycem 4-partitum, petala 4, stamina 8, germen biloculatum, drupam monospermam et embryonem rectum; et dicunt, combinationem hancce signorum certe sufficere ad distinguenda genera; sed arbor nostra pariter unum ac alterum repraesentat genus, vinculum inter utrumque format et subgeneri *Sphaerococco* DC. Prdr. I. 615 equidem speciei *M. dentatae* forsan adnumeranda erit.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 366. 1.

Descrpt. Frutex arboreus aut arbor humilis; *rami* erecti, crassi teretes; *folia* pinnata cum aut absque impari, patentia, juvenilia incarnata, persicina, kermesina imoque punicea; petiolus communis 18—24 poll. longus et ultra, teretiusculus (nec alatus), glaber, 20—25 opposita alternave accrescentia, bina basilaria, stipuliformia, obversa, subrotunda, torta, ramos plane obtegentia, integerrima; reliqua ovato-oblonga, summa oblonga aut oblongo-lanceolata, acuminata, basi obliqua altero latere rotundata, altero subattenuata, 3,0—5,5 poll. longa, 1,2—1,7 poll. lata, glaberrima, integerrima, transverse alternatim pinnato-nervosa, nervis ramosis, sessilia; *inflorescentia* terminalis ramoso-paniculata; rami patentes aut patenti-erecti, glaberrimi subteretes; ramuli patentes plus minus abbreviati, *flores* aut staminiferi aut hermaphroditi breviter pedicellati flavescentes; *calyx* 5-partitus, laciniae 2 exteriores minores, 3 interiore majores, omnes ovatae, acutae, concavae patentes corolloideae, albidae; *petala* 3 minuta, in floribus staminiferis vix distinguenda, squamaeformia, in hermaphroditis saepe magis evoluta breviter unguiculata, subrotunda, cyathimorpha convoluta, margine crispatula vix lineam superantia; *stamina* 6—8, rarius 9, cum petalis disco aurantiaco ad marginem externum inserta; filamenta patentia, albida,

hirsuta, antheris breviora; antherae terminales oblongo-lineares acutae, hirsutae, biloculatae, loculi lateraliter dehiscentes; *germen* trigono- aut tetragono-globosum, tomentosum, sulcatum, staminibus aequilongum, 3—4-loculatum; gemmulae in loculis solitariae; stylus crassus brevis cylindricus; stigma obtusum; *fructus* coriaceus indehiscens croceus, trigono-depressus, globosus, triloculatus; loculi monospermi; *semina* carnoso-arillata, erecta, arillus albidus, diaphanus; integumentum chartaceum, badium, glaberrimum; *albumen* nullum; *embryo* rectus, cotyledones crassissimae subaequales applicativae; radicula brevissima conica in extremitate seminis inferiore versus basin spectans.

204. STADMANNIA SIDEROXYLON DC.

Char. Gen. cf. Lam. Ill. t. 312. DC. Prdr. I. 615. Hsskl. Adnot. 995. 1. Catal. p. 225.(3) — Genus a clss. Cambessedes (cf. Endl. Gen. 5614 et Wght. et Arn. Prdr. I. 113) *Cupaniae* adjectum, cui longe diversum: fructibus globosis, racemosis, apice styli rudimento persistente apiculo mucronatis; pericarpio glabro, alutaceo, indehiscenti fulvo; seminibus arillo pulposo-succoso arcte inclusis solitariis. — *Nephelium* inter et *Sapindum* collocandum genus!

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 615. 1. Bl. Bijdr. 237. Hsskl. Adn. l. c. Rmph. amb. III. 98 t. 65 excl. A, quae icon fructum forsan *Cupaniae* cujusdam designat! folia autem in icone Rmph. nimis acuta et inflorescentia in nostra magis lateralis infra folia juniora, haud terminalis; dein fructus globosi racemosi, vid. supra ad gen. Folia plerumque truncata s. praemorsa, acumine centrali minutissimo. — Succus arilli lente acidus fere *Nephelii lappacei*. — Nomen sundense: *Kosámbi.*

205. DODONAEA VISCOSA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5626, stylus anceps, stigmata 2, capsula diptera, 2-loculata, semina in loculis gemina; germen stipite subgloboso suffultum.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 996. 1, ubi, uti jam Wight. et Arn. Prdr. I. 115 dubiose affirmant, *D. Burmannia* DC. (Prdr. I. 616. 5. Wght. et Arn. l. c. 114. 389) cum *D. viscosa* L. (DC. l. c. 1) est conjuncta. Bl. Bijdr. 237. — Wld. Sp. pl. II. 343. 1. — Wlp. Rprt. I. 421. 4.

Descrpt. Arbor mediocris, folia obovato-oblonga aut oblongo-lanceolata, 3,0—4,5 poll. longa, 0,7—1,2 poll. lata, acuta, obtusa imoque retusa, basi cuneato-attenuata, viscosa,

transverse venosa, margine revoluta; racemi axillares; *flores* pedunculati; pedunculus teres 0,5 poll. longus; *calyx* 3—4-partitus, patens dein reflexus deciduus flavescenti-viridis, laciniae oblongae, concavae, acutiusculae; *stamina* 6—8, calycis laciniis partim opposita, partim alterna ad basin stipitis subglobosi pallidi; filamenta minima e basi latiore subulata; antherae oblongae subtetragonae, filamentis longiores, lateraliter rima longitudinali dehiscentes dein patentes deciduae; *germen* stipite subgloboso insidens, a lateribus compressum subalatum, apice cordato-emarginatum, atro-viride papillosum biloculatum; gemmulae in loculis geminae, altera pendula, altera erecta aut adscendens superpositae, medio receptaculo insidentes; stylus crassus luteo-viridis clavatus, germine longior, apice subbifidus; stigmata 2; *fructus* membranacei, bialati, apice et basi profunde cordati, 0,7 poll. longi, 1,0 poll. lati, ala 0,15 poll. lata, biloculati, bivalves marcescentes; valvae carinatae; *semina* in loculo quodam bina nervo medio (receptaculo) dissepimenti membranacei insidentia juxtaposita, alterum pendulum alterum erectum, subglobosa, umbilico excavato, nigrescentia, 0,1 poll. crassa; integumentum coriaceum, exarillatum, albumen nullum; *embryo* circinatus; cotyledones incumbentes; radicula versus hilum spectans. — Nomen sundense: *Tjantigie*, omnibus fere arbusculis aut fruticibus, summorum montium incolis, commune; s. *Kitjòng-tjòrang*.

Observ. Huic generi valde affine videtur *Cardiopteris* Wll. Bl. Rmph. III. (ubi? opus mihi haud suppetens), quod idem ac *Peripterygium* Hsskl, Adn. 1029. 1. Catal. p. 234.(3) — Endl. Gen. 5638. Observ., quod genus tum tempore ob succum lacteum aliaque signa haud rite aestumata *Euphorbiaceis* adscripsi! — *Card. lobata* Wll. = *Peript. quinquelobum* Hsskl. cf. Zoll. et Moritz. Verz. 23.

POLYGALACEAE JSS.

206. CHAMAEBUXUS VENENOSA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5647. *Polygala* L. subgen. g. *Chamaebuxus* DC., quod jure a *Polygala*, uti jam clbrr. Blume (Bull. sc. nat. XI. 66) monuit, sejungendum, pariter ac a *Badiera* diversum habendum. Cf. Hsskl. Diagn. nov. 130, ubi dubiose *Polygalae* adscripsi; Zoll. et Mor. Verz. 21 speciem hanc et *Ch. pulchram* Hsskl. denuo *Polygalae* adscribunt. In Catalogo horti bogoriensis eisdem verbis, sed dubiose, *Badierae* adscripsi speciem utramque, cui certe multis partibus affinem habeo. Cf. Endl. Gen. 5648 et Sppl. III p. 96.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 331. 130. Bl. Bijdr. 59. Sprg. Syst. Veg. III. 164. 18, sed majori jure inter. 100 et 101 p. 169 l. c. pertinet. — Hsskl. Diagn. nov. 130. Catal. 999.b. 1.(1) Wlp. Rprt. V. 64. 1.

Descrpt. Frutex 4—10 ped. altus; *rami* erecti pauci complanato-teretes glaberrimi, e petiolo saepe a latere compresso carinato decurrente costati; *petioli* supra plani vix pollicares rubescentes; *folia* alterna obovato-oblonga, oblonga aut elliptico-oblonga, acuminata, basi longiter attenuata integerrima, 5—7 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata, nervo medio subtus crasso acuto, reticulata; *inflorescentia* oppositifolia aut lateralis racemosa; racemi penduli 1—2 pollicares et ultra multiflori, floribus inversis; *calyx* 5-sepalus, sepala 2 antica subrotundo-ovata, viridia, diaphana, glaberrima, minuta, posticum cucullatum majus, a latere compressum planum semiorbiculare apice emarginatum, coloratum, subroseum, diaphanum, bina interiora lateralia multo majora, 0,5 poll. longa, alaeformia patentia, obovata, basi cuneata, apice concava, albida, nervo medio roseo; *petala* tria, bina inferiora margine inferiore libera, margine superiore petalo superiori tertio adnata ideoque petalum unicum quasi formantia sed apice denuo libera, late linearia sigmoidea, apice rotundata, albida, in maculis et apice rosea glaberrima longitudine alarum sed angustiora; petalum superius inferioribus adnatum, apice liberum roseum breviter galeatum, faucemque claudens subarticulatum; glandula callosa, lutea, conferruminata maxima, apici insidens; *stamina* 8, fauci petali superioris inserta inclusa (aut

potius in tubum connata, tubo filamentoso petalis connato); filamenta capillaria, albicantia, falcato-reflexa; antherae terminales uniloculatae, bivalves rima transversali in vertice dehiscentes; *germen* basi annulo glandulifero lutescente cinctum, didymum a lateribus compressum, atro-purpureum, glaberrimum, apice emarginatum, biloculatum; gemmulae in loculis solitariae pendulae; stylus adscendens albidus filiformis, dein bis falcato-flexuosus; stigma bifidum viridiusculum; *fructus* compressi, sulcati, obcordati virides, alato-marginati, margine canaliculato violaceo bivalves; *semina* vid. Wlp. Rprt. V. 64. 2. adnot. — Cum *Ch. pulchra* Hsskl. in sylvis humidis montanis inter 3—5000 ped. altitudinem copiosa, Sundensibus sub nomine: *Katutingkul* nota.

207. SECURIDACA INAPPENDICULATA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5653 et Endl. Sppl. III. *Lophostylis* Hochst. 5652/2.

Char. Spec. cf. *S. paniculata* Lam. DC. Prdr. I. 341. 8 et *S. pubiflora* Bnth. Wlp. Rprt. I. 247. 16. — Hsskl. Dec. nov. 132. Catal. 1000. 1.(3) Wlp. Rprt. V. 67. 1.

Diagn. reform.: Scandens foliis oblongis s. ovato-oblongis, acutis, basi obtusis s. acutis, supra glabris, nitidis, subtus glaucis adpresse puberulis; panicula subracemosa, griseo-tomentosa; alis obovatis concavis, carina naviculari medio constricta et apice complicato-lacera, albescenti-marginata: ala fructus longa inappendiculata.

Descrpt. Frutex scandens debilis: *rami* teretes glabri; *folia* subdisticha oblonga s. ovato-oblonga, basi acuta aut obtusa, apice acuta aut breviter obliqueque acuminata, subcoriacea, supra glabra nitida, subtus glauca minutissime adpresse pilosa; *petiolus* semi-pollicaris subteres puberulus; nervus medius subtus rubescens; *inflorescentia* paniculato-racemosa ad apicem ramorum; rami distichi cum ramulis griseo-tomentosi; pedicelli patentes glaberrimi, lucidi purpurei; *calyx* 5-sepalus; sepala bina exteriora semi-imbricata, tertio exteriori opposita erecta, corollae adpressa, omnia minuta purpurea; bina interiora alaeformia, rosea, patentia, obovata, concava, sepalis exterioribus alterna, in anthesi corollam amplectentia; *corolla* 5-petala; petala bina lateralia minutissima,

abortiva; reliqua inter se et cum filamentis connata, bina aequalia superiora sepalo solitario opposita, purpurea in apice reflexo citrina minutissime lacinulata, 5-tum interius (carina in anthesi) limbo roseo, cum tubo corollino articulatum, a lateribus compressum inde naviculare, medio constrictum et apice complicatum lacerum, albescenti-marginatum, antheras occultans; *filamenta* monadelpha in tubum supra fissum connata apice libera tenuissima; *antherae* 8—10 erectae, lineari-oblongae, tenerae, biloculatae; loculi lateraliter(!) rima longitudinali dehiscentes; *germen* 1-loculatum, a lateribus compressum, ovatum s. potius lenticulare, gemmula in loculo unica, altero latere acutum, altero *stylo* crassissimo laterali sulcato apice falciformi; *stigma* capitatum viridiusculum; *fructuum dispositio* axillaris racemosa, dein lapsu foliorum paniculato-racemosa subterminalis; pedicelli fructiferi pollicem vix longi teretes debiles, glabri virides, ad basin fructus cicatrice lata circulari (calycis et corollae residuis) donati; *fructus* subglobosus angulatus aut polyëdrus glaberrimus, diametro 0,3 poll. apice in alam 3 poll. longam et ultra productus; *alae* basis 0,2—0,3 poll. lata inappendiculata crassa, dein in nervum dorsalem elongata ad alterum latus tantum membranaceo-alata; ala 0,9 poll. lata, apice oblique subrotundata basi attenuata; *semen* pedulum subglobosum; *radicula* in extremitate seminis superiore versus hilum spectans minutissima, cotyledones crassissimae hemisphaericae; *albumen* nullum. — Nomen sundense: *Kíndog*, i. e. ovum s. vitellum.

208. XANTHOPHYLLUM VITELLINUM Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5657. Msn. Gen. 23. Comm. 20. 11, qui genus hocce ob stipulas subspinescentes (Bl. Bijdr. 61) *Krameriae* affine dicit, quas frustra in omnibus speciebus quaesivi, cf. Endl. l. c. — Hsskl. Adnot. 1001. 1. Catal. p. 227.(4) — *Jackia* Bl. Cat. 17 et 64. Bijdr. 60. *Xanthophyllum* Bl. Fl. Jav. Praef. VIII. Sprg. Gen. 1587. *Monnina* R. et P. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 265. Sprg. Gen. 2776.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 61. Cat. 18 et 64.

Descript. Arbor humilis; *folia* elliptico-oblonga breviter oblique et obtuse et plerumque oblique et obtuse acuminata, co-

riacea, subtus flavo-virentia, 5—6 poll. longa, 1,5—2,5 poll. lata; *calycis* sepala bina interna caeteris dimidio breviora nec petaloidea; *petala* 5, 4 superiora subaequalia (2 lateralia et 2 superiora = alae cum vexillo bipartito) lineari-lanceolata, basi attenuata, apice acuta, concava, gilva, dein deflorata cerina, inferius quintum carinaeforme lilacinum, *stamina* subocсultans, basi cum caeteris subconnatum; filamenta ad basin antherarum barbata albida; antherae minutae; *germen* subglobosum striis octo elevatis, fuscum pubescens; *fructus* carnosus, globosus, subpilosus, 0,5—0,6 poll. diametro, uniloculatus indehiscens monospermus; *semen* supra extremitatem inferiorem lateraliter affixum albuminosum; *albumen* carnosum periphericum parcum; *embryo* maximus, cotyledones crassae, cordatae inaequales, pagina interiore altera concava, altera convexa, applanata; radicula versus hilum spectans inter lobos cotyledonum basi gibboso-prominula. — Nomen malaicum: *Kitellòr*, sundense: *Kindog*, i. e. Lignum vitellinum.

OXALIDEAE DC.

209. OXALIS (BIOPHYTUM.) SENSITIVA L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 57. Comm. 42. 2. Endl. Gen. 6058.m. Wght. et Arn. Prdr. I. 142 char. spec.

Char. Spec. cf. *Biophytum sensitivum* Bl. Bijdr. 242. Wght. et Arn. Prdr. I. 142. 466 (an eadem ac Wlp. Rprt. I. 491. 180?) plane congruens! *O. Reinwardtii* Zucc. Wlp. Rprt. I. 476. 3 differt: foliolis lineari-oblongis, pedicellis calycem, fructui subaequalem, plus quam duplo superantibus. *O. nuda* Arn. Wlp. l. c. 5 valde affinis.

Descrpt. Herbae basi suffrutescentes in graminosis umbrosis prope *Bataviam* et *Bidara-tjina* sat vulgares; *caulis* nunc erectus, nunc procumbens apice adscendens, constricto-nodulosus 5—14 poll. longus, 0,1—0,2 poll. crassus, versus apicem incrassatus, totus minute et adpresse puberulus, viridis ad nodulos subroseus; *folia* in apice caulis rosulatim congesta comam 2—3 poll. altam, 6—8 poll. latam formantia, inferiora minora patentissima, superiora majora erecto-patentia, accressenti-, abruptim pinnata; *petioli* basi sub-

globoso-incrassati, apici caulis subgloboso inserti, ibique articulati; inferiore parte nudi, dein subtrigoni tenues pallescenti-virides, supra plani, subtus carinati antrorsum puberuli, apice mucrone subuliformi 0,06 poll. longo muniti, 1,0—3,2 poll. longi, subcurvati, apice cernui; *foliola* 5—12-juga, ope articuli nodulosi flavescentis (petioluli valde abbreviati) inserta, inferiora subopposita, minuta, deltoideo-ovata, aut rhombeo-oblonga, acuta, 0,15 poll. longa et lata, paris secundi et tertii rhombeo-oblonga, 0,2—0,3 poll. longa, 0,15—0,20 poll. lata, uti et reliqua omnia apice rotundata, mucronulata, paris summi obovato-oblonga 0,5—0,6 poll. longa, 0,20—0,30 poll. lata, reliqua omnia subquadrangulari-oblonga, subfalcato-curvata, sensim magnitudine inter summa et infima transeuntia; omnia inaequilatera, summi paris latere externo basi attenuata, caetera basi truncata, latere externo paullo angustiora, supra atro-viridia, glabra, subtus glauca, nervo medio cum lateralibus subtransversis, parallelis, prominulis, eleganter notata, margine, praeprimis paris summi, ciliata, reliqua dein glabrata, sole influente patentia, in planitie horizontali unica posita, tactu autem aut obumbrata, recubantia, per paria se invicem facie inferiore tegentia, verticalia, pendula; *pedunculi* intra folia umbellatim inserti, 4—20 erecti, stricti, succedanei, *bracteis* minutis, lineari-subulatis, 0,1 poll. longis, interstincti pallescenti-virides, una cum calyce puberuli e pilis densis minoribus filiformibus, subulatis, acutis, articulatis nec ad articulos constrictis et pilis aliis plus 2-plo majoribus patentibus apice globoso, succo glutinoso foeto, umbelliferi; *umbellae* 5—20-florae, succedaneae, ad basin bracteis basi conniventibus apice patentibus subinvolucratae; *bracteae* ad basin floris cujusque 3-nae, intermedia major, oblongo-lanceolata, acuminata, trinervia viridis 0,1 poll. longa, longe ciliata, binae collaterales quartam partem majoris tenentes, ovato-lanceolatae, acuminatae, hyalinae, 1-nerviae, nervo viridi, longe ciliatae, ciliis basi bulboso-incrassatis, unicellulosis, setoso-acutissimis, strictis, antrorsis, hyalinis, intus corpusculis minutis foetis, dorso pilis (glanduliferis) capitulatis, uti calyx

obsessae; *pedicelli* teretes pallide virides, 0,1 poll. longi, primo erecti, dein patentes, postremo in fructu maturo denuo erecti; *calyx* viridis glanduloso-pubescens, 5-partitus persistens; *laciniae* lineari-lanceolatae, acuminatissimae, intus glaberrimae, lucidae, 6—7-nerviae, 0,25 poll. longae, 0,03 poll. latae, imbricativae, internae paullo angustiores; *corolla* aurea horis matutinis et meridianis aperta, post meridiem corrugato-involuta, calyce longior subcampanulato-patens, diametro 0,3 poll.; *petala* 5, ima basi libera, attenuata, unguiculata, supra cohaerentia, conglutinata in corollam, basi plicato-pentagonam, pseudo-gamopetalam, cuneato-linearia, 3-nervia, 0,3 poll. longa, limbo latiore truncato, subcordato, 0,12 poll. lato, intensius colorato; *stamina* 10, alterna breviora; *filamenta* albida, filiformia, tenuissima, erecta, medio subcurvata, ciliolata, 0,15—0,10 poll. longa; *antherae* subglobosae, basi subbilobae, minutae, erectae, 2-loculatae; *loculi* longitudinaliter dehiscentes; *pollen* ellipsoideum albidum; *germen* ovatum, viride 5-sulcatum; *styli* 5 filiformes staminibus brevioribus et calycis laciniis oppositi, jam ante anthesin revoluti, in anthesi conniventes in stylum cylindricum, crassum, germinis fere longitudine, 5-sulcatum, apice 5-fidum, cum germine 0,6 poll. longum; *stigmata* 5, apice bifida, subreflexa, inter antheras staminum longiorum et breviorum, lobis flabelliformibus; *loculi* 5; *gemmulae* in quoque 3—4, ope funiculi longi pendulae ovatae, candidae, lucidae, apice acumine incurvato terminatae; *fructus* viridis oblongus, calyce longiore inclusus, apice stylis conniventibus mucronulatus, 5-angularis, 5-sulcatus, 5-valvis; *valvae* dein patentes septiferae, calycis laciniis oppositae, apice stylo terminatae, ciliatae, oblongo-ovatae, 0,1 poll. longae, persistentes, dein patentissimae; *semina* in loculo quoque 3—2, ovato-oblonga transverse sulcata et inter sulcos tuberculata, acuta, hyacinthina, in funiculo candido pendula, ope membranae externae (testae) albidae, lucidae dehiscentis et elastice revolventis e fructu desilienti ejecta; *albumen* copiosum, *embryo* rectus. — Mensibus Januario ad Majum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

MALVACEAE*) JSS.

210. SPHAERALCEA TRIFLORA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5272. Msn. Gen. 26. Comm. 22. 7, sed coccis 4-spermis praedita est! pedunculisque plurifloris (cf. Wlp. Rprt. II. 789)! cf. Schlecht. Linnaea XI. 352.

Char. Spec. cf. Hsskl. Adnot. et Catal. 877. 1. *Sphaeroma* Hsskl. Diagn. nov. 155. — Aff. *Sph. floribundae* Wlp. Rprt. II. 789. I. et *Sph. cisplatinae* Wlp. Rprt. I. 296. 4.

Diagn. Suffrutex humilis, foliis cordato-ovatis, acutis, dentato-serratis, ramisque tomentosis, subtus incanis, pedunculis axillaribus, 3-, rarius 5-floris.

Descrpt. *Rami* teretes, brunnei, juniores incano-virides tomentosi; *folia* sparsa, petiolo semi-tereti, 1,0 poll. longo, peltata, cordato-ovata, acuta, nunc acuminata, 5-tuplinervia, duplicato serrata, nunc dentata, utrinque tomentosa mollia, supra viridia, subtus incana; *pedunculi* 1,3 poll. et ultra longi, 3—5-flori; *flores* in apice pedunculi subcymosi; pedicelli 0,2—0,3 poll. longi; *involucelli* foliola ovato-lanceolata, basi cuneato-attenuata, apice subulata, acuminata, decidua; *calyx* profunde 5-partitus, sub-5-phyllus, tomentosus; laciniae ovato-lanceolatae, acuminatae; *corolla* laete crocea; caet. vid. Endl. Gen. l. c., *capsula* subglobosa, tomentosa, 5-loculata, cocci 4-spermi.

211. HIBISCUS FICULNEOIDES Lndl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5277.b. *Ketmia* DC. (Prdr. I. 448. IV.) Msn. Gen. 27. Comm. 23. 17 et 22 (add. 343.)

Char. Spec. cf. *Abelmoschus* Wlp. Rprt. I. 309. 19. *H. mauritianus* Sprg. Syst. Veg. cur. post. 258, an nova species? nomine: „*H. glaberrimi*" salutanda et hisce notis distinguenda: frutex glaberrimus, foliis petiolatis, cordatis s. subcordato-rotundis, integris, 3-lobis, aut 5-lobis, crenatis, pedunculis solitariis, elongatis. — *H. micans* Cav. DC. Prdr. I. 448. 24 differt: foliolis involucelli 5—7, foliis 5-angularibus, acuminatis et (e Sprg. Syst. Veg. III. 103) tomentosis. — *H. borbonicus* Lk. (DC. Prdr. I. 455. 106. Sprg. Syst. Veg. III. 104) foliis subtus tomentosis, involucri foliolis 5, oblongis, longe acuminatis, basi attenuatis, corolla flava differt.

---

*) De hoc et sequentibus ordinibus *Columniferarum* confer. Hsskl. in Tydschr. Naturl. Gesch. et Physiol. T. XII.

Descrpt. Frutex erectus, cortice cinerascente; petiolis 0,7 — 1,0 poll. longis, rubentibus, subteretibus, sparsis; *folia* cordata aut cordato-subrotunda, hinc (praeprimis in ramulis lateralibus, minutis) triloba, aut sub-5-loba, lobis oblongis obtusiusculis, crenato-dentata, subcoriacea, glaberrima, aspera, supra viridia, nitida, subtus pallidiora, opaca; *pedunculi* ad apicem ramorum axillares, petiolos duplo fere superantes, ad florem articulati; *involucrum* 9-foliolatum, foliola subulata, subpatentia; *calyx* tubulosus, 5-fidus, glaberrimus; laciniae lanceolatae, patenti-erectae; *corolla* speciosa, rosea, patens; petala basi sanguinea, 2—5 poll. longa, 1,2 poll. lata, oblique-obovata; *tubus staminifer* petalis vix aequilongus; basi roseus, supra albidus; *stylus* apice 5-fidus; stigmata capitata, rosea, tomentosa; *capsula* obsolete-pentagona, prismatica, apice pyramidata, glaberrima, 5-valvis, 5-loculata, valvae medio septiferae, loculi polyspermi; *semina* hirsutiuscula (in dorso). — Nomen sundense: *Kembàng spàtu gedè*, i. e. Hibiscus Rosa Sinensis magna.

212. HIBISCUS CALLOSUS Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5277, nec non *Lagunaria* Don Endl. Gen. 5282. Msn. Gen. 27. Comm. 23. 19., qui *H. Lampas* ad *Lagunariam* ducit, cujus varietatem habet speciem nostram Sprengelius divus, in curis suis posterioribus pag. 258. — Ob capsularum loculos polyspermos certe *Hibisco* adnumeranda species. — Cf. Hsskl. Adnot. Catal. 879. 5.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 67. Sprg. l. supra cit. (in Repertorio Walpersiano omissa sp.) Arborescens, foliis cordatis, semi-trilobis, acuminatis, summis cordatis, aut ovatis, in nervo medio subtus supra basin poro lineari notatis, subtus stellato-puberulis, pedunculis elongatis, subracemosis; involucello minutissimo, basi calloso, et calyce 5-dentato glabris, capsula ovali, leviter pentagona, calyce 3-plo longiore. — Corolla sulphurea, patens, magna, facie *Gossypiorum*, unde et nomen sundense: *Kakapásang kónneng*, i. e. arbor Gossypina, lutea; malaice: *Kapàs útan*, i. e. Gossypium sylvestre.

213. HIBISCUS GREWIAEFOLIUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Hsskl. Catal. 879. 6. (2) — *Bombycidendrum* Zoll. Bat. Arch. II. p. 12—14. Zoll. et Mor. Verz. 29. Ob capsulam 10-loculatam, 5-valvem *Decaschistiam* W. et A. inter et *Paritium* Hil. po-

nendum genus *), si novum!? ob semina lana gossypina involuta ad *Bombicellam* DC. ducendum! cf. Endl. Gen. 5285. 5283. 5277.d. Msn. Gen. 27. Comm. 23. 12. 14. 17. — Wght. et Arn. Prdr. I. 52. VIII. VII. 51. VI. §. 4.

Char. Spec. cf. Hsskl. Cat. p. 197 et 311. Wlp. Rprt. V. 91. 2. Arbor mediocris, foliis breviter petiolatis, oblongo-lanceolatis, sub-3-nerviis, basi rotun-

---

*) Liceat mihi hoc loco reddere descriptionem fusiorem cll. *Zollingeri* l. c., ubi verbatim:

Genus novum?! *Hibisco, Paritio* et *Decaschistiae* affine; et primi sectionem *Bombicellae* cum secundo et tertio jungens; jam in genus novum constituere nondum audeo (p. 12). Si vere, ut censeo, genus novum est, a nobis *Bombycidendron* Z. et Mor. dicitur (p. 14).

Involucellum 6—10-phyllum, *foliola* linearia, acuta, villosiuscula, sinubus latis separata 2½—3‴ longa persistentia. *Calyx* (*Decaschistiae*) persistens campanulatus, tubo ovario arcte adpresso, limbo 5-fido, laciniis aestivatione valvatis 3-nervis, nervis lateralibus subintra marginalibus carinato-prominentibus. Facies exterior villosiuscula, interna flavescente-viridis, laciniis acutis, ovato-triangularibus, post anthesin reflexis. Corolla (*Hibisci*) speciosa, petala 5 hypogyna, obovata inaequilatera, sulphurea, demum rubescens, in fundo nigro-purpurea, aestivatione convolutiva, unguibus imo tubo stamineo adnatis. *Tubus stamineus* columnaeformis apice 5-fidus! *filamenta* juxta columnam 5-faria, copiosa brevia glabra exserens, petalis brevior; *antherae* reniformes, bivalves, demum explanatae albido-sulphureae. *Ovarium* (*Paritii*) sessile simplex, inferne tubo calycis arcte cinctum, 5-sulcatum, 5-loculare, loculis septo secundario parietali verticali incomplete 2-locellatis; septa completa roseo-purpurascentia, circa columnam centralem demum omnino obliteratam in vaginam 5-gonam coalita. *Ovula* in loculis plura (plerumque 6) angulo centrali 1-seriatim inserta adscendentia. *Stylus* terminalis glaber flavescente-viridis, tubo stamineo exsertus 5-fidus, laciniis coalitis incrassatis nigrescente a purpureo-hirsutis; *stigma* capitatum, 5-sulcatum, demum patente hirsutum formantibus. *Capsula* (*Paritii* paullo differt) inferne calyce immutato cincta acuta, fibroso-lignosa 5-locularis, loculis incomplete bilocellatis, loculicide per septa incompleta, bilamellata, 4-valvis, valvis calyci laciniis alternis, dorso osseis, profunde rugosus, margine introflexis medio septa completa gerentibus, loculis endocarpii dissoluto, primo complete clauso dein aperto praeditis! *Semina* (*Bombicellae*) in loculis 4—6 arcuato-subreniformia, in sinu umbilicata, epidermide spongiosa dense sericeo-lanata, lana ferruginea. *Embryo* inter *albumen* parcissimum mucilaginosum homotropc arcuatus; *cotyledonibus* arcuatis foliaceis sese plicato-involventibus; radicula infera. — *B. grewiaefolium* Zoll. et Mor. *Hibiscus* Hsskl. Cat. p. 197 n. 6 et p. 311 ibid. — Arbusculum gracile ramis virgatis, foliis alternis ovali-oblongis, obtuse subacuminatis, basi subcordatis, integerrimis, glabris, in venis petiolisque villosis, pedunculis axillaribus solitariis, medio articulatis, floribus subnutantibus. — Ad marginem sylvarum partis austro-occidentalis prov. Bantam.

datis, subinaequilateris, apice acuminatis, glaberrimis, integerrimis; floribus ad apicem ramorum axillaribus; pedunculis petiolo paullo longioribus, involucello 6—10-phyllo, foliolis lineari-lanceolatis; calyce 5-fido; corolla maxima aurea, in fundo atro-sanguinea expansa; stigmatibus 5 subcoadunatis; fructibus subglobosis, styli basi persistenti acute mucronatis, 10-loculatis, 5-valvibus, valvis medio septa completa gerentibus, margine haud introflexis; loculis inde 2-locellatis intus endocarpio dein dissoluto, primum complete clauso, dein aperto, septis valvarum sejunctis; loculis monospermis, rarius oligospermis; seminibus lana fulva, tenuissima tectis, nephroideis. — Columella capsulae centralis nunc nulla, nunc plus minus a septis soluta, persistens, capsulae longitudinem dimidiam vix attingens. — Nomen sundense: *Kiürai* s. *Kürai*, i. e. Grewia s. Sponias.

214. HIBISCUS HAMABOO Slbd. et Zcc.

Char. Gen. et *Spec.* cf. Sbld. et Zucc. fl. Japon. I. 176 t. 93. Wlp. Rprt. I. 303. 14. — Specimen in horto Bogor. cultum aliquot a descriptione spr. cit. differt, uti apparet e *descriptione* sequenti speciminis culti. Frutex 4—6 ped. altus, cortice cinerascente tuberculato; *folia* cordato-, aut reniformi-orbiculata, 5-nervia, apice saepius retusa, acumine brevi obtusiusculo, margine obsolete-crenulata, supra viridia, glabra, subtus cum petiolis cinereo-tomentosa, 1,5 poll. longa, 2,0 poll. lata; *stipulae* ovatae, gemmam a latere utroque tegentes, cinereo-tomentosae, 0,3 poll. longae; *pedunculi* solitarii, axillares, 0,7 poll. longi, teretes, crassi, apice in involucrum cupuliforme 9-dentatum, 0,4—0,6 poll. longum transeuntes; *involucrum* calyci arcte adpressum, cum eo tomentosum; *calyx* 5-fidus; laciniae lanceolatae, erectae, dein conniventes, 0,7 poll. longae, persistentes, trinerviae; *corolla* ante anthesin convolutiva, conica, in anthesi patens, petala sulphurea in fundo sanguinea, subrotunda, 1,3 poll. longa et lata, apice vix bifida; stigmata 5, atro-sanguinea tomentosa; *fructus* ovoideo-, 5-gono-pyramidatus, tomentosus, capsularis, 5-valvis; valvae medio septiferae; loculi polyspermi; *semina* glabra. E *Japonia* introductus.

215. HIBISCUS HIRTUS L.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 51. 186. *H. phoenicus* Cas. Wld. Sp. III. 813. α. DC. Prdr. I. 452. 76. α. Bl. Bijdr. 71, cujus diagnosis a Candolleana differt hisce: foliis grosse serratis, serraturis seta terminatis, infimis semi-trilobis. — Folia autem dente uno alterove majori praedita, vix triloba!

Descrpt. Planta annua aut suffruticosa, elegans; rami, stipulae, petioli, pedunculi et hinc inde foliorum nervi subtus hirsuti; *stipulae* lineari-subulatae, rectae, deciduae; *petioli* subteretes, patentes, 1,0 poll. longi; *folia* ovata, cordata,

acuta, aut subacuminata, setaceo-serrato-dentata, dente uno alterove majore, 1,3 poll. longa, 0,7 poll. lata; *pedunculi* 1,3—1,6 poll. longi, ad apicem fere incrassati, articulati, teretes, 1-flori; *involucrum* 6—7-phyllum; foliola lineari-subulata, patentia, calyce minora; *calyx* 5-partitus; laciniae lanceolatae, acuminatae, in anthesi et in fructu patentes, ante et post anthesin conniventes; *corolla* patentissima, miniata (nec phoenicea), glaberrima, subtus lucida; petala 5, obovata, basi in unguem brevissimum attenuata; *columna staminifera* una cum filamentorum apicibus liberis, pariter ac styli miniati; *filamenta* apice bifida, laciniae singulae antheriferae; antherae reniformes; pollen maximum, sub lente simplici globosum, cerinum; *germen* globosum, 5-loculatum; gemmulae in loculis 2; *stylus* intra tubum staminiferum ad ejus faucem 5-partitus; laciniae apice stigmate globoso, capitato, piloso, phoeniceo coronatae; *capsula* depresso-globosa, calyce et involucro vegeto, persistente suffulta, 5-loculata, 5-valvis; valvae septiferae; loculi 2-spermi; *semina* trigona, latere altero convexo, sericeo, anguli externi villoso-sericei; *embryo* curvatus, semi-lunaris, viridis; radicula cylindrica, apice acuta versus hilum spectans; cotyledones contortuplicatae.

216. ABELMOSCHUS VRIESEANUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5281. Msn. Gen. 27. Comm. 23. 16 et 15 ex add. 343.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 880. 4. Adnot. ibid. *Calumnf.* Tydschr. XII. *Hibiscus* Hsskl. Decad. 6. Diagn. nov. 157. Wlp. Rprt. I. 306. 52. V. 91. 1. *H. pruriens* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 77? nec Rxb.

Character distinctionis inter A. ficulneum W. et A., Vrieseanum Hsskl. A. vitifolium Wll. et A. Pseudo-abelmoschum Wlp.

A. Vrieseanus Hsskl. corolla maxima, involucri foliolis 4—6, ovato-lanceolatis, fructibus ovato-oblongis, minimis, hispidissimis;

A. vitifolius Wall. corolla sat magna;

A. ficulneus W. et A. corolla minima, utraque species (haec cum antecedenti) involucri foliolis 7 lineari-lanceolatis, fructibus pyramidato-oblongis, acuminatis, maximis;

A. Pseudo-abelmoschus Wlp. involucri foliolis 10 lineari-subulatis, fructibus pyramidato-oblongis, obtusis, mediocribus.

Var. α. corolla minima, involucri foliolis deciduis;

Var. β. longifolius Bl. corolla magna (A. vitifolii), involucri foliolis persistentibus. — De affinitate speciei nostrae cum aliis *Hibisci* speciebus cf. Hsskl. Decad. 6. Observ.

Descrpt. Frutex 6—7 ped. altus; *rami* teretes, cinerascentes, setis prurientibus sparsis tecti, ad apicem floriferum glabriuseuli; *folia* sparsa; *petioli* 5—6,5 poll. longi, teretes, rubri, setis prurientibus hispidi; *lamina* peltato-cordata, 5—7-nervia, nervis rubentibus, inferiorum septemiloba, superiorum 5-loba, lobis acuminatis, medio dilatatis, serratis, supra glabriuscula, in nervis setis solitariis obsita, subtus pilis stellatis, maximis, sparsis tecta, 4,5 poll. longa, 7,0 poll. lata; *stipulae* lanceolatae; *flores* in axillis foliorum solitarii, *racemum* terminalem, elongatum, erectum, apice subnutantem formantes; *pedunculi* crassi, 1,5 poll. longi, apice incrassati; *involucrum* 4—6-phyllum; foliola ovato-lanceolata, apice rubentia, ante et post anthesin conniventia, in anthesi erecta, 0,7 poll. longa, 0,4 poll. lata, glaberrima; *calyx* spathaceus, laete viridis, apice obsolete 5-dentatus, lateraliter rumpens, puberulus, membranaceus, 1,2 poll. longus, post anthesin deciduus; *corolla* patens, pentapetala; petala basi connata, sulphurea, ungue atro-sanguineo, 2,5 poll. longa, 1,5 poll. lata; *tubus staminifer* albidus; antherae flavae; *stigmata* 5 atro-sanguinea; germen oviforme, vix puberulum; *fructus* parvus pentagonus, ovoideo-pyramidatus, setis prurientibus hispidissimus, basi involucro emarcido dein deciduo cinctus, capsularis, 5-loculatus, 5-valvis; valvae medio septiferae; loculi 3—4-spermi; *semina* reniformi-globosa, rugoso-striata, levissime hirsutiuscula, nigra, nitidula. — Nomen sundense: *Kawòrò gedè*, i. e. magnus.

217. PARITIUM TILIACEUM Jss.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5283. Msn. Gen. 27. Comm. 23. 14. *Hibisci* spec. auct. et Steud. Nom. ed. II.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 52. 189. Wlp. Rprt. I. 311. 1. *Hibiscus* L. DC. Prdr. I. 454. 91. *H. circinatus* Wld. DC. l. c. 90. Sprg. Syst. Veg. III. 107. 81, qui synonymum habet: *H. guineensis* DC. Prdr. I. 107. 93. — *H. similis* Bl. Bijdr. 73 e diagnosi solummodo differt: foliis subtus albidis (nec glaucis), in nervis 3—5 medio (nec 1—3 basi) poro instructis, involucro 10-fido (nec dentato); — quae signa omnia maxime variabilia ne ad distinguendas varietates quidem sufficiunt — et forsan loco vegetationis mutato provocantur.

Descrpt. Arbor alta, ligno albido molli, dein in centro nigro, durissimo; *rami* erecti, teretes, brunnei, glabri, hinc inde lenticellis tecti; *stipulae* late- et obtuse-lanceolatae, basi amplectentes, flavescenti-virides, extus pubescentes deciduae; petioli longitudine fere foliorum aut iis longiores teretes, puberuli; *folia* (in eodem ramulo) subrotundo-, aut ovato-cordata, acuminata s. acuta, aut imo reniformia, obtusa, valde variabilia, plerumque integerrima, nunc subcrenulata, supra viridia, laevia, subtus juvenilia, albo-, seniora glaucescenti-tomentosa, senilia saepe viridia, palmato 5—7-nervia; nervus medius cum binis aut imo 4-nis vicinis subtus versus basin rima 0,1—0,2 poll. longa, pilis nigris, minutis cincta instructus; *inflorescentia* axillaris rara, racemosa; pedunculi 1,0 poll. longi, crassi, apice clavati; involucrum decemdentatum, dentes calycis sinus attingentes; *calyx* campanulatus, 5-fidus, extus puberulus, laciniae lanceolatae; *corolla* pentapetala, primo subcampanulata, limbo patenti, dein patens, decidua; petala imabasi cum tubo staminifero connata, primo flava, vespertino tempore sordide lateritia, nervorum ramificatione flava, basi atro-sanguinea; stamina plurima; *tubus filamentorum* 1,0 poll. longus, filamenta a basi ad apicem tubi libera, brevia; antherae reniformes, medio dorso affixae, incumbentes, biloculatae; loculi rima longitudinali dehiscentes; *germen* liberum, globoso-conicum, puberulum, 5-loculatum; loculi verticaliter septati; gemmulae in quoque locello 1-seriatae, plurimae, centrifugae; stylus filiformis, intra tubum filamentosum occultus, albus, versus apicem clavatum atro-purpureus, holosericeus, 5-fidus; stigmata capitata saturatius colorata; *capsula* globosa, apiculata, 5-loculata, 5-valvis, extus brunnea puberula; loculi incomplete bilocellati, polyspermi; *semina* reniformia, brunnea, punctulis aspera. — Nomen sundense: *Wàru*; forma littorea cognomine *lâut* (mare), — montana *gúnung* (mons) designatur.

STERCULIACEAE VNT.

218. ORTHOTHECIUM JAVENSE Hsskl.

Char. Gen. cf. Mbn. Gen. 29. Comm. 23. 26. Hsskl. Adnot. 893. *Helicteres* L. d. Orthothecium Schtt. et Endl. Gen. 5316 et auctor. — Nec ad sect. II. *Isora* Schtt. et Endl. Wlp. Rprt. I. 334.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 893. 3. (p. 202.) Bl. Bijdr. 80. Wlp. l. c. — An *Helicteres sundaica* G. Don. Wlp. Rprt. I. 332. 2. II. 794. 3 huc referenda species?

Descrpt. Suffrutex ramosissimus, *rami* teretes, juniores puberuli; stipulae lineares, subulatae, minimae, deciduae; *folia* brevi-petiolata; petioli 0,1 poll. longi, semi-teretes; lamina oblongo- s. ovato-lanceolata, basi angustata, obsolete-cordata, obtusa, margine subintegerrima, hinc inde obsolete-crenata, supra viridis, laevis, subtus glaucescenti-tomentosa; *inflorescentia* axillaris, subracemosa; pedunculi saepius bini, alter pauciflorus; flores bracteolati; bracteolae breves; *calyx* campanulatus, 5-dentatus, bilabiatus, labium superius 3-dentatum, inferius bidentatum; *corolla* 5-petala, petala subaequalia, lilacina, unguiculata, ad faucem bidentata, hinc inde cohaerentia, limbo obovato; stamina 10; *filamenta* in columnam connata apice decemdentatam; dentes antheriferi; antherae introrsae, biloculatae; loculi rima longitudinali dehiscentes; *germen* stipite longitudine tubi calycis suffultum, conicum, inter filamentorum apices liberos occultum; stylus simplex filiformis; stigma subclavatum; *fructus* capsulares, oblongi, recti, apiculati, muricati, 5-loculati, 5-valves (acumine terminali 5-fido); semina in loculo quoque plurima.

Observ. 1. *Orthothecium viscidum* Hsskl. Cat. p. 202. Flores ad basin calycis viscido-villosi, bracteis binis filiformibus et glandula stipitata viridibus praediti, corolla alba, capsula muricibus elongatis, filiformibus, villosissimis tecta. — *Helicteres* Bl. Bijdr. 79. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 256. Wlp. Rprt. I. 334. 19. — Cf. Wlp. Rprt. II. p. 794. — Nomen sundense toti generi commune: *Kokondólan*, i. e. frutex testiculos gerens.

Observ. 2. *Orthothecium hirsutum* Hsskl. Catal. et adn. 893. 4, flores ad basin calycis incano-sanguinei, bracteis binis lineari-filiformibus et glandula sessili sanguineis praediti, corolla sanguinea. — Cf. DC. Prdr. I. 476 et *Helicteres* Bl. Bijdr. 80, ubi diagnosis Blumeana a Candolleana hisce notis diversa (cf. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 256): foliis ovato-oblongis, acuminatis, basi subcordatis, duplicato-dentatis, supra stellato-scabris, subtus stellato-tomentosis, spicis axillaribus, solitariis s. confertis; addenda sunt haecce: folia trinervia, basi inaequilatera, basi nunc paullo attenuata, spicae saepe 2-stichae, calycis limbus subbilabiatus, dentes superiores 3, inferiores 2, corolla subbilabiata, petala superiora 2, inferiora 3 sanguinea, limbus petalorum spathulatus, fructus stellato-pilosus, pilis minutis densissimis.

219. ISORA CORYLIFOLIA Wght.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 29. Comm. 25.24. *Helicteres* subgen.[b] Isora Schtt. et Endl. Gen. 5316 et auctor.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 894. 1 *I. versicolor* Hsskl. Adnot. 894. 1 (ob petala mire primum glaucescenti-viridia dein kermesina). — *Helicteres Isora* L. DC. Prdr. I. 475. 1. Bl. Bijdr. 79. Wght. et Arn. Prdr. I. 60. 224. *α.* an *H. Roxburghii* G. Don. Wlp. Rprt. II. 794. 1 hujus loci? — Rmph. amb. VII. 32 t. 17. 1. Rheed. mal. VI t. 30.

Descrpt. Caulis fruticosus; *ramuli* teretes, virides, pubescentes s. holosericei; *stipulae* subulatae, deciduae; petioli pollicem longi, semi-teretes, cum foliorum pagina inferiore pubescentes s. holosericei; *folia* suborbicularia, basi cordata, apice acuminata, margine duplicato-dentata, supra hirta; pedunculi gemini, axillares, breves, 0,2—0,4 poll. longi, 2—3-flori; bracteae minutae, subulatae, ad basin pedicellorum; *calyx* infundibuliformis, limbus bilabiatus; labiis 2-fidis, aut saepius limbus tripartitus, uno latere irregulariter fisso, lacinia media subbidentata, extus puberulus, intus laevis, lutescens, fundus nectarifer atro-purpureus; *petala* 5, primum glaucescenti-viridia, dein kermesina, longe unguiculata, appendiculata (omnia) ad faucem unguium linearium, canalicu-

latorum, inferiorum appendiculae angustiores, superiorum canalem tubum staminiferum amplectentem, imoque petalorum inferiorum ungues sistentem, formantes; laminae superiorum angustiores, ovato-oblongae, inflexae, lateralium binorum minores, latiores, subquadratae, basi in unguis latus posterius decurrentes, apice truncato, obsolete sinuato- aut tridentato; *stamina* 10, filamenta connata in urceolum cum germinis stipite connatum, 10-dentatum; dentes membranacei, ovati, acuti, apice conniventes, germen foventes; antherae supra basin dorso affixae, ante anthesin declinatae, inde extrorsae, dein erectae, introrsae subreniformes, rubentes, biloculatae, longitudine dentium; loculi rima longitudinali dehiscentes; *stipes* germinis longissimus, bipollicaris, *germen* conicum, minutum gerens quinqueloculatum; gemmulae in loculis plurimae; stylus germen longitudine superans, flexuosum, filiforme; stigma terminale, punctiforme; *fructus* capsularis, 5-loculatus, oblongus, acuminatus; loculi s. potius carpella sublibera, spiraliter torta, polysperma; semina subcubica, rugosa, fusca. — Nomen sundense et malaicum: *Kokóndolan* s. *Púteran*, i. e. cochlea.

220. STERCULIA JAVANICA Hrsf. et Bnnt.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5320 et Sppl. I et III. Msn. Gen. 30. Comm. 25. 34. Hsskl. Diagn. nov. 153. Catal. hrt. bog. et Adnot. 896.(1) — *Pompila* Noronh. Bat. Gen. V. 66.

Sterculiae plurimae Blumeanae ad *Southwelliam* Salisb. reducendae sunt, imo *S. cordata* Bl., *urceolata* Sm., *subpeltata* Bl., *nobilis* Smth., *coccinea* Rxb., *Blumei* G. Don., *rubiginosa* Vnt. — ; quoad flores *Heritieram* Ait. Endl. Gen. 5319, quoad fructus *Sterculiam* L. referendae.

Flores polygami, calyx 3—6-fidus. *Staminiferi:* filamenta in columnam, antheras in capitulum connatas gerentem, coalita. *Hermaphroditi:* stamina 10—15, filamenta subnulla, antherae stipiti germinis insertae, sessiles; germen stipitatum e carpidiis 3—5 arcte connatis, 3—5-loculatum; gemmulae biseriatae, angulo interno adnatae; stylus simplex; stigma capitatum, 3—5-lobum; *fructus* e carpellis follicularibus, sejunctis, divaricatis, 3—5 partitus; *folliculi* 2—5-spermi, coriacei, sutura superiore seminifera dehiscentes; *semina* arillata, arillus tenuis, albidus, membrana tenuissima, nigra tectus, (epidermis succulenta, arillaeformis Endl. Ench. 514 et Gen. p. 987 ad

ad char. fam.); *albumen* periphericum, 2-partitum; *cotyledones* crassae, carnosae, ad margines tenues, inter albumen prominulae, huic adnatae, medio crassiores, basi cordatae; *radicula* globosa, vix inter lobos cotyledonum prominula; gemmula conica, minuta. — Nomen sundense *Southwelliae* est *Hántap*. — An potius genus Linneanum *Sterculia* in diversa sejungendum? cf. Endl. Gen. 5320. Msn. Gen. 30 et 31. Comm. 25. — *Southwellia* et *Poecilodermis* conjungendae videntur, cum in priori carpella jam plus minus stipulata evadant.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 99. 23. *S. cordata* Bl. Bijdr. 83. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 256. Wlp. Rprt. I. 335. 13. — *Southwellia Blumei* Wght. ex Std. Nomclt. bot. ed. II. p. 613. — Magnopere affinis *St. macrophyllae* Vnt. DC. Prdr. I. 483. 18, quam Wght. et Arn. Prdr. I. 62. 231 varietatem forsan habent *S. populifoliae* Rxb., quae *Hildegardia* Schtt. et Endl. Gen. l. c. h., dum nostra ad *Southwelliam* ducenda. — *S. macrophylla* Sprg. Syst. Veg. cur. post. 256.

Descrpt. Arbor alta; *folia* juvenilia profunde cordata, subrotunda, margine integerrima, sinuata imoque obtuse lobata, subtus tomento persicino tecta, supra glabra, nondum evoluta, aut vix evoluta cum petiolis et stipulis lanceolato-acuminatis, ferrugineo-tomentosa, ramorum fructiferorum basi subcordato-emarginata, breviter obtuseque acuminata, 3—6 poll longa, 2—3,5 poll. lata, subtus et praeprimis petioli teretes 1,0 poll. longi, utrinque incrassati, dense ferrugineo-tomentosa, ad apicem ramulorum congesta; *inflorescentiae* paniculatae infra folia congesta nutantes aut divaricatae; *flores hermaphroditi: calyx* campanulato-urceolatus, extus uti tota inflorescentia cinnamomeo-tomentosus; limbus 5-fidus, patens, pilis densis, purpureis tectus; *germen* stipite subgloboso suffultum, 5-loculatum, roseum, pubescens; stylus brevis; stigma radiatim, 5-lobum; *stamina* 10 ad basin germinis apici stipitis inserta, filamenta libera, brevissima, tenera; antherae extrorsae, basi germinis incumbentes, subgloboso-didymae; *carpella* oblonga, utrinque acutiuscula, 2,5 poll. longa, 1,5 poll. lata, extus cinnabarina, intus rosea; *semina* 4—5 juxta suturam centralem affixa, biseriata, 0,5 poll. longa, 0,3 poll. crassa, obtuse oviformia, nigra, sericantia; umbilicus albidus; arillus carnosus, albidus, testae arcte adhaerens, membrana fragili secernenda, nigra tectus; testa atro-sanguinea, coriacea, membrana interna cinnamomea; *albumen* cras-

sum, extus croceum, embryonem cingens; *radicula* centripeta, umbilico contraria, brevis, obtuse conica; *cotyledones* longitudine seminis, extus albumini arctissime adnexae, sed sectioni transversali linea limitatae, praeterea autem a facie exteriore vix distinguendae, nisi linea dilutiore laterali. — Nomen sundense: *Hántap bádak* (grandis), s. *H. hülang*.

221. STERCULIA NOBILIS Sm.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 100. 30. *St. Balanghas* Ait. Bl. Bijdr. 82, nec L., DC. Prdr. I. 482. 3. Wght. et Arn. Prdr. I. 62. 229. *Southwellia nobilis* Salsb. Haskl. Diagn. nov. 153. — Diagnosis Blumeana a Candolleana diversa: foliis ellipticо-oblongis, basi rotundatis, apice obtusiusculis, integerrimis, floribus paniculatis. — Species haecce differt a *St. Balangha* L. foliorum ac carpellorum forma et seminum multitudine, ni aliis signis! — *St. urceolata* Bl. e diagn. Blumeanis vix diversa ni paniculae glabritie! cf. Wlp. l. c. 102. 44 — a Candolleanis differt: foliis glabris, carpellis oligospermis.

Descrpt. Arbor alta; *folia* majuscula, 3—12 poll. longa, 1,5—5,0 poll. lata, oblonga, aut obovato-oblonga, imoque elliptica, acuta, aut obtusiuscula, basi parum attenuata, subrotundata, utrinque glaberrima, integerrima; *petioli* 1—3 poll. longi, utrinque incrassati, subteretes; *inflorescentia* axillaris racemoso-paniculata, tota minute stellato-puberula; pili stellati in pedunculis sanguinei (sed sub lente tantum distinguendi); *pedicelli* 0,2—0,3 poll. longi, apice crassiusculo; *calyx* urceolatus, in alabastro obtuse conicus, tubo incano-tomentoso, intus puniceo, dentibus calycis longitudine, viridi-lutescentibus, glabriusculis, intus villosis, apice cohaerentibus, 3—5; *flores staminiferi:* columna antherifera tenuis, filamentum simulans, sub apice incurva, tubi calycis longitudine; antherae 3—5, ad apicem columnae capitato-adnatae, extrorsae luteae; *pistilligeri et hermaphroditi* (vide supra ad char. gen.): antherae lineares, biloculatae; carpella 3 distincta, ovata, mucronata, extus coccinea, intus phoenicea, supra dehiscentia, 2—4-sperma, semina suturae ventrali adnata, oblonga, 0,75 poll. longa; caet. ord. supr. Char. gen. — Nomen sundense: *Hántap pássung*.

BÜTTNERIACEAE R. BR.

222. COMMERSONIA JAVENSIS G. DON.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5329. Msn. Gen. 32. Comm. 26. 5 add. 344. Lam. Ill. t. 218.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. II. 795. 2, an jure a *C. echinata* Frst. sejuncta species? cf. Bl. Bijdr. 85, DC. Prdr. I. 486. — Rmph. amb. III p. 187 t. 119. Frst. Gen. p. 44. *Ricinus odoratus* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 81.

Descrpt. Rami teretes, badii, tomentosi, juniores fulvo-tomentosi; *folia* petiolo 0,5 poll. longo, crasso, tereti, tomentoso, ovato-oblonga, acuminata, basi cordata, plus minus inaequilatera, dentato-serrata, juniora supra pubera, seniora in nervis tantum tomentosa, subtus incano-tomentosa, 4—8 poll. longa, 2—4 poll. lata; *inflorescentia* cymosa, axillaris, aut terminalis, saepe evolutione rami axillaris oppositifolia, fulvo-tomentosa; *pedicelli* breves, bracteolis minutissimis, linearibus suffulti; *alabastrum* globosum, subpyramidale valvatum; *calyx* 5-partitus, corollaceus, albidus; petala 5, e basi cucullata intus sanguinea, longe mucronata, mucro 0,1 poll. longus, apice subemarginatus; *stamina* filamentis basi connatis 10, alteris fertilibus reflexis, apice indivisis, antheriferis; anthera oblonga, basi emarginata, lateraliter dehiscens; alteris sterilibus petaloideis, lanceolatis, albidis, stellatim peltatis; *germen* globoso-conicum, villosum, 5-loculatum, gemmulae in loculo quoque 3—4; styli minuti, stigmata globosa; *capsula* setis carnosis, stellato-pilosis tecta, 5-loculata; *semina* in loculis gemina; caet. vid. Lam. ill. t. 218. — Nomen sundense: *Kiûrai* s. *Handéong*.

223. GUAZUMA BLUMEI G. DON.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5334, sed: tubus stamineus brevissimus. Msn. Gen. 32. Comm. 26. 4. Lam. Ill. t. 637.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. I. 340. 1. *G. tomentosa* Bl. Bijdr. 85, Wght. et Arn. Prdr. I. 64. 240. *G. tomentosa* β. *Cumanensis* H. B. K. DC. Prdr. I. 485. 2. Hsskl. Catal. 900. 1. Diagn. nov. 154.

Descrpt. Arbor alta; *rami* teretes, juniores stellato-tomentosi, una cum petiolis et inflorescentia teretibus 0,2—

1,0 poll. longis; *folia* ovato-oblonga, in ramis floriferis 2,2—4,5 poll. longa, 1—2 poll. lata, in uberioribus 5—8 poll. longa, 3—5 poll. lata, plus minusve inaequilatera, basi cordata, apice acuminata, crenato-serrata, supra juniora puberula, seniora subglabra, in nervis tantum puberula; *inflorescentia* paniculato-racemosa, folio plus duplo minor, multiflora; *pedunculi* ad ramificationem bracteolati, rubentes, stellato-tomentosi; *calyx* 3-sepalus, sepalo uno angustiore; *petala* basi flavescentia, striis sanguineis, ligula sanguinea lineari-bifida; laciniae *tubi staminiferi* steriles lanceolatae, puberulae, virides, fertiles angustae, apice subdilatatae, subramosae; antherae 3 subrotundae; capsula 5-gono-subglobosa, nigrescens; *semina* cinerascentia, angulata albuminosa; albumen periphericum, carneum, albidum; embryo axilis; radicula cylindrica versus hilum ad seminis extremitatem centripetam spectans; cotyledones corrugato-plicatae. — Nomen malaicum et sundense: *Djáttie hollánda*, i. e. Tectonia, a Batavis introducta.

224. KLEINHOVIA HOSPITA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5335. Msn. Gen. 33. Comm. 26. 19. De generis affinitate vid. Wght. et Arn. Prdr. I. 63. II.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. I. 488. 1. Bl. Bijdr. 86, cujus diagnosis a Candolleana diversa: foliis integerrimis, panicula divaricata terminali. Wld. Sp. pl. II. 871. Rmph. amb. III. 177 t. 113.

Descrpt. Arbor; *rami* teretes, crassi, obsolete pentagoni, glabri; *folia* sparsa, orbiculato-cordata, acuminata, nunc acuta, integerrima, 5-nervia; *petioli* folium subaequantes, subteretes, patentes; lamina pendula; *inflorescentia* paniculata; panicula ramosissima, erecta, ramulis apice nutantibus, patens aequalis; pedunculi secundarii, ternarii et pedicelli rubri, puberuli; *flores* breviter pedicellati, cernui; pedicelli sub flore articulati; *calyx* 5-sepalus, sepala rosea, lineari-lanceolata, ima basi connata, apice conniventia et petala cum genitalibus obtegentia, vix aperta; *corolla* rosea, petala 5, calyce minora, 4 majora ovata, acuta, e marginibus implicatis formam linearem aut lineari-lanceolatam praebentia; quintum superius mi-

nus roseum, apice luteum, urceoliforme, e marginibus duplicato-inflexis, apice apertum; *tubus staminiferus* basi rectus, albescenti-roseus, puberulus, apice curvato roseo germinis stipitem et ipsum germen fovens, apice 5-dentatus; dentes ovato-lanceolati, antheras 3 gerentes; *germen* longe stipitatum, globoso-conicum, pilosum, 5-loculatum; gemmulae in loculis plurimae; stylus simplex, erectus, filiformis; stigma subcapitatum, minutum; *fructus* turbinati, carpellis 5, ultra medium connatis, inflatis. — Nomen sundense: *Tjangkóllo*.

225. RIEDLEJA (PHYSODIUM?) RADIATA Bl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 33. Comm. 26. 15. Endl. Gen. 5338 et 39. (*Physodium* Prsl. vix a *Riedleja* distinguendum, calyx in nostris plane idem!) Wght et Arn, Prdr. I. 65.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 86. Wlp. Rprt. I. 343, qui dubiose hanc ad *R. concatenatam* DC. Prdr. I. 492. 20 ducit, quae e diagnosi certe huc spectat, cui autem contradicunt *Wght.* et *Arn.*, qui (Prdr. I. 66. 246) spicas fructiferas elongatas habent, quae in nostris speciminibus semper umbellato-capitatae sunt; false igitur *R. radiata* ad *R. concatenatam* W. et A. citatur, nostra quoad inflorescentiam *R. corchorifoliam* W. et A. l. c. 245, quoad folia *R. concatenatam* repraesentat. *R. radiata* Bl. igitur intermedia est inter speciem utramque et forsan rectius tres haecce species in unicam conjungentur, cui nomen *R. corchorifolia* Hsskl. α. *corchorifolia* L. β. *radiata* Bl. fl. albo et lilacino, γ. *concatenata* W. et A. — Rheed. mal. IX t. 73.

Descrpt. Herbae annuae, in paludosis ad margines lacuum et riparum prope *Bataviam* et forsan totius vicinitatis copiosae, strictae erectae, 1—2 ped. altae, subsimplices aut ramosae; *caulis* teres, glabriusculus hinc punctulis adspersus et inde asperulus; *internodia* summa longissima 3—6 poll. longa; *rami* (in ramosis sane!) patentes teretes glabriusculi; *stipulae* lineari-lanceolatae, erectae, acuminatae, minute ciliato-serrulatae, longe persistentes; *petioli* patentes semiteretes supra planiusculi, subcanaliculati, hirti, 0,5 — 1,5 poll. longi, apice geniculato-incrassati; *folia* nunc in petiolo pendula, nunc erecta, nunc in eadem cum illo planitie, inferiora e basi cordata ovato- s. oblongo-lanceolata, summa basi rotundata, lineari-lanceolata, acuminata, cre-

nato-serrata, margine rigida, subundulata, utrinque glabra

inferiora	2,6—3,0 poll. longa,	1,6—1,4 poll. lata		*flores* ad apices caulis aut ra-
ramea inferiora	1,4—1,6 — — ,	0,8—0,7 — —		
summa	2,6—3,6 — — ,	0.5—1,0 — —		
ramea summa	2,0—1,6 — — ,	0,3—0,6 — —;		

morum capitato-congesti, foliis 1—3 quasi involucrati, aut in capitula axillaria 1—3 congesta; *bracteae* plurimae lineari-lanceolatae, acuminatissimae, ciliatae ad florum bases plurimae eisque intermixtae et longiores; *pedunculi* brevissimi basi bractea latiori suffulti; *bracteolae* 4 ad apicem pedunculi subuliformes erectae, calyce longiores eique adpressae virides; *calyx* cupulaeformis bullatus tenuissime membranaceus, flavo-viridis 0,1 poll. vix altus, extus pilis longis erectis subadpressis hirtus, dein latere irregulariter fissus, brevissime 5-dentatus; *dentes* subuliformes sinubus latissimis sejuncti; *corolla* longe exserta, horis antimeridianis expansa, alba aut lilacina (in eodem loco, sed diversis speciminibus reperienda); *petala* obovato-cuneata, conniventi-erecta, basi in linea mediana filamentis adnata, medio lutescentia, apice albida aut lilacina, 0,25 poll. longa, 0,1 poll. lata; *filamenta* 5 petalis opposita, 0,1 poll. longa, basi lata, connata (cohaerentia?), apice attenuata et pistillum occultantia; *antherae* erectae, extrorsae, basifixae, biloculatae; loculi longitudinaliter dehiscentes; *pollen* albidum, globosum; *germen* viride dense strigosum; *styli* 5 basi connati, albidi; *stigmata* subreflexa, distantia, papillosa, nec pilosa; *fructus* calyce emarcido fisso cincti, pyramidali-subglobosi, hirti, 5-sulcati, acuti, 5-loculati, 5-cocci, coccis demum 2-valvibus, dehiscentibus, monospermis; *semina* e funiculo umbilicali columellae centralis medio inserto pendula triangularia extus convexa glabra; *cotyledones* virides semi-lunato-curvatae intra albumen albumen copiosum; *embryo* transversus, ab apice diagonaliter versus basin spectans complanatus; *radicula* supera. — Per totum annum flores fructusque gerit. — 1846. — Nomen sundense hujus generis ob habitus cum *Sidae* speciebus plurimis similitudinem, cum eo *Sidarum* commune: *Sidagôri*.

226. VISENIA INDICA Houtt.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5356., citat. Houtt. Syst. VI. 287 t. 46. 3, ubi semina aptera sunt delineata, forsan copia seminum longinque conservatorum alis delapsis? dum icon in omnibus partibus reliquis plane arborem nostram quadrat; ob semina aptera *Steudel* (in Nomclt. bot.) eumque secutus *Candolleus* (Prdr. I. p. 490). *Viseniam* ad *Riedlejam* duxerunt, cf. Msn. Gen. 33. Comm. 26. 16. *Aleurodendron* Rnwdt. Bl. Catal. 87.

Char. Spec. cf. Houtt. l. c.: *V. umbellata* Bl. Bijdr. 88. (Endl. Gen. l. c. ad fin.) Wlp. Rprt. V. 115. 1. *V. javanica* Jungh. Wlp. Rprt. I. 351. 1 ubi descrpt. — *V. alba* Endl. Wlp. l. c. 2. *Aleurodendron album* Rwndt. Bl. Cat. 87. Species haecce a Candolleo ad *Riedlejam odoratam*, sed dubie, ducta et ipse ex autoritate Steudelii quaerit, an potius ad *R. velutinam* referenda? et forsan *R. tiliaefolia* DC. haud diversa habenda! — Arbor haecce, sub nomine sundensi: *Bintinu* nota, vegetatione celerrima insignis et ad plantationes obumbrandas optime adhibenda.

Sunt mihi varietates binae, quarum flores, fructus imoque folia seniora plane inter se congruunt.

α. *alba* Hsskl. *V. alba* Endl. Wlp. Rprt. V. 115. 2.

Foliis junioribus dense albido-mollibus, petiolis ramulisque imoque foliorum nervis albido-viridibus. Nomen sundense: *B. bódas* (alba).

β. *rubescens* Hsskl.

Foliis junioribus minus dense ac rubenti-mollibus, petiolis, foliorum juniorum nervis ramulisque plus minus rubentibus imoque rubris. Nomen sundense: *B. bürüm* (rubra).

227. PTEROSPERMUM DIVERSIFOLIUM Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5352. Msn. Gen. 34. Comm. 27. 31, add. 344, fructus stipite crasso pollicem longo suffultus!

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 88. Wlp. Rprt. I. 350. 7. *Dombeya* Sprg. Syst. Veg. cur. post. 256. Steud. Nom. bot. ed. II. — Aff. *Pt. acerifolio* Wld. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 69. 256.

Descrpt. Arbor alta, elegans; *folia* obovato-oblonga, infra apicem plus minusve retusa, apice ipso in acumen breve producto, basi aut profunde imoque saepius oblique cordata, aut haud incisa indeque plus minus peltata, (folia ramorum uberiorum aut arboris juvenilis peltata 3—5-loba), supra glabra, lucida, viridia, subtus virescenti-albida, aut tomento ochraceo tecta; *petioli* ac rami juniores, tomento gilvo fulvove tecti, dein tomento deciduo albescentes; petioli breves, crassi; *pedunculi* fructiferi axillares, breves, crassi, ad apicem sepalis coriaceis

linearibus et petalis spathulato-oblongis, emarcidis, diu persistentibus coronati; *fructus* stipite crasso, 1,0 — 1,2 poll. longo, suffultus, basi staminibus plurimis filiformibus, emarcidis et hinc tortis, plane liberis cinctus, clavato-pentagonus, basi attenuatus, truncatus, apice acutus, extus furfure bombacino tectus, dein lignosus, capsularis, 5-loculatus, 5-valvis; valvae septigerae; *semina* in loculo quoque 8, epiptera (fructibus *Securidacae inappendiculatae* Hsskl. simillima sed minora) sese imbricantia, angulo interno valvarum insidentia; ala tenuissima, semine plus duplo longa. — Nomen sundense: *Tjérlang*.

TILIACEAE JSS.

228. GREWIA OPPOSITIFOLIA HMLT.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5376. Msn. Gen. 38. Comm. 28. 24 et add. 344, sed fructus uniloculatus tantum reperitur; generis novi typus sec. Wall. ex DC. Prdr. I. 509. 9.

Char. Spec. cf. DC. l. c. sed pedunculi, quos (DC. l. c.) multifloros habet auctor Hamiltonius (olim Buchanan), postremo 3-flori ab ipso sunt laudati sec. Spreng. Syst. Veg. cur. post. 205. 24, in nostra sunt 3—5-flori.

Descrpt. Arbor alta; *folia* 2,5—4,0 poll. longa, 1,5—2,2 poll. lata, supra scabriusculae pilis stellatis, singulis stipitatis, subtus una cum ramulis dense stellato-tomentosa, serrato-crenata, crenae infimae glandulosae, superiores ad paginam inferiorem tantum glandulis obsitae; *alabastrum* primo globosum, dein oblongo-conicum, valvatum; *sepala* 5, oblongo-lanceolata, extus tricostata, tomentosa, intus albida, 1-sulcata, 0,7 poll. longa, 0,1 poll. lata, apice cucullata, dein reflexo-patentissima; *petala* 5, sepalis alterna, ad basin stipitis germiniferi inserta, basi lato- et crasso-unguiculata, ungue subrotunda, ad laminam dense ciliata; lamina oblongo-lanceolata, viridi-flavescens, odorata, erecta, dein reflexa; *stamina* plurima stipiti germinis crasso, tetragono, 0,1 poll. alto, glabro, supra ungues petalorum pubescenti apice inserta; filamenta inaequilonga, exteriora minora, filiformia, citrina; antherae subrotundae, aurantiacae; *germen* stipitatum, ovoideum, hirsu-

tissimum, 4-loculatum; gemmulae in loculis solitariae; stylus crassus, filiformis, citrinus, apice incrassatus; stigma viride, glanduloso-peltatum, 4-lobum; *fructus* (haud plane maturus) atro-viridis, rugosus, compresso-subglobosus, hirtus; drupa monopyrena, basi pyrena altera, involuta, rudimentaria praedita. — Nomen sundense: *Drbwak.*

229. GREWIA ODORATA Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 116. Cat. Hort. Buitenz. 79. Wlp. I. 361. 10. — Sprg. Syst. Veg. cur. post. 205, sed foliis acuminatis, pedunculis 1 — 3 axillaribus, umbellulis bracteatis; magnopere affinis speciei antecedenti.

Descrpt. Frutex; *rami* teretes, flavo-fusci, asperi, juveniles magis bombacino-tomentosi; *petioli* 0,5 poll. longiores; *folia* 3-nervia, 4—5 poll. longa, 1,0—1,7 poll. lata, angustiora, basi attenuata, crenulis superioribus glandulis destitutis, in nervis tantum utrinque ferrugineo-stellato-tomentosa, subaspera, supra lucida, subtus sub lente pulcherrime reticulata *umbellae* bracteis 3(—5) involucratae; *bracteae* oblongo-lanceolatae, 0,2 poll. longae, acutae, aut bidentatae, deciduae; *bracteolae* angustiores, lineari-lanceolatae, binae ad florem quemque; alabastra bombacino-helvola, tomentosa; *sepala* 1 poll. longa, 0,1 poll. lata, ultra medium reflexa, basi campanulato-conniventia; *petalorum* ungues magnopere iis *Artobotrydis* (Endl. Gen. 4720) similes, laminam albam dorso gerentes, margine flavo-fusco-tomentoso, crassi, concavi, conniventes; *stipes* germinifer medio constrictus, cinnamomeo-tomentosus, basi (ab unguibus petalorum recondita) glaber, 0,15—0,25 poll. longus; filamenta et stylus, hisce longior, albidi, nitidi, antherae citrinae. — Nomen sundense: *Kilakki ároy*, i. e Lignum masculinum scandens.

230. COLUMBIA JAVANICA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5378, sed capsula 3(—4)-alata 6(—8)-loculata, loculis monospermis! cf. Msn. Gen. 37. Comm. 28. 16. — *Crocaria* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 66.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 117. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 205. Wlp. Rprt. I. 362. 1, si desint fructus, pro *Grewia* quadam sumeres; imoque *G. scabra* DC. Prdr. I. 512. 46, aut *G. involucrata* Bl. Bijdr. 116. Wlp. Rprt. I. 361. 11, quarum *prior* foliis subtus scabris sat diversa (ni aliis signis), *altera* autem foliis haud cordatis, supra asperis nec scabris.

Descrpt. Arbor alta; *folia* 3—11 poll. longa, 1,5—6,0 poll. lata, apice saepe rotundata, acumine quasi imposito, 0,7—1,2 poll. longo; *flores* breviter pedicellati, terni, umbellati, involucro triphyllo ante anthesin plane inclusi, et alabastrum globosum fingentes; *petala* flava, punctis purpureis dense adspersa; *germen* villosum, stylus filamentis longior; *fructus* 3(—4)-alatus, 6(—8)-loculatus; semina in loculis solitaria. — Nomen sundense arboris altae: *Dróawak* s. *Sampéra*.

231. ELAEOCARPUS RESINOSUS Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5384. Hsskl. Diagn. nov. 152 ad fin. Wght. et Arn. Prdr. I. 82. I. adn. Msn. Gen. 39. Comm 29. 33.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 122. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 189. Wlp. Rprt. I. 364. 16.

Descrpt. Arbor alta; *folia* 5—7 poll. longa, 2,5—3,2 poll. lata, subcoriacea, glaberrima, basi acuta s. obtusa, crenato-serrata, in axillis venarum glandulis sanguineis notata; *petiolus* 2—3 poll. longus, teres, utrinque incrassatus, patens, sericeo-puberulus; *pedunculi* 1,0—4,0 poll. longi, partiales 0,25—0,30 poll. longi; *discus* hypogynus, glandulosus, crassus, sulcatus, cum *germine* dense sericeo-pilosus; *stylus* longe persistens. — Nomen sundense: *Katulámpa bádak* et sequenti speciei commune!

232. ELAEOCARPUS FLORIBUNDUS Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 120. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 189. Wlp. Rprt. I. 364. 12.

Descrpt. Arbor alta; *folia* ovata, ovato-oblonga, obtuse acuminata, crenato-serrata, basi rotundata, aut acutiuscula, coriacea, glaberrima, lucida; *petioli* ad folia intumescentes; *racemi* axillares, copiosissimi (plerumque in ramis defoliatis); *alabastra* conica basi truncata; pedicelli patentes;

calyx 5-partitus (nec pentaphyllus), persistens, viridi-flavescens; *corolla* petalis candidis, deciduis, fimbriatis, campanulato-conniventibus; *stamina* decidua, filamenta capillaria, longitudine dimidia antherarum oblongarum, apice bivalvium, septo loculorum tenuissimo, vix nudis oculis distinguendo, valvis muticis; *germen* disco supra medium cinctum; stylus filiformis, subulatus, persistens; stigma punctiforme; *fructus* carnosi, oblongi, aut obverse-oviformes, basi obtuse truncati, apice acutiusculi, styli rudimento persistente apiculati, virides (immaturi), maculati vertice subsulcati, dein rubri, edules; endocarpium oblongum lignosum, laeve (nec rugosum!), crassimum, durissimum; *semina* in loculis solitaria, albuminosa; *embryo* axilis; radicula obtusiuscula, prominula hilo adversa, in extremitate seminis superiore, cotyledones ovato-lanceolatae, acutae. — Nomen sundense: *Häúan* s. *H. pötjang s. Kendà.*

233. ELAEOCARPES LONGIFOLIUS BL.

Char. Spec. Bl. Bijdr. 120. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 189. Wlp. Rprt. I. 364. 13.

Descrpt. Arbor 18—20 ped alta; *rami* teretes, rubiginosi, juniores virides, subangulati, subtomentosi; *petioli* semi-pollicares, semi-teretes; *folia* oblonga, acuminata, basi acuta, serrato-crenata, utrinque glaberrima, supra sublucida, 4,0 poll. longa, 1,5 poll. lata; *racemi* axillares, saepe secundi (iis *Convallariae majali* L. similes), folio plus minus breviores; *pedunculus* communis subsericeus, tomentosus; pedicelli flavescentes, 0,25 poll. longi, teretes; *calyx* 5-sepalus, sepala lineari-lanceolata, acuminata, erecta; *corolla* 5-petala, petala obovata, carinata, apice fimbriata, versus basin minutissime ciliata, campanulato-conniventia, una cum calyce flavescenti-albida, calyce paullo pallidiora, decidua, glandulae 5-subrotundae, crenulatae, rubiginosae, sessiles, petalis alternae; *stamina* 15—20, praeprimis inter glandulas disposita; filamenta brevia, tenera; antherae erectae, oblongae, apice bivalves, 2-loculatae, septo tenuissimo, pilis tenuissimis, singulis ad api-

cem antherarum (nec ciliis, nec setis!); *germen* 3-loculatum, subglobosum, subsericeum, obsolete-3-sulcatum; gemmulae in loculis geminae, erectae; stylus filiformis, subulatus, stigma punctiforme; *fructus* carnosi, ovoidei, endocarpium lignosum oblongum, laeve trisuturatum, 3-, aut abortu 1-loculatum, et tum monospermum; *semen* erectum. — Nomen sundense: *Häüan.*

234. ELAEOCARPUS ANGUSTIFOLIUS Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5384. b. et Wght. et Arn. Prdr. I. 82 I. adnot. Msn. Gen. 39. Comm. 29. 33.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 120. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 189. Wlp. Rprt. I. 364. 11. *Aceratium Ganitrie* Hsskl. Diagn. nov. 152. Rmph. amb. III. 161 t. 101, qui varias confudit species diversas, uti recte jam Vahl docuit cf. Wld. Sp. pl. II. 1168. 1. — Species haecce quoad folia ab *E. serrato* hisce notis distinguenda: *E. angustifolius* Bl., foliis oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis s. obovatis, acuminatis, basi cuneatis, in venarum dichotomia glanduloso-porosis, supra basin obsolete crenulato-serratis; *E. serratus* L., foliis ellipticis s. elliptico-oblongis, acuminatis, basi vix acutis, in axillis venarum (rarius in dichotomia) glandulosis, serratis.

Descrpt. *Folia* oblongo-lanceolata, aut obovata, basi cuneata, apice acuminata, 4—6 poll. longa, 1,5—2,0 poll lata, utrinque attenuata, venis dichotomis, subtus ad ramificationem venarum glanduloso-porosa, utrinque glaberrima, crenato-serrata; *racemi* (axillares, lapsu foliorum) laterales, stricti, folio breviores, patentes; *pedicelli* 0,25 poll. long., teretes, saepe distiche flexi; *alabastra* conica, basi truncata; *calyx* saepissime apice lateraliter ruptus, nec ad basin, viridi-albidus, acuminatus; *petala* subexserta, viridiuscula, basi viridia, fimbriato-lacera, basi ad margines ciliata; discus sericeus; *filamenta* plurima, capillaria, brevissima; antherae oblongo-lineares, apice bivalves nec setigerae, sed pilis singulis obsessae; *germen* 5-loculatum, in loculo quoque gemmulae binae, cf. Msn. Gen. Comm. 29. 33. *Ganitrus* Grtn.; stylus filiformis, simplex, apice subulatus; stigma punctiforme; *fructus* globosus, immaturus viridis, 0,9 poll. diametro, carnosus; pericarpium e carne viridi constans, tenue; endocar-

pium rugoso- (s. eroso-) sulcatum, lapideo-lignosum, abortu 1-loculatum, loculo monospermo; cf. Grtn. frct. II. 271 t. 139 et Endl. l. c. — Nomen sundense: *Ganitri.*

Obs. Ab hac specie praeter foliorum formam diversa: *Elaeocarpus serratus* L. cf. DC. Prdr. I. 519. 1. Bl. Bijdr. 119. Wght. et Arn. Prdr. I. 82. 295 et Diagn. in spec. antec. *Ganitrus sphaerica* Grtn. Std. Nomilt. bot. ed. II, cujus folia 4—5 poll. longa, 2,0—2,7 poll. lata, inflorescentia longior ac tenuior laxiorque ac in praecedente, nec folio aequalis; calyx regulariter apertus, nec lateraliter fissus, cum corolla 8-mera virescenti-albidus; stamina 12, nec plura. — Nomen sundense: *Häüan* neo *Ambiet* (Bl.), quod sequenti speciei proprium.

235. MONOCERAS LANCEOLATUM Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5385. Hsskl. Adnot. 913. Msn. Gen. 39. Comm. 29. 37.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 913. 1. *Elaeocarpus* Bl. Bijdr. 119. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 189. Wlp. Rprt. I. 364. 10; sed folia oblongo-lanceolata, acuminata, racemi foliis haud longiores!

Descrpt. Arbor alta; *folia* oblongo-lanceolata, utrinque acuminata, apice obtuse et remote crenato-serrato, supra atro-viridia, subtus pallide utrinque glaberrima, in nervorum axillis subtus hinc glandulosa, 3—6 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata; *petiolus* 0,5—1,0 poll. longus, subtus convexus, supra planus, rubens; *stipulae* lanceolatae, acuminatae, minutae, deciduae; *inflorescentia* axillaris, racemosa, 4-flora, folia haud aequans; *pedicelli* pollicares, teretes, cum sepalis phoenicei, apice sensim incrassati; *sepala* 5 lineari-lanceolata, coriacea, extus phoenicea, intus albescentia, nervo medio ad medium procurrente, prominulo, utrinque glaberrima, decidua; *petala* 5 sepalis alterna, iisque vix longiora, 0,5—0,6 poll. longa, basi crassa, attenuata, marginibus inflexis villosiuscula et saepius squamula, plus minus productiore ovata acuta, aut truncata, tridentata instructa, apice flabelliformi-dilatata, lacerato-fissa, albida, decidua; discus hypogynus, laete puniceus,

genitalia cingens, vix 0,1 poll. altus, crassiusculus, lobatus; *stamina* circiter 50, decidua; filamenta basi dilatata, apice capillaria, longitudine antherarum; antherae complanatae, erectae, lineares, 0,1 poll. longae, lutescentes, biloculatae; loculi apice valvatim dehiscentes, altero latere valva mutica reflexa, altero valva longe subulata erecta; *germen* oviforme, 5-loculatum, extus sericeum, in stylum 0,3—0,4 poll. longum, subulatum attenuatum; stigma punctiforme; *fructus* carnosus, olivaeformis, basi disco hypogyno suffultus, apice styli rudimento vegeto mucronato-acutus, albidus, 1,0—1,2 poll. longus, 0,5 poll. crassus; caro succosa, dein exsucca evanescens; endocarpium rugoso-aculeatum, aculeis recurvis, uniloculatum, monospermum; *semen* 0,5 poll. longum, albuminosum, album, carnosum; *embryo* axilis, rectus, longitudine seminis; radicula cylindrica, acutiuscula, 0,1 poll. longa, in extremitate seminis superiore versus basin spectans; cotyledones oblongae, applicatae, planae, foliaceae. — Nomen sundense: *A'mbiet* nec *Gan'itri* (Bl.).

236. ACRONODIA PUNCTATA BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5388. Msn. Gen. 39. Comm. 29. 31, Wght. et Arn. Prdr. I. 82. I, adnot., ubi genus hocce affine dicitur *E. bifido* Hook et Arn. (*Beythea* Endl. Gen. 5386. Msn. add. 344. 37/1. Wlp. l. c. 365.) Char. gen. valde incompletus emendandus: cf. Hsskl. Tydschr. XII. Catal. p. 208. Zoll. Arch. II. 14.*): *Flores hermaphroditi!* calyx et corolla 4-mera; *petala spathulata*, *conniventia* (*conglutinata*) *subtruncata, crenulata;* germen disco obsolete 4-lobo villoso flavescenti cinctum, subtetragonum, glabrum, 2-loculatum; gemmulae in loculis 2—plures (*plurimae*) pendulae, *stylus persistens* subulatus; stigma ...; *drupa oviformis* utrinque subtruncata, apice styli rudimento-apiculata, glabra coerulescenti-nigrescens, monopyrena, nuce (*abortu*) 1-loculata, monosperma, *rugoso-sulcata* (irregulariter gibbosa); embryo in axi albuminis carnosi fuscescentis orthotropus, paullo brevior.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 123. *Acrozus* Sprg. Syst. Veg. cur. post. 149. Wlp. Rprt. I. 365. Folia elliptica s. oblongo-lanceolata, utrinque attenuata, repando-serrata, subtus hinc punctata, racemi axillares, foliis breviores aut laterales patentes, floribus cernuis. Nom. sundense: *Tjantigi* s. *Púspa lümbut.*

---

*) Verba *cursiva* mea, erecta Zollingeriana!

Zollinger clbr. l. spr. cit. formas duas distinguit:

A) *punctata*; foliis elliptico-oblongis creberrime punctatis, racemis elongatis, pedicellis subadpressis.

B) *longifolia*, an sp. propria? (Zoll.), foliis lanceolatis lucidis (priori tenuioribus) sparsim punctatis, subtus in venarum axillis nigrescente-glandulosis, racemis subabbreviatis, pedicellis patentibus, floribus demum nutantibus.

E diagnosi hac nostra ad var. B pertinere videtur et forsan utraque varietas e localitate diversa ortum sumsit.

SAXIFRAGACEAE VNT.

237. ARNOLDIA PINNATA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4659. Msn. Gen. 138 Comm. 101. 30, sed germen apice bifidum, lobis distantibus, gemmulae 10 biseriatae; fructus dehiscentes; semina 6—8 in loculo quodam nec solitaria!

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 868. DC. Prdr. IV. 12. Wlp. Rprt. II. 374. *Spiraea* Bl. Cat. 67. Wlp. Rprt. II. 51. 21.

Descrpt. *Folia* accrescenti-pinnata, *foliolis* inferioribus 1,0 poll., superioribus 2,0 poll. longis, 0,75 poll. latis, crenato-serratis, glaberrimis; *stipulae* crenatae; racemi gracillimi, multiflori, spicati; *calyx* roseus persistens minutus; laciniae acutae, lanceolatae; corolla alba; *petala* obovata, acuta, patenti-erecta; *stamina* filamentis filiformibus albidis, petala vix superantibus; antherae terminales subglobosae, acutae, 2-loculatae; loculi longitudinaliter dehiscentes albi; *germen* didymum pyramidale, staminibus longius apice bifidum; lobi divaricati; *styli* 2 flexuosi; gemmulae 10 biseriatae; fructus dehiscentes 0,2 poll. longi. — Nomen sundense: *Kiríngit.*

PAPILIONACEAE ENDL.

238. CROTALARIA (HEDRAEOCARPA W. et A.) STRIATA DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6472.a. Wght. et Arn. Prdr. I. 180 et 194. §. 12. Wlp. Rprt. I. 589. Msn. Gen. 82. Comm. 58. 41.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 131. 80. Wlp. Rprt. I. 595, Icon. add. V. 449. 171. 173. Hsskl. Catal. 1188. 18. Adn. 1188. 40. *C. javanica* Jngh. Nov. Gen. et spec. 17. Wlp. l. c. 589. 55. V. 449. 174. *C. clavata* W. et A. l. c. 194. 605. Wlp. l. c. 56 (nec *C. striata* A. Br. Wlp. l. c. 590. 66,

nec Schum. et Thonn. Wlp. l. c. 591. 73, an forsan Zucc.? Wlp. l. c. 594. 114? —) Speciem *Junghunianam* a nostra haud differre jam antea docui, *stipulae* enim haud desunt, sed minimae setaceae patulae caducae, in summo ramorum apice tantum conspiciendae sunt, foliola nunc obtusa, nunc retusa; vexillum et carina lutescentes: striis (venis) purpureis notatae; legumina subcylindracea a latere compressiuscula, apice clavato incrassata; *C. obovata* G. Don. Wlp. l. c. II. 836. 3 affinis huic videtur; — *C. clavata* W. et A. l. c. haud diversa; racemi enim primo sunt terminales, dein ramo axillari excrescente oppositifolii fiunt; bracteolae reflexae ad basin calycis (nec basi calycis adpressae, caeterum reflexae e translatione Wlp. l. c.), legumina vid. spr.

Descrpt. Fruticuli in apricis circa *Bataviam* et *Bogor* ubique vulgatissimi et nomine malaico pariter ac sundaico *Kakatjángan*, i. e. herba fabacea dicti, uti totum genus, erecti, stricti, ramosi divaricati, pube minuta albida, adpressa, toti tecti, 2—4 ped. alti; *rami* erecto-patentes teretes; *stipulae* minimae e basi latiuscula setaceae, patentissimae, caducae, 0,06 poll. longae, in apicibus ramorum tantum conspiciendae; *petioli* patentes 1,0 — 1,8 poll. longi, basi crassiusculi, caeterum subteretes tenues supra canaliculati, apice trifoliati; *foliola petiolulo* brevi 0,1 poll. longo, crassiusculo suffulta, obovata, ovalia, nunc obovato-elliptica, summa obovato-oblonga, apice rotundata, obtusa, imoque retusa, rarissime acuta, omnia mucronulata, basi cuneata, lateralia terminali tertiam partem minora; terminale $\begin{Bmatrix}3{,}2 & & 2{,}1\\ 1{,}4 & \text{poll. longum,} & 0{,}7\end{Bmatrix}$ poll. latum, lateralia $\begin{Bmatrix}2{,}8 & & 1{,}9\\ 0{,}8 & \text{poll. longa,} & 0{,}4\end{Bmatrix}$ poll. lata, — supra laete viridia glabra, subtus tenuissime adpresse puberula glauca; *juvenilia* cum ramorum apicibus, petiolis calycibusque dense albido-sericea; *racemi* elongati terminales, dein ramo laterali excrescente laterales, stricti, floriferi 6—8 poll. longi, fructiferi 10—12 poll. longi; *bracteolae* 3-nae, unica lineari-subulata ad basin *pedicelli*, ante anthesin erecti, alabastro longior, 0,1 poll. longa, mox reflexa dein decidua, binae laterales ad basin calycis eique arcte adpressae persistentes et marcescentes, minimae 0,05 poll. longae, setaceae; *alabastra* juvenilia subsessilia, erecta, subfalcata, sericantia; *ca-*

lycis tubus basi truncato-dilatatus, apice in anthesi breviter tubulosus; *limbus* 5-partitus; *lobis* binis superioribus minoribus, 3 inferioribus longioribus, omnibus lanceolatis, acuminatissimis patentibus, demum patentissimis; *corolla* in praefloratione a latere visa deltoidea, in anthesi pendula; *vexillum* ungue brevi crasso, excavato, viridiusculo, intus sericeo verticali suffultum, ad basin bicallosum, lurido-aurantiacum, subcordatum, in unguiculo replicatum et inde erecto-patentissimum, rhachidi inflorescentiae parallelum, ovato-oblongum, acutum, 0,4 poll. longum, 0,3 poll. latum venis apice dichotomis, radiatim e basi divergentibus sanguineis notatum, dorso saturatius et luride coloratum, glabrum; *alae* horizontales supra carinam conniventes, unguiculo brevi sigmoideo, lucido pallide-viridiusculo, fimbriato suffultae, basi ciliatae, oblongae, acutiusculae, croceae, vena una alterave sanguinea percursae, 0,35 poll. longae, 0,12 poll. latae; *carina* unguibus binis rectis, 0,12 poll. longis, 0,05 poll. longis, 0,05 poll. latis, margine utroque fimbriato-ciliatis suffulta, falcata, acuminata, angulum rectum formans, externe rotundatum, inferiore parte verticalis, inflorescentiae rhachidi parallela, superiore (apice) horizontali; latus utrumque 0,35 poll. longum, transverse a basi ad apicem distantia 0,45 poll., latitudo carinae 0,25 poll., carina basi bifida infra apicem margine superiore connata, pallide flavescens, striis sanguineis longitudinalibus percursa; *genitalia* tota intra carinam recepta; *staminum tubus* filamento vexillari basi adnato clausus, laevis nitidus, viridis verticalis; *filamentorum* 9 apices liberi angulo recto fere curvati horizontales, alterni longiores antheras oblongo-lineares, alterni et vexillare breviores antheras subrotundas gerentes; *antherae* omnes fertiles stramineae apice subinaequales, basi bilobae, longiores 0,1 poll. longae, sexduplo brevioribus longiores; *loculi* bini in longioribus connectivo lineari disjuncti, rima longitudinali dehiscentes; *pollen* luteum globosum; *germen* totum intra tubum stamineum occultum verticale, i. e. axi inflorescentiae parallelum, stipite 0,1 poll. longo tenui suffultum, 0,2 poll. longum, 0,06 poll. latum,

dense sericeo-albidum, apice in stylum, basi hamatum, attenuatum, uniloculatum; *gemmulae* plurimae, germinis valvulis transversae; *stylus* basi conicus a latere compressus dein angulo recto, rotundato, horizontaliter flexus teres 0,3 poll. longus, superficie interiore antrorsum strigoso-barbatus; *stigma* truncatum; *fructus* in medio ped. comm. (5—7) rari (e floribus pluribus deciduis) stipite germinis vix elongato, 0,15 poll. longo, sed robustiore suffulti penduli, axi inflorescentiae paralleli, turgidi, juveniles adpresse puberuli, seniles glabrati, oblongo-cylindrici, apicem versus incrassati subclavati, a dorso subcomplanati et in sutura vexillari canaliculato-impressi, apice styli baseos rudimento apiculati 1,5 poll. longi, 0,3 poll. lati, 0,2 poll. crassi; *valvae* dein membranaceae; *semina* plurima biseriatim in hilo horizontali, apice curvato (dextrorsum et sinistrorsum alternatim) pendula, valvis transversa, complanata, reniformia, dein reniformi-subpyramidata, obliqua badia, lucida, nunc 10—15, nunc omnia fertilia 40—50, dein a filo umbilicali decidua, intra legumen crotalantia. — Per totum fere annum flores fructusque gerit. — 1846.

239. CROTALARIA (SPHAEROCROTALE) PULCHERRIMA Rxb.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6472.b. Msn. Gen. 82. Comm. 58. 41.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 184. 569. Wlp. Rprt. I. 585. 19. Hsskl. Legum. 74. Papil. 1. — Wght. et Arn. *C. pulchram* DC. Prdr. II. 126. 30 dubiose tantum citant ob praesentiam *stipularum setacearum, bracteolasque ovatas*, sed jam ante hos quatuor annos (Legum. l. c.) stipulae *praesentes*, sed *deciduas* dixi nunc in Papil. l. c. *caducissimas* habeo; pariter bracteas et bracteolas *ovatas* laudavi. — Inde patet differentiam inter speciem utramque vix adesse.

Descrpt. Planta herbacea annua nunc suffruticosa (W. et A.); *caulis* erectus 3—5 ped. altus, supra ramoso-virgatus; *rami* teretes dense sericeo-tomentosi, robusti; *folia* sparsa, inferiora obovato-cuneata, 4,0 poll. longa, 1,1—0,9 poll. lata, superiora cuneato-lanceolata, 3,0 poll. longa, 0,8 poll. lata, summa obovato-oblonga s. ovata, 1,1 poll. longa, 0,5 poll. lata, acuta (s. obtusa W. et A.) sericeo-pubescentia, subtus

cana; *stipulae* setaceae caducissimae; racemi elongati, in ramis axillaribus 1—2-foliatis paniculatis (W. et A.); *bractea* solitaria ad basin pedicelli foliacea viridis ovata, acuta, 0,3 poll. longa, 0,2 poll. lata; *bracteolae* binae ad basin calycis conformes foliaceae pallescenti-virides, 0,25 poll. longae, 0,15 poll. latae; *calyx* 5-partitus; laciniae in anthesi patentes, post anthesin conniventes, binae supremae maximae ovatae 0,5 poll. longae, 0,3 poll. latae, acutae; binae laterales subinferiores subaequales, oblongo-lanceolatae, acuminatae, longitudine superiores subaequantes, latitudine dimidia, infima angustior lateralibus, lineari-lanceolata, carinata; *vexillum* ovato-deltoideum, acutum, complicatum, 0,6 poll. altum et 0,7 poll. latum, pagina interiori citrina, exteriore vinea et sericea, basi brevissime et latiuscule concavo-unguiculatum, in concavitate sericeo-pilosum, supra concavitatem gibboso-emarginatum; *alae* basi falcato-unguiculatae subquadratae, apice rotundatae ad unguem 0,5 poll. longae, 0,35 poll. latae; *carina* basi breviter biunguiculata, falcata, acuminata supra et subtus a medio ad apicem connata, virescenti-albida, apice et marginibus viridi-flavescens, 0,35 poll. longa, 0,45 poll. alta et 0,25 lata; *stamina* monadelpha, tubus adscendenti-rectus horizontalis 0,4 poll. longus, pars libera filamentorum erecta, 0,4—0,3 poll. longa filiformis, filamenta 5 longiora antheris globosis, 5 breviora antheris sagittato-linearibus, alternas globosas attingentibus; *germen* horizontale brevissime stipitatum lineare 0,4 poll. longum, 0,05 poll. latum, villoso-sericeum; stylus angulo recto germini insertus complanatus, erectus, 0,5 poll. longus, 2-seriatim pilosus, pilis adscendentibus; stigma subclavatum, apiculatum; *fructus* oblongo-subglobosi, calyce inclusi, 0,4 poll. longi, 0,25 poll. lati et 0,2 poll. crassi, apice basi styli rudimentaria hamato-apiculati, sericei (nec glabri W. et A.) bivalves; *semina* 2 sublateralia, compresso-reniformia (immat.) lucida.

240. CROTALARIA (EUCROTALARIA) INCANA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6472.a. Wlp. Rprt. I. 589. §. 12.
Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 132. 90. Wlp. V. 449. 176, diagn. plane quadrat, an *C. pubera* Vhl. DC. l. c. 92 sat diversa? accedit paullo ad *C. obovatam* G. Don. Wlp. l. c. II. 836. 3 et *C. striatam* Zucc. Wlp. l. c. I. 594. 114.

Descrpt. Fruticuli in apricis *Weltevreden* ad fossarum ripas copiosi, 2—3 ped. alti; *caulis* teretiusculus sat crassus; *rami* ex quaque foliorum axilla divaricati, fastigiati, erecto-patentes teretes, uti petioli pube adpressa tenui tecti, apice albido-, molliterque tomentosi; *stipulae* lineari-setaceae, 0,15 poll. longae, longiter ciliatae, caducissimae, ad foliorum inevolutorum basin tantum praesentes, dein ubique deficientes et inde vulgo *nullae* dictae; *petioli* tereti-subtetragoni patentes, basi incrassati, apice trifoliati, 1,0—2,5 poll. longi; *foliola* breviter petiolulata, ovalia s. elliptica, utrinque obtusa aut acutiuscula, mucrone brevi apicali, terminale tertiam partem lateralibus majus, 1,5—2,5 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata, supra juvenilia puberula, seniora glabrata intense viridia tactu mollia, subtus glauca, pilis sparsis adpressis tecta, juvenilia albido-sericea; racemi terminales 3—7 poll. longi, erecti, stricti, apice bracteis sterilibus lineari-subulatis comosi, 15—25-flori; *bractea* ad basin pedunculi lineari-subulata, 0,2 poll. longa, ciliata, caducissima, sub alabastris juvenilibus tantum conspicienda; *pedunculus* brevis 0,1 poll. longus, patenti-erectus apice cernuus (inde flores penduli) teres, uti rhachis dense albido-, molliterque pubescens; *bracteolae* binae bracteae consimiles, in anthesi deciduae, ante anthesin patenti-erectae, utrinque ad calycis basin; *calyx* pube adpressa rara tectus, profunde 5-fidus; *tubus* 0,1 poll. vix altus; *laciniae* subaequilongae 0,4 poll. longae, *superiores* binae latiores lineari-oblongae, acuminatae, 1—sub-3-nerviae, vexillo adpressae, *laterales* 2 lineari-lanceolatae, acuminatae, *quinta* inferior quam caeterae, angustissima carinam sustinens; *corolla* calycem excedens; *vexillum* maximum, primo petalis incumbens complicatum, dein resurgens patentissimum, obovato-subro-

tundum, 0,55 poll. longum, 0,45 poll. latum, acutiusculum, gilvum haud striatum, basi unguiculo concavo, in concavitate puberulo, ad basin vexilli bigibboso-prominulo suffultum; *alae* obovato-oblongae, obtusae, basi unguiculo lateraliter flexo suffultae, 0,5 poll. longae, 0,15 poll. latae, vexillo concolores; *carina* vexillo alisque brevior, falcata superiore, angulum rectum formans inferiore margine, apice longiter acuminata, basi ad angulum bifida, supra ad margines, ad apicem summum cohaerentes, longiter barbato-ciliata, barba candida; *stamina* monadelpha; *vagina* filamentosa, glaberrima, lucida, supra fissa; *filamenta* (apices eorum liberi) adscendentia, 5 longiora antheris oblongis longioribus, 5 minora alternantia antheris subrotundis; *antherae* aurantiacae, basi subbifidae, longiores acutae, breviores obtusae; *pollen* globosum, aurantiacum; *germen* verticale oblongum, 0,2 poll. longum, basi attenuatum, versus apicem clavato-incrassatum, totum pilis longissimis, adpressis sericantibus candidum; *stylus* basi curvatus adscendens dein sub angulo recto curvatus, horizontalis 0,3 poll. longus teres, apice incrassatus, truncatus, antice pilis adpressis strigosus; *fructus* ventricosi, turgidi, basi breviter complanato-attenuati, vix stipitati penduli, hirsuti, oblongi, maturitate flavo-fusci, versus apicem subclavati, apiceque styli rudimento mucronati, a dorso subcompressi, 1,3 poll. longi, 0,4 poll. lati, 0,3 poll. crassi; *valvae* coriaceae, crassiusculae; *semina* plurima biseriata, in filo umbilicali flexuoso, ipsis subaequilongo, horizontalia, compressa, subreniformi-triangularia, dein libera intra fructus crotalantia, viridiuscula, glabra. — Mensibus Januario ad Martium flores fructusque gerentes vidi. — 1846.

241. CROTALARIA (SPHAEROCROTALE) TRIFOLIASTRUM WLD. β. STRICTA RTH.

Char. Spec cf. Hsskl. Papil. 2. Cat. 1188. 24. *C. stricta* Rth. DC. Prdr. II. 133. 111. Wght. et Arn. Prdr. I. 191. 597. Wlp. Rprt. I. 588. 48. V. 452. 219. (Steud. Nomclt. bot. ed. II.) hanc speciem una cum *C. medicaginea* DC. l. c. 133. 109, nec Lam. (quam Steudel

olss. cum synonymà *C. foliosa* Wld. DC. l. c. 131. 83 pariter huc ducit!) et *C. virgata* Rxb. Dc. l. c. 131. 85 in unam conjunxerunt. Nostra tamen habitu pygmaeo stricto sat distincta videtur, ita ut varietatis loco a *C. Trifoliastro* Wld. sejunxerim, quae e descriptione in W. et A. Prdr. l. c. a *nostra* differt: caule suffruticoso (quod signum autem haud magni momenti!) ramis elongatis, tomentosis, foliolis majoribus, petiolo brevioribus, floribus distantibus!

Descrpt. Herba ⊙ vix spithamea strictissima; *rami* patentes teretes badii, una cum petiolis minutissime puberuli; *stipulae* subulatae 0,04 poll. longae, adpressae dein patentes postremo deciduae; *petioli* erecto-patentes teretes supra canaliculati virides 0,15—0,3 poll. longi, apice 3-foliolati; *foliola* obovata s. obovato-oblonga, basi cuneata, apice emarginata s. rotundata, brevissime mucronulata, supra glabra, subtus minute et adpresse canescenti-puberula, 0,2—0,4 poll. longa, 0,24—0,12 poll. lata; *racemi* terminales, dein sublaterales erecti breves stricti multiflori, 0,8—1,3 poll. longi; *flores* densi; *bracteae* subulatae minutae patentes 0,05 poll. longae persistentes, una cum pedicellis et calyce minutissime puberulae, viridiusculae; *pedicelli* teretes patentes, apice tenues, 0,1 poll. longi, fructiferi erectiusculi; *calyx* campanulatus, 5-fidus; laciniae patentissimae, tubo longiores sub-2-labiatae, lineares acutae, 0,1 poll. longae; *corolla* calycem longe excedens; *vexillum* patens sat magnum aurantiacum, dorso sanguineo-nervosum, cordatum basi vix callosum, breviter unguiculatum, 0,18 poll. longum, 0,12 poll. latum, versus apicem acutum, defloratum longe persistens corrugatum lateritium; *alae* supra basin carinae vix adglutinatae, obovato-oblongae, carina vix breviores, 0,14 poll. longae, 0,06 poll. latae, obtusae, breviter unguiculatae; *carina* falcata angulum rectum fere formans, longiter acuminata, basi breviter 2-unguiculata viridiflavescens, versus apicem marginibus convolutis, basis descendens 0,1 poll. longa, apex adscendens 0,15 poll. longus, 0,06 poll. lata genitalia includens; *stamina* monadelpha; filamenta basi in tubum latum brevissimum, supra fissum connata, apice longiter libera inaequilonga, 5-dynama, alterna breviora antheris linearibus, alterna longiora antheris ovato-

subglobosis e basi horizontali erecto-adscendentia; *germen* horizontale oblongum, margine vexillari curvatum, 0,1 poll. longum, apice breviter acuminatum, in stylum longum sub angulo recto adscendentem, extus et intus minute barbatum, 0,15 poll. longum; stigma minutum terminale punctiforme; *fructus* conico-subglobosi, inflati, basi calyce persistente suffulti, margine carinali infra styli rudimentum impressiusculo, subcanaliculato, minute adpresse puberuli, 2—5-spermi, 0,15 poll. longi, 0,10 poll. lati; *semina* e margine vexillari ope funiculi brevis pendula reniformia.

242. CROTALARIA (CRYSOCALYX) BIFLORA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6472. c. Msn. Gen. 82, sed nostra (e Wld. descrpt.) e germine multiovulato polysperma!!

Char. Spec. cf. Hsskl. Papil. 3. Cat. 1188. 28. DC. Prdr. II. 127. 41. Wld. Sp. III. 978. 18 (excl. Syn. Brm.!) (ubi descrpt.) Wght. et Arn. Prdr. I. 190. 590, (Steud. Nom. bot. II. Wlp. Rprt. I. 587. 41. V. 436. 5), qui hanc speciem cum *C. Rothiana* (DC. l. c. 38) et *C. Nummularia* Wld. (l. c. 19. DC. l. c. 59) conjunxerunt, quae *posterior* autem certe: foliis supra glabris, pedunculis longis et (ex Wld.) habitu, distincta habenda, dum *ulterior* forsan foliis distichis stipulisque linearibus reflexis pariter diversa videatur. — An forte *C. chinensis* L. (DC. l. c. 130. 67. Wld. l. c. 974. 4) nec alior. hujus loci? *C. montana* Roth (DC. l. c. 126. 27), quam Wght. et Arn. ad *C. linifoliam* L. ducunt (Prdr. I. 190, 589. Wlp. Rprt. I. 587. 40), valde affinis videtur.

Descrpt. Herba annua erectiuscula, subprostrata, ramosissima pedem altitudine vix excedens, tota villoso-hirsuta; *rami* erecti, dichotomi, teretes virides, summo apice holosericei; *stipulae* lineari-lanceolatae, acuminatae, 0,2—0,3 poll. longae persistentes, marcescentes reflexae; *petioli* brevissimi vix 0,05 poll. longi teretes patentes; *folia* simplicia, ovali-oblonga, ovalia, elliptico-oblonga, imoque subrotunda (saepe in eodem ramo) subaequilatera, apice rotundata, nunc emarginata, mucrone minute apiculata, 0,35—1,35 poll. longa, 0,25—0,70 poll. lata, utrinque mollia, crassiuscula, subcarnosa, margine revoluta, subtus glauca, vix nervosa adpresse pilosa; *pedunculi* terminales, dein laterales, erecto-patentes

folio breviores rarius longiores, 0,8—1,2 poll. longi, 1— (rarius) 2-flori, gemmulis nonnullis terminalibus inevolutis praediti; *bracteae* in medio pedunculi 1—5 stipulaeformes erectae; pedicelli breves nutantes; *calyx* inapertus 0,6 poll. longus, molliter villosus, 5-partitus; laciniae 2 superiores oblongo-lanceolatae, acuminatae, 3 inferiores lineares acuminatae (omnes apice saepe conglutinatae inde corolla haud, aut haud rite, explicata reperitur); *stamina* 10, filamenta in tubum brevem 0,1 poll. longum, superne fissum, sericantem connata, apice libera flexilia, alterna breviora; antherae filamentorum breviorum lineares 0,1 poll. longae, longiorum subglobosae; *germen* oblongum 0,1 poll. longum, glabrum, viride gemmulis plurimis, in stylum primo declinatum, flavescentem sensim attenuatum, longitudine 0,1 poll.; stylus dein angulo acutissimo adscendens filiformis albidus, linea interna leviter barbatus; stigma angulo obtuso externo geniculatim insertum lineare villosum, 0,05 poll. longum; *fructus* immaturus, lucidus, viridis oblongus, margine inferiore curvatus, dein constrictus et in stylum persistentem attenuatus 0,3 poll. longus, 0,12 poll. latus, ad insertionem styli compressiusculus; gemmulae plurimae (+ 25) in funiculo umbilicali e margine vexillari dependentes, reniformi-oblongae, nitidulae, minimae virides.

243. INDIGOFERA TINCTORIA L. β. MACROCARPA DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6530. Msn. Gen. 86. Comm. 62. 116.

Char. Spec. cf. Wight. et Arn. Prdr. I. 202. 633 (deest inter Asiaticas Wlp. Rprt. I. 669, sed enumeratur inter Africanas Wlp. l. c. 661. 10.)

Descrpt. Suffruticosa erecta, ramosa, hinc inde pubescens, albida, tecta; *rami* teretes, firmi, hinc inde flexuosi, glabri, juveniles remote adpresseque nigrescenti-pilosiusculi; *stipulae* subulatae, erectae aut incurvae, minutae, petiolo insidentes; *folia* accrescenti-pinnata cum impari; *foliola* 3—6-juga, in petiolo supra canaliculato, ad juga subarticulato, 1,5—2,3 poll. longo, stipellis minutissimis, subulatis munito, subpetiolulata, oblongo-obovata, ad basin cuneata, obovata,

s. subrotunda, apice emarginata, glabra, subtus subglaucescentia, remote adpresse pilosa, 0,4 poll. lata, 0,7 poll. longa; *racemi* foliis breviores, axillares, 1—1,5 poll. longi, erecti, sessiles, multiflori, laxi, conici; *pedicelli* brevissimi, puberuli; flores parvi, ad basin racemi adproximati, versus apicem distantes et decidui, nutantes; *calyx* hirsutiusculus, 5-dentatus, dentibus latis, acutis, patentissimis; *vexillum* patens, sessile, supra medium revolutum, subrotundo-obovatum, luridum, striis luteis e basi lutea radiantibus; *alae* horizontales, margini interiori contiguae, miniatae, spathulatae, ungue brevi semi-torto, supra unguem canaliculato-complicatae et in carinae calcare equitantes; *carina* complanata obsolete curvata, apice truncata, basi bi-unguiculata, bifida, demum elastice reflexa, supra basin latere utroque calcarata viridiuscula, margine superiore rosea, inferiore nigrescenti-puberula; *stamina* diadelpha, unicum superius liberum, apice subulato, omnia adscendentia, libera, 5 majora; antherae oviformes, apice apiculatae, margine ciliatae, erectae basifixae, biloculatae; *germen* sessile elongatum, teretiusculum, gemmulis plurimis, rectum, 0,2 poll. longum; stylus adscendens, verticalis, filiformis; stigma capitatum, minutum; *fructus* ad basin pedunculi adproximati, immaturi virides, nitidi, pilis adpressis singulis obsiti, plus minus arcuati, septati, septis crassis; maturi subcylindrici, subtorulosi, deflexi aut plus minusve incurvi, fusci, glabriusculi, 1,3 — 1,4 poll. longi, styli rudimento apiculati, basi in stipitem parvum producti, exsucci, coriacei, septis liberis, membranaceis, rubescentibus septati, bivalves; suturae incrassatae; *semina* circiter 10, recta, cylindrica, utrinque truncata, glabra, laevia dein rugosa, atro-viridia. — Nomen sundaicum: *Tárum kdju*, i. e. lignosa s. arborescens, dum *Nila* nomen pigmenti e herba et foliis.

244. INDIGOFERA COERULEA Rxb.

Char. Spec. cf. Wght et Arn. Prdr. I. 203. 634. Wlp. Rprt. I. 669. 102; — (ubi erroneë flores *speciosi* dicuntur et folia subtus pilis *conspersa* loco: *tecta!*) *I. Anil.* β. *polyphylla* DC. (Prdr. II. 224.) Hsskl. Catal. 1192. 17.

Descrpt. Frutex 4—8 ped. altus; *rami* teretes; ramuli angulati, torti dense adpresse pilosi, virides, versus apicem olivacei; *stipulae* subulatae; *folia* accrescenti-pinnata cum impari; *foliola* 4—6-juga in petiolo communi 2,2—3,5 poll. longo, semi-tereti, subarticulato, canaliculato, adpresse piloso petiolulata, oblongo-obovata, apice setoso-mucronulata, supra glabriuscula, subtus *glaucescentia*, adpresse puberula, 0,9 *poll. longa*, 0,4 poll. lata; *racemi* axillares, erecti, 1,5 poll. longi, multiflori; *flores* breviter pedicellati, nutantes, parvi (nec speciosi Wlp.!!), versus basin rhachidis densi, superiores decidui; *calyx* extus *cum vexillo carina*que nigrescenti-strigosus, 5-fidus; laciniae ovatae, acutae, subrectae; *vexillum* alas vix aequans subsessile, rubescens, compressiusculum, subrotundum, suberectum; *alae* obliquae, margine superiore conniventes, inferiore carinae adpressiusculae, miniatae, breviter unguiculatae, ungue albido, supra unguem canaliculato-complicatae indeque calcaribus carinae insidentes, equitantes; *carina* demum elastice deflexa, subarcuata, biunguiculata, basi bifida, bicalcarata, apice obtusa, a lateribus compressa, genitalia fovens; *genitalia* antecedentis speciei, sed paullo minora; *fructus* plurimi ad basin rhachidis aggregati, breviter pedunculati penduli, primo pilis adpressis conspersi dein glabri, coriacei, longitudine latitudinem 5-plo superantes, falcato-recurvati, subtorulosi et septati, apice styli rudimento mucronulati, suturae incrassatae; *semina* 4—6 rhomboidea laevia dein rugosa, atro-viridia, speciei antecedentis minora.

Obs. Adest varietas quaedam, quae fructus tantum perpaucos profert oligospermos (1—2 sp.), et ob uberiorem quantitatem partium herbacearum ad producendum pigmentum Nilae plerumque adhibetur. Differt haec ab incolis *Tárum Kembàng*, i. e. Indigofera floribunda dicta a specie normali: ramulis et petiolis rubescentibus puberulis; foliolis 5—7-jugis oblongis aut obovatis, 0,7—1,3 poll. longis, 0,3—0,5 poll. latis, fructibus paucissimis, oligospermis, crassioribus.

245. XIPHOCARPUS CANDIDUS Endl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6539. 6543. 6544. Sppl. II. 6714/1. *Tephrosia,* cui secundum Msn. Gen. 89. Comm. 63. 165 et Wght. et Arn. Prdr. I. 210. 653 — esset adnumeranda species haecce, ex Endl. l. c. 6539 differt: calyce subcampanulato 3-fido, laciniis superioribus profundius fissis, vexillo extus hirsuto alis carinaque sublongiore, stylo filiformi nec hamato. — *Mundulea* DC. subgen. d. Endl. l. c., cui antea (Hsskl. Decad. 9.) adscripsi speciem hancce, etsi calycis structura adfinior, tamen praeter alia signa, filamentis monadelphis differt. — *Xiphocarpus,* cui Endl. l. c. 6543 adscribit spec. nostram, attamen paucis hisce differre videtur: petalis subaequilongis, carina emarginata 2-fida (nec 2-pode ultra medium a basi 2-partita!), fructu elongato-lineari! — *Lonchocarpus* (Endl. l. c. 6544), ob fructum indehiscentem ad *Dalbergieas* ductus, cui Wlp. (Rprt. I. 678) non consentit, — et quem nimis adfinem nostrae speciei dixi (Adnot et Cat. 1194. 1) — differt: calycis dentibus obsoletis, petalis subaequilongis, gemmulis in germine 4—8, fructu membranaceo, oblongo-lanceolato, 1—2-spermo. *Kiesera* Rnwdt. Endl. Gen. 6654. Msn. Gen. add. 350. 123/1, nullo jure *Clitorieis* adscriptum genus!

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. et Adnot. 1194. 1. (*X. martinicensis* Prsl. Wlp. Rprt. I. 678, an certe synonymus habendus?) *Tephrosia candida* DC. Prdr. II. 249. Hsskl. Dec. 9. — Legum. 4. — Wght. et Arn. Prdr. 1. 210. 653. — *Kiesera sericea* Rnwdt. Wlp. Rprt. I. 762. 1.

Descrpt. Frutex erectus ramosus; *rami* juniores flexuosi teretes, multisulcati aut multangulares cum petiolis pedunculisque holosericei, flavo-virente; *folia* alterna, pinnata cum impari; petiolus communis basi articulatus, incrassatus, dein canaliculatus, in canali glaber, 3,5—6,0 poll. longus; *foliola* 6—11-juga, breviter petiolulata, inferiora minora, oblonga s. oblongo-lanceolata, basi obtusiuscula, apice acuta et mucronulata, supra glabra viridia, subtus albido-, s. glaucescenti-sericea, margine albido-ciliata, 1,5—2,5 poll. longa, 0,5—0,6 poll. lata; stipulae subulatae, lanceolatae, holosericeae; *racemi* axillares aut terminales inferiores longiores, superiores breviores, oliganthi; *pedicelli* plerumque solitarii, nunc bini ternive fasciculati, 0,5—0,7 poll. longi, semi-teretes, cum calyce nigrescenti-puberuli; *calyx* urceolato-campanulatus, persistens, inaequaliter 5-dentatus, subbilabiatus; *dentes* bini summi brevissimi, obtusiusculi, rotundati, caeteri inferiores ovati, acuti, a medio ad apicem compressi, summis

longiores; *vexillum* verticale patentissimum, intus cum alis et carina albidum s. lacteum, extus fusco-sericeum breviter et excavato-unguiculatum, suborbiculare, obsolete emarginatum, margine ciliatum, 0,75 poll. latum et longum aut paullo latius; *alae* oblique obovatae pollicem longae, 0,5—0,6 poll. latae, margine superiore conniventes, carinam obtegentes, breviter unguiculatae, supra unguem carinae adglutinatae; *carina* 2-pus, a basi ultra medium bipartita, a latere compressa, falcata, apice obtusiuscula, obsolete emarginata, lutescens; *stamina* 10 diadelpha; filamenta 9 in tubum rectum 0,7 poll. longum, argenteum connata, decimum liberum, tubo saepius adglutinatum, apice omnia libera adscendentia inaequilonga, 0,2—0,4 poll. longa, falciformia, undulata; *antherae* luteae; dorso medio affixae, ovatae, erectae, peltatae, 2-loculatae, loculi lineares appositi, rima longitudinali dehiscentes; pollen viridi-lutescens; *germen* stipite brevissimo globoso suffultum, complanatum 0,7 poll. longum, 0,1 poll. vix latum, sericeum lineare; stylus hamatus, in flexura jubatus, dein complanatus, introrse stigmate glanduloso-piloso totus obsitus; *fructus* lineares, leviter arcuati, immaturi velutini nigrescenti-holosericei, dein exsucci coriacei, tomentosi, continui, compressi, subrostrati, plerumque indehiscentes, rarius 2-valves, 10—13-spermi; *semina* ellipsoidea compressa, sublenticularia, suturae inferiori inserta, sessilia, basi in centro affixa funiculo umbilicali papillaeformi laevia, exsucca; integumentum seminis externum tenuissimum interno coriaceo arcte adhaerens; *nucleus* exalbuminosus, cuticula tenui albescenti tectus; hilus centralis concavus ellipticus; omphalodium striiforme; cicatricula stomatis foraminuliformis; *embryo* longitudinalis, hamatus curvatus; cotyledones maximae aequales, contiguae, accumbentes, compressae, ovatae, integerrimae, laeves, subfoliaceae, luteae, conglutinatae, in nervis paginae interioris sulcatae; radicula solitaria, inferior, brevis, prominens fusiformis, obtusiuscula, laterali-flexa; *gemmula* obtecta, inclusa, inconspicua.

246. SESBANIA COCHINCHINENSIS DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6551. Msn. Gen. 88. Comm. 63. 143 et p. 350.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 266. 17 et *Sesb. gracilis* Schrd. DC. l. c. 265. 13, cui magnopere affinis videtur nostra, sed foliola oblongo-linearia 9—12- (nec 15-)juga; — cf. et *Sesb. aegyptiaca* Pers. W. et A. Prdr. I. 214. 667, quae sola fruticosa, tamen differt foliolis 10—18-jugis, racemis 3—12-floris pendulis (nec 2—3—pauci-floris, floribus *erectis*). Wght. et Arn. l. c. 669 adnt. hanc speciem dubiose *S. cannabinam* habent, quae a nostra differt caule herbaceo, foliolis linearibus, floribus multo minoribus, ni aliis signis! — Ex illis *Sesbaniis* in Wlp. Rprt. I. 680. II. 858 nulla nostrae affinior videtur! — Hsskl. Leg. 5.

Descrpt. Frutex arborescens ramosa; *rami*: teretes foliaque glabri; *petioli* 2,0—2,5 poll. longi; *foliola* oblongo-linearia, 9—12-juga, 0,4—0,9 poll. longa, 0,2 poll. lata; *pedunculi* 2—3-flori, nunc subracemosi, pauciflori, nunc in apice ramorum subpaniculati, 0,9—1,0 poll. longi, graciles, filiformes, erecti; *pedicelli* 0,3 poll. longi; *calyx* subcampanulatus, brevis, 5-dentatus; *vexillum* subrotundum, unguiculatum, bicristatum (2-lamellatum), apice emarginatum, 0,7 poll. latum, intus aurantiacum, extus pallidius, striis punctisque densis maculatum; *alae* oblongae, obtusae, aurantiacae; *carina* bipus, pallide flava; *fructus* erecti, teretiusculi, subcompressi, subtorulosi, 6—8 poll. longi, 0,15—0,2 poll. lati, styli rudimento persistente, plus minus longo apiculati, bivalves, intus septulati; *semina* subcylindrica in locellis solitaria, utrinque obtuse truncata, glaberrima, nitida, hepatica. — Nomen sundense: *Tjatjándi.*

247. AGATI GRANDIFLORA Dsv.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6553. Msn. Gen. 88. Comm. 63. 144 — staminum vaginam auriculatam, auriculis magnis, reperire haud potui; — rectius dicas: filamenta (et liberum et connata) basi primum horizontalia, dein curvato-adscendentia, dein horizontalia et tum descendenti-horizontalia versus apicem adscendenti-curvata, subfalcata! — (Hsskl. Legum. 6.)

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 215. 671. (Wlp. Rprt. I. 681. 1), qui jure *Turi-meera* Rmph. amb. I, 190 t. 77 ab antecedénte *Turi-putie* (l. c. 188 t. 76) haud specifice distinguendam habent et inde suadent *A. grandifloram* et *coccineam* Dsv. DC. Prdr. II. 166. 1 et 2 conjungendas esse. Icon tab. 77, Rmph. l. c. haud bona dicenda

et pariter in descriptione arbor humilior, foliola minora, flores paullo minores, legumina breviora laudantur, quae omnia vix in varietate utraque praeter colorem petalorum diversa reperiuntur! — cf. Rheed. Hrt. Mal. I. 95 t. 51 sub *Aeschynomene*; *Aeschynomene aspera* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 68, nec L. *Coronilla* Wld. Sp. pl. III. 1145. *Sesbania* Poir. Sprng. Syst. Veget. III. 272. Hsskl. Leg. 6.

Descriptionem vid. Rumph. et Rheed., *foliola* autem oblonga, longitudine pollicem vix excedentia, nunc emarginata; *flores* albidi haud colorem mutant, punicei (nec coccinei autor.!) dein purpurei fiunt; *filamentorum* apices tenuissimi subuliformes; antherae paullo supra basin affixae versatiles oblongae, acutae, croceae; *fructus* tetragoni, compressi, lateribus binis angustis, binis alternis latioribus 0,35—0,40 poll. latis, 18 poll. longi, stipite 2,5—3,0 poll. longo suffulti, pseudo-multiloculati; *semina* fulva 0,2 poll. longa. — *Rumphius* divus semina haud facile germinantia dicit; in horto Bogoriensi plantulae spontaneae saepissime progrediuntur circa arbores maternas; *folia cotyledonea* breviter petiolata, oblonga, foliolis foliorum adultorum simillima, exstipulata, dein folium provenit tertium obovatum latius, cum petiolo paullo longiore articulatum, ad basin petioli bistipulatum; reliqua folia jam complete pinnata evadunt imoque primum cum sequente impari-, dein reliqua abrupte pinnata. — Nomen malaicum ac sundense: *Túrie*, cui quoad colorem floris cognomen additur m. *púti* / s. *bódas* (alba) aut m. *mèrha* / s. *bürrüm* (rubra).

248. ARACHIS PROSTRATA Bnth.

Char. affinit. An jure genus hocce *Hedysareis* adscriptum? Opponunt signa diversa: *primo* radicula embryonis recta inde genus *Orthorhizeis* adscribendum! — *secundo*: cotyledones crassae inde: *Phyllolobeis* haud adscribendum esset, sed *Sarcolobeis!* — imoque majori jure *Dalbergieis* adjungendum esset; *tertio*: legumen est continuum (nec articulatum) 1-loculatum, 2—3-spermum indehiscens inde *Hedysareis* nullo modo adfine! — Mea opinione, si Curvembriis addicendum esset, genus juxta *Euchrestam* Bennet Endl. Gen. 6727 ponerem!

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6601. Msn. Gen. 97. Comm. 69. 319 add. 353. 196/1. Wght. et Arn. Prdr. I. 279, sed flores omnes hermaphroditi! nec polygami, nec in spicam approximati; pariter desunt

flores feminei absque calyce, corolla et staminibus, stylo brevissimo Endl. Char. gen. Wght. et Arn. l. c. (Msn. l. c.) optimus, Msn. autem erroneë addit, flores fertiles subterraneos esse! — De evolutione succedanea fructus vid. Hsskl. Tydschr. Nedrl. Ind. III. II p. 146—149. Hsskl. Legum. 42 ubi: „*flores* fertiles pariter ac steriles „aërei, post anthesin autem *corolla* cum calyce ejusque tubi parte „superiore marcescit; *germinis stipes* dein excrescit, fere usque ad „apicem tubi calycini parte inferiore villosissima albida cinctus, apice „tantum tubi calycini parte emarcida tectus, quae mox decidua, „apicem stipitis, germen gerentis, deliberat, acutum atro-sanguineum; „hoc statu *germen* a stipite secando tantum distinguendum, cujus „ope *gemmulae* minutae 1—3 ad apicem ipsum videri licet; *stipes* „tali modo ad longitudinem 2,0 — 3,5 poll. progressus, ad medium „hirsutus, a medio ad apicem glaber et sanguineus, terram petit et „longitudinem 3—6 poll. attingit; pars subterranea nunc albescit, „apex autem immutatus colorem intensiorem retinet, dein ipse apex „intumescit, primo oviformis evadit vix 0,2 poll. longus apice san„guineo, caeterum sordide albescens et sectione gemmulas bene di„stinguendas praebet; nunc *germen* subterraneum hocce sensim sen„simque accrescit et formam descriptam (Wght. et Arn. Msn. Endl.) „adipiscitur!" — cf. Piso Hist. nat. et med. p. 256 cum icone bona; Rmph. amb. V. 426 t. 156. 2, quoad fructus mala icon. Hsskl. Adnot. et Catal. 1208. 1.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. I. 728. 4. Hsskl. Leg. 42 ad finem sub. *A. hypogaea* L. Wld. Sp. pl. III. 1021. DC. Prdr. II. 474. 1. α. caule hirsuto. — *Arachnida quadrifolia* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 69. — Nomen malaicum: *Kátjang tána,* sundense: *K. súur,* i. e. Faba terrestris.

249. AESCHYNOMENE (EUAESCHYNOMENE) INDICA L. β. ASPERA HSSKL.

Char. Ordinis et Subord. Hedysareae, ad quas nostra ducenda, in Papilionaceis jure inter *Loteas* et *Vicieas* collocatae sunt, nam cotyledones saepe, ut in nostra, crassae reperiuntur et legumen nunc (cf. Zolling. Arch. III p. 78) plane in articulos secedens, nunc totum dehiscens in eadem stirpe et inde si *Pseudarthriam* reducas ad *Desmodium,* pari jure *Hedysareas* reduci oportet ad *Trifolieas* aut *Phaseoleas,* prioribus ob leguminis structuram et habitum magis adfines.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6605.[a] Msn. Gen. 91. Wght. et Arn. Prdr. I. 218, sed calycis labium inferius integrum, alae obovato-cuneatae planae, nec oblongae nec (recentes) foveolato-rugosae (Endl.), stamina monadelpha, tubus infra fissus, dein infra et supra fissus et inde in phalanges binas 5-andras secedens; semina compressiuscula reniformia. — *Euaeschynomene* Vogel cf. Endl. Gen. l. c. [a], nostra a Wlp. Rprt. I. 733. 8 ad subgen. *Ochopodium* ducta una cum indicis omnibus.

Char. Spec. cf. *Ae. aspera* L. DC. Prdr. II. 320. 1. Wght. et Arn. Prdr. I. 219. 678. Wlp. Rprt. I. 732. 7, quae solummodo caule nunc natante ab *Ae. indica* L. diversa, nec sufficienter; cf. Wght. et Arn. l. c. 679. Wlp. l. c. 733. 8. II. 889. 4, quae e diagnosi solummodo caule diffuso, uti forma nostra profusa, foliolisque paucioribus differt, an sufficienter? Wght. et Arnott *Ae. Roxburghii* Sprg. (*Ae. subviscosam* DC. Prdr. II. 321. 13. Hsskl. Catal. 1209. 5) ad *Ae. indicam* L. ducunt, quae ulterior plane nostram quadrat et inde affinitatem eo melius probat. *Gajati luteus* Rmph. amb. IV. 64 huc pertinere videtur; tab. 24, uti foliolorum numerus indicat, huc pertinens, mala! *Ae. montana* Spanoghe Wlp. Rprt. I. 734. 26 specimina elata repraesentat, haud a nostra diversa; *Ae. quadrata* Schum. et Thonn. Wlp. l. c. 732. 1 e diagnosi haud distinguenda; an *Ae. cachemirica* Cmbsd. Wlp. l. c. 734. 24 forsan huc referenda? *Ae. glaberrima* Poir. DC. l. c. 7 formam humilem sat refert.

Descrpt. Herbae annuae, in graminosis paludosis, pro tempore inundatis prope *Batuviam* et *Bogor* etc. Javae occidentalis sat frequentes graciles erectae; *caulis* erectus 2,0—3,5 ped. altus ramosissimus, ad basin in inundatis valde incrassatus, 0,5—0,2 poll. crassus, extus luride viridis, *verruculis* planis, intus rubentibus et fasciculis vasorum dichotomis percursis, magis minusve elevatis et evolutis atque *radicibus* tenuissimis capillaribus longis obsessus, intus candidus, versus peripheriam circulos annulares 2—3 ostendentes, pro maxima parte spongiosus medullaris, radiis ad circulos percurrentibus verticalibus interstinctus, centro ipso fistuloso; supra basin teres laevis glaucescens, pilis sparsis obsessus; *pili* basi globosa persistente dein rubente et e cellulis minutis viridiusculis roseisque interspersis constante, glabra suffulti, capillares basin vix duplam longi, apice minute capitulati, capitulis hyalinis, apiculatis (cf. Schld. l. c. 268. 87. [a]), decidui; *rami* in quaque fere foliorum axilla patentes, cauli ipsi conformes, inferiores longiores 6—18 poll. longi, superiores 3—6 poll. longi; *cellulae epidermoidales* subquadratae, circa stomata irregulares, marginibus laevibus rectis; *stomata* ovalia minuta, rimulam linearem utrinque attenuatam ostendentia; *stipulae* ad basin petioli binae collaterales, latere in medio peltatim insertae, cauli adpressae erectae, pars adscendens lanceolata, acuminata, 0,4 poll. longa,

descendens subquadrata, 0,2 poll. longa, angulo extrorso subulato, totae 0,6 poll. longae, 0,12 poll. latae, medio viridi albidae, ad marginem pallide virides, margine et nervo medio rubentes, caducae, emarcidae, cicatricem linearem relinquentes; *folia alterna* pinnata sensitiva, primo erecta, mox patentia et patentissima et imo refracta verticalia, caulina in uberioribus 5 poll. longa, 40-juga, ramea et caulina in minus uberibus 2,5—3,0 poll. longa, 25—30-juga; *petioli* subtrigoni teneri, dorso convexi, antice acute carinati, anguste lineares apice subulati, pilis basi globosis, pariter ac rami, obsessi, glaucescentes, foliolis in praefoliatione et somno antrorsum imbricatis et petiolo parallelis obtecti, basi tantum brevissima teretiuscula 0,1—0,2 poll. longa nudi, ima basi incrassata articulatim inserti, ad insertionem petiolorum leviter exsculpti; *petioluli* brevissimi pallide virides, nodi instar crassiusculi; *foliola* inferiora majora opposita aut subopposita, superiora sensim minora alterna, summa infimorum quartam partem magna subconformia, oblonga apice rotundata, minute mucronulata, basi inaequalia et inaequilatera, margine in somnientibus supero paullo latiore et producto rotundato, altero vix attenuato, supra intense viridia margine rubenti, subtus glauca eleganter minutissime punctulata, utrinque glabra 0,25—0,05 poll. longa, 0,10—0,03 poll. lata; *racemuli* in ramulis axillaribus solitariis aut geminis abbreviatis 1—2-, rarius pluri-flori, terminales 1—2-flori, rarius bini, alter in folio inferiore axillaris 2—3-florus, alter terminalis 1—2-florus, ita ut ramulus 5-florus evadat; *folia floralia* 1,5—0,7 poll. longa, reliquis conformia, sed minora 12—15-juga; *foliola* minora, respectu longitudinis latiora, caeterum conformia; *stipulae florales* minutae, ovato-lanceolatae, acuminatae, basi semi-sagittatae, semi-amplexicaules, nervo medio et margine purpureae, acute ciliato-serrulatae, 0,15 poll. longae, 0,07 poll. latae; *pedunculi* primo erecti, dein patentes 0,3—, fructiferi 0,5 poll. longi, teretes, glandulis rubris piliferis (uti rami) dense obsessi, virides supra purpurascentes; *bracteae* ad pedicellorum basin ovatae, acutae, basi sagittato-cordatae, acu-

tae, nervo medio et margine purpureae, pilis basi glandula globoso-conica, purpurea suffultis, tenuissimis apice glanduloso-capitulatis, antrorsis, dein deciduis serrato-ciliatae, 0,1 poll. longae, 0,06 poll. latae, longe persistentes, dein marcescentes deciduae; *pedicelli* basi nodoso-incrassati, teretes, pariter glanduloso-pilosi patentes 0,1—0,2-, fructiferi 0,3 poll. longi; *bracteolae* ad basin calycis collaterales binae eique adpressae, lanceolatae, acuminatae, 0,1 poll. longae, argute serratae, virides rubro-marginatae, longe persistentes; *calyx* persistens emarcidus a lateribus compressus basi cupularis, bipartitus, bilabiatus, pallide viridis, punctulis rubris conspersus glaber, 0,2 poll. longus; *labium superius* inferiore paullo brevius ast latius, basi horizontale dein adscendens, vexillo incumbens, oblongum apice bilobum, lobis brevibus acutiusculis, margine albido-membranaceum; *inferius* paullo longius et angustius integrum vix 3-denticulatum, naviculare, in praefloratione margines superius imbricatim tegens et recipiens, dein carinae arcte adpressum; *vexillum* ima basi attenuatum erectum, dein horizontale viridiusculum, maxima parte adscendenti-erectum, subrotundo-obovatum, apice leviter emarginatum, dorso carinatum, plerumque compressum incumbens, ante anthesin petala reliqua obtegens et involvens, in anthesi patens, flabellatim nervosum; *dorso* sulfureum sed e punctulis creberrimis, densissimis sanguineum et margine tantum sulfureum, minutissime serrulato-ciliatum, ciliis basi glandula viridi subglobosa suffultis tenuissimis, apice plerumque acutatis, rarius glanduliferis, *subtus* stramineum, medio macula cinnabarina basin vineam cingente notatum, diametro 0,28—0,25 poll., accedit basis 0,1 poll. longa; *alae* verticaliter expansae horizontales, genitalibus parallelae, oblique obovato-cuneatae, vineae 0,25 poll. longae, 0,01 poll. latae, basi tenuissime canaliculato-stipitatae, margine superiore integrae, inferiore ciliolatae; *carina* cymbiformis horizontalis, apice acuta adscendens breviter bifida, basi ad medium fere fissa (potius petala bina falciformia, acuta, basi longiter canaliculato-attenuata, uti alae nervis flabellatis percursa, a medio

apicem versus connata) viridi-flavescens glabra, alis paullo longior, medio 0,1 poll. lata; *stamina* 10, juvenilia ima basi, dein longius — monadelpha persistentia, emarcida; *tubus filamentosus* dein a latere compressus horizontalis adscendenti-curvatus, subtus ad basin versus fissus 0,1 poll. longus, viridi-albus, lucens glaberrimus, dein et supra fissus et in phalanges binas parallelas 5-andras partitus; *filamenta* longe libera, tubum duplum longa 5-dynama, alterna paullo breviora filiformia, viridi-albida, apice subulata; *antherae* breviorum paullo minores sed conformes, ovatae s. ovato-oblongae, utrinque axi floris parallele compressae et profunde sulcatae, aurantiacae, paullo supra basin dorso insertae, inclusae, biloculatae, effoetae lineari-oblongae, acutiusculae, 0,02 poll. longae, glaberrimae; *connectivum* tenuissimum; *loculi* paralleli subteretes contigui, introrsum longitudinaliter rima dehiscentes; *pollen* albescenti-flavum, siccum (nec exsiccatum!) oblongum, utrinque obtusum, sub aqua conspectum, globosum glabrum, fovilla copiosa foetum; *germen* juvenile rectum sessile, anguste lineare horizontale, in anthesi basi in stipitem ejus longitudinis 3-tiam partem longum, tenuissimum attenuatum, lineare subfalcatum, 0,1 poll. longum, intense viride compressum, verruculosum, apice in stylum attenuatum, transverse 4—8 septatum et 5—9-loculatum; *verruculae* subglobosae virides dein rubentes, apice pilo tenuissimo, adpresso, hyalino, deciduo, acutissimo terminatae; *stylus* basi a latere compressus albidus falcato-filiformis, germen longitudine aequans, apice paullo dilatatus, *stigma* unilabiatum, ovato-acutum gerens; *stigma* basi pilosum caeterum papillosum; *pili* teretes hyalini, acutiusculi, primo adpressi dein patentes; *papillae* nil, nisi pili abbreviati; *fructus* patentissimi, basi calyce et staminibus persistentibus emarcidis involucrati, in stipitem 0,2 poll. longum teretem attenuati, apice stylo persistente, basi vegeto caeterum emarcido apiculati, lineares compressi, suturis attenuatis, medio crassi, sutura vexillari recta, carinali 6—8-crenulata, inter semina transverse costulati et septati, 1,0—1,3 poll. longi, 0,13 poll. lati, primo virides, pilis basi glandula

rubra suffultis conspersi, nec verrucosi, dein inter semina magis magisque constricti et centro verruculosi, verruculis in series longitudinales fructibus parallelae subconfluentes postremo rubiginosi, medio ad verruculas badii et inter semina rimulis lateritiis instructi, postremo in articulos subquadratos 5—8 secedentes, 0,12 poll. longos et latos, infimum et summum altero latere attenuatum, paullo longiora; *articuli* haud dehiscentes; *epicarpium* coriaceum; septa tenuissima; *membrana* interna tenuis lucida rufa; *semina* suturae vexillari ope fili umbilicalis brevis inserta reniformia, compressiuscula, brunnea, sublucida, umbilico hepatico ovali; *testa* coriacea, crassa; *embryo* albumine inclusus eique arcte adhaerens lividus, *radicula* cylindrica, conica, 0,09 poll. longa, curvata, a latere compressus; *cotyledones* oblongae, crassae, sectione transversali solummodo linea ab albumine 2-partibili distinctae, sub lente textura diversae; albuminis cellulae dodecaëdrae amylo foetae; cotyledones transverse striatae e cellulis transversis oblongis; *plumula* minuta eleganter pinnulata.

Forma pumila a praecedente differt hisce: herbulae ad margines paludum emersae, 6—18 poll. altae, tenerae erectae, ramosae; *caulis* teres glaber, basi tuberculatus pallide-, apice glaucescenti-viridis; *stipulae* binerviae tenuissimae, nervus alter in lobum descendentem ovato-oblongum, obtusum percurrens; alter in lobum erectum, acuminatissimum, 0,3 poll. longum, basi 0,1 poll. latum; *folia* 3,5—4,0 poll. longa; *foliola* 25—40-juga, basi subcordata, apice obtusa, minutissime mucronulata; *racemi* nunc ramulo axillari excrescente laterales 1—2-flori; *pedunculi* graciles filiformes 0,3—1,0 poll. longi; *stipulae* florales subconcavae, 0,1 poll. longae; calyx tenuis membranaceus, labium inferius 0,2 poll. longum.

Forma profusa; herbae pusillae; caulis procumbens adscendens 6—24 poll. longus, vix supra Cyperos et Gramina vicinos elatus, plerumque glaber. — Mensibus Decembri ad Majum flores fructusque gerentes vidi. — 1846.

250. SMITHIA SENSITIVA Ait.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6608. Msn. Gen. 91. Comm. 64. 205 — sed calycis lobi inaequales, superior inferiore plus 2 plo latior et paullo longior, alae haud transversè plicatae (in speciminibus vivis), sed longitudinaliter striato-nervosae!

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 323. 1. Lam. Ill. t. 627. Wld. Sp. pl. III. 1161. Hsskl. Papil. 4, ubi bracteae et praeprimis calyx glaberrimi, nec muricati, laudantur; — icon Lamarkii habitum plantae, in apricis enatae, praebet; in locis humidis et stagnantibus longiter repens evadit; — cf. descriptionem Aitonii in Wld. l. c. — specimina nostra *palustria.*

Diagnosis Wght. et Arn. Prdr. I. 220. 683 haud plane nostram quadrat, differt enim a nostris speciminibus: foliolis ovalibus (nec oblongis), racemis brevibus, calyce nunc setuloso, labio inferiore nunc 3-dentato, vexillo orbiculato, calycem longe excedenti; — attamen *S. sensitiva* Ait. sec. Wght. et Arn. nostrae proxima.

Descrpt. Herba annua nunc perennis in graminosis et paludosis habitans, in apricis vix semi-pedalis procumbens, in stagnantibus nunc ad longitudinem 2—3 pedum prorepens; *radiculae* fibrillosae albae; *caulis* a basi ramosissimus plerumque dichotomus, rami nunc patentissimi, nunc vix patentes diffusi teretes flexiles, apice adscendentes glabri rubentes nunc viridiusculi; *stipulae* ad insertionem foliorum peltato-adnatae, ramo adpressae lanceolato-oblongae utrinque attenuatae superne acuminatae, inferne bifidae, lacinia altera brevissima acuta s. truncata, altera subulato-acuminata, dein paleaceae persistentes 0,3—0,4 poll. longae, 0,1 poll. latae, summae ad divisionem pedicellorum (bracteae) conformes sed angustiores 0,04 poll. latae, 0,2 poll. longae; *petioli* alternantes patentes 0,3—0,7 poll. longi, a latere compressi virides, subtus una cum foliolorum marginibus nervique medii in pagina inferiore pilis longis adpressis raris hirsuti, apice in mucronem subulatum attenuati; *foliola* 3—7- (in nostris nunquam 10-, Wld. l. c.) juga, oblonga, apice vix acuta et mucrone subulato brevi apiculata, supra glabra subtus glaucescentia et minute punctulata; *racemi* axillares patentes, foliis longiores 2—5-flori; *pedunculi* graciles teretes stricti, ad insertionem pedicellorum bracteis stipulaeformibus muniti, 0,6—

1,0 poll. longi; *pedicelli* bracteis involuti, 0,1 poll. longi recti omnes patentes s. apice cernui; *calyx* basi bracteolis 2 lateralibus ovatis acutis margine membranaceis, juxta nervum medium viridibus 0,12 poll. longis, 0,6 poll. latis persistentibus adpresse cinctus, coriaceus viridis, ad margines membranaceus sublilacinus longitudinaliter nervosus glaberrimus, 2-partitus, 2-labiatus, in anthesi patens ante et post anthesin clausus, lobus inferior margines superioris includens, superiore angustior et paullo brevior concavus navicularis integerrimus, superior 0,25 poll. longus, 0,2 poll. latus, complicatus, ovatus, acutus; *corolla* aurea patens; *vexillum* patens obovato-subrotundum, diametro 0,2 poll., in unguem latiusculum attenuatum, supra unguem macula semi-lunari coccinea angusta; *alae* rectae horizontales, basi anguste unguiculatae, oblongae, angulo basilari superiore producto, 0,22 poll. longae, 0,06 poll. latae, obtusae, longitudinaliter nervoso-striatae, planae; *carina* horizontalis straminea, in petala 2 fere tota dissoluta, versus apicem subtus tantum connata, alas aequantia, sed basi in subulam, unguiculo parallelam tenuem producta; *stamina* 2-adelpha, phalanges pentandrae, filamenta apice longiter libera adscendentia, subaequalia; antherae subglobosae, polline aurantiaco foetae; *germen* lineare angustissimum 0,1 poll. longum, margine carinali recto stricto, superiore vexillari sinuato-crenato (fructum *Aeschynomenae* referens) glabrum; stylus filiformis adscendens glaber; stigma minutum capitellatum; *fructus* intra calycem persistentem clausum viridem, dein flavo-fuscum imoque badium inclusus, 4—7-articulatus, inter articulos suborbiculares constrictissimus, ad instar pedicelli filiformis brevissimi curvati suturae superiori continui (cf. Linn. praelect. in ord. nat. p. 426 et icon. Lam. haud bonam); *articuli* mox secedentes rufi anguste marginati, in disco dense tuberculati, diametro 0,05 pollicis; *semina* reniformia compressiuscula, lucida, cerina, minuta. — Nomen sundense: *Kadáka tjùan.*

251. LOUREA VESPERTILIONIS Dsv.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6609, Msn. Gen. 91. Comm. 65. 212 in hoc genere et *Uraria* alae transverse rugosae s. plicatae laudantur, quas in vivis semper laeves reperi, carinae supra basin adglutinatas eaque paullo breviores; styli pars inferior in utroque genere pariter et apex verticalis rigidior: differentia inter utrumque genus praeprimis in calycis structura ponenda, fructibus in utroque sibimet perquam similibus.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 323. 1. Wld. Sp. pl. III. 1177. 17 (ubi descrpt.), Wght. et Arn. Prdr. I. 221. 685 (Wlp. Rprt. I. 735. 1), qui foliola lateralia dicunt aut nulla aut angusta oblique cuneata apice truncata, terminale autem decies latius, quam longum.

Descrpt. Herba annua simplex 12—15 poll. alta, aut dein suffrutescens 2—3-ennis, 3—3,5-pedalis ramosa; *rami* (caules) teretes virides minutissime hamulosi dein glabriusculi; *stipulae* lineari-subulatae 0,3 poll. longae, ciliatae, marcescenti-deciduae; *petioli* patentes s. patentissimi teretes, supra angustissime canaliculati 1,0—0,4 poll. longi, plerumque foliolo unico teminali (rarius lateralibus angustis, oblique cuneatis apice truncatis Wght. et Arn. Prdr. I. 221) praediti; *stipellae* minutae filiformes ad basin folioli et hinc inde supra medium petioli; *foliolum* transversum ellipticum s. oblongum nunc semi-lunare subbilobum, lobis singulis subfalcatis, 1,3—0,6 poll. latum, 0,5—0,25 poll. longum, 2—3-nervium, minute hamuloso-puberulum dein glabratum, in plantis junioribus luride atro-sanguineum juxta nervos luride roseo-pictum, in senilibus luride rubicundo-atro-viride, juxta nervos pallide pictum, ad margines laete viride, pulcherrime reticulatum, subtus glaucescens (in junioribus pariter rubicundum) in petiolo pendulum et lusu ventorum maxime mobile; *racemi* terminales s. in ramis axillaribus terminales, primo conico-oblongi bracteis imbricatim tecti; *bracteae* ovato-lanceolatae, acuminatae, concavae, hamuloso-puberulae, ciliatae, virides dein rubicundae; — *racemi* dein elongati, subcylindrici, nec densiflori, bracteis caducis plerumque destituti, postremo in inferiore parte fructiferi, summo apice florigeri, 2—4 poll. longi, stricti; *pedicelli* bini patentes 0,1 poll. longi, phoenicei, pariter ac calyces hirti; *calyx* campanulatus viridiusculus

nervis sanguineis percursus 5-fidus, laciniae lanceolatae, subulato-acuminatae, superiores 2 paullo breviores, omnes in anthesi patentissimae post anthesin conniventes et calycem tunc vesicarium claudentes; *corolla* flavescenti-albida; *vexillum* patens diametro 0,15 poll. suborbiculatum, apice vix emarginatum, basi attenuatum et supra basin intus rubenti-maculatum, defloratum corrugatum, genitalibus subincumbens; *alae* oblongae, subfalcatae, obtusiusculae, carina breviores eique supra basin adglutinatae; *carina* 0,18 poll. longa, 0,1 poll. lata primo horizontalis genitalia includens, mox resiliens alasque secum gerens, medio in linea media fissa, nec tota in petala libera sejuncta, etsi facillime cultri ope secernenda; *stamina* horizontalia, filamentum vexillare totum liberum et tubus stamineus rectus; *filamenta* apice libera adscendentia, inaequilonga, dein marcescentia, persistentia; antherae oblongae; *germen* tenuissimum lineare subfiliforme 0,13 poll. longum, ad gemmulas 4—8 subtumidum, glabriusculum, rectum, apice in styli partem inferiorem horizontalem rectam, hispidulam, tenerrimam productum, styli pars superior verticalis rigida teres glabra; *stigma* capitellatum minutum; *fructus* intra calycem vesicarium, hamuloso-hispidulum, clausum, carinatum, 0,3 poll. longum, dein marcescentem et apice subapertum inclusus, 4—6-articulatus; *articuli* lateraliter sibimet implicato-superpositi, semi-orbiculati s. oblongi, glabriusculi laeves, primo virides, dein fumati; *semina* oblongo-reniformia, compressa, lucida, gilva. — Nomen sundense: *Djúkut wàlet*, i. e. Herba hirundinacea.

252. URARIA LINEARIS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6610, Msn. Gen. 91. Comm. 65. 211 et adnot. ad genus antecedens.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1212. 3. Diagn. nov. 193. Leguminos. 9. Wlp. Rprt. II. 890. 2. V. 524. 2. Papil. 6. — cum DC. Prdr. II. 324. 1 et 2. Wld. Sp. pl. III. 1219. 116 et 1204. 83. Wght. et Arn. Prdr. I. 221. 688; — differt autem a *U. comosa* et *picta*, quibus magnopere adfinis nostra, caule annuo herbaceo, ramis teretibus et petiolis una cum foliorum pagina inferiore hamulosis vix puberulis nec villosis nec pubescentibus, foliolis rarissime solitariis, nunquam

oblongo-ovatis, nec lineari-oblongis obtusis, sed elongato-linearibus, apice attenuatis acutiusculis, pedicellis manifestis, bracteisque terminalibus vix comosis.

Descrpt. Herba annua 2—4 ped. alta gracilis; *rami* teretes virescenti-cani dein fumati, una cum petiolis pilis minutis hamulosis tecti; internodia 1,0—3,5 poll. longa; *stipulae* e basi lata acuminata 0,1—0,2 poll. latae, 0,3—0,4 poll. longae, acumen subuliforme rigidum subreflexum; *petioli* teretes 5,0—2,0 poll. longi, supra leviter canaliculati patentes s. patentissimi; *folia* pinnata cum impari, paria 2—3, rarissime unicum in foliis inferioribus; *foliola* breviter petiolulata, linearia, elongata, 2,5—6,0 poll. longa, 0,5—0,3 poll. lata, basi rotundata, apice attenuata, acutiuscula, submucronulata, in margine subreflexo ± repanda, supra glaberrima, viridia, maculis irregularibus virescenti-cinereis juxta nervum medium, subtus glaucescentia pulchre venoso-reticulata, in nervis venarumque reti hamuloso-puberula; *stipellae* ad insertionem foliolorum binae, lineari-lanceolatae, subulatae, rigidae patentes 0,2—0,25 poll. longae; *racemus* terminalis strictus, 3—7 poll. longus, basi *bracteis* lanceolato-oblongis, acuminatis, ciliatis, 0,6 poll. longis, 0,15 poll. latis, marcescentibus, subpersistentibus suffultus, multiflorus, apice bracteis plurimis congestis, floribus destitutis, emarcidis conniventibus, lineari-subulatis subcomosus; *pedicelli* bini in axilla *bracteae* caducissimae, lineari-lanceolatae, longiter acuminatae, 0,5 poll. longae, 0,1 poll. latae, basi attenuatae, concavae, basi pallide viridis, supra medium hyacinthinae, margine longiter ciliatae; *pedicelli* patentes apice geniculato-adscendentes hirsutissimi teretes 0,2 poll. longi; *calyx* campanulatus patens hirsutus viridiusculus versus margines rubens 5-fidus; laciniae 2 supremae lanceolato-lineares, breviores, inferiores lineari-subulatae, elongatae adscendentes; *vexillum* incumbens subrotundum, diametro 0,2 poll., extus lilacinum intus lilacino-violaceum, versus basin juxta plicam intermediam maculis 2 linearibus albidis notatum, dein erectum, defloratum denuo incumbens; *alae* vexillo et carina breviores nec huic adglu-

tinatae, violaceae, subfalcatae, 0,15 poll. longae, 0,05 poll. latae, obtusiusculae horizontales; *carina* lilacina, e basi horizontali adscendens, 0,25 poll. longa, 0,10 poll. lata, dein reclinata et in petala 2 patentia sejuncta ideoque genitalia denudans; *stamina* 2-adelpha; tubus stamineus rectus sericans albus horizontalis; filamenta apice libera adscendentia, inaequilonga; antherae oblongae; *germen* lineare 0,1 poll. longum hirsutulum viride ad gemmulas 5 torulosum; stylus basi horizontalis rectus hirsutulus tenerrimus, apice adscendenti-verticalis robustior viridis; stigma capitellatum laeve nitidulum; *calyx fructifer* in pedicello patenti apice incurvo patentissimus; *fructus* calycis laciniis brevior, 4—5-articulatus; *articuli* sibi invicem replicato-superpositi, murini margine albescentes, suborbiculati laeves, inter se fructus parte contracta pediceliformi tenuissima, fragilissima connexi, caducissimi membranacei, diametro 0,1 poll.; *semina* nephroidea, compressiuscula, lucida, livida. — Nomen sundense: *Búntut útjing*, i. e. cauda felina.

253. URARIA CRINITA Dsv.

Char. Spec. cf. Hsskl. Papil. 7. DC. Prdr. II. 324. 3. Wld. Sp. pl. III. 1218. 115. Brm. Ind. 169 t. 56. *Hedys. lansum* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 77.

Descrpt. Frutex erectus strictus 5—6-pedalis (in sterilibus vix 2-pedalis, ramis geniculatis patentibus); *racemus* terminalis 3—12-pollicaris erectus, 1,5 poll. crassus, basi bracteis ovatis, latis, acuminatis, ciliatis, incarnatis, 0,35 poll. latis, 0,4 poll. longis, persistentibus suffultus, multiflorus, pulcherrimus; *bracteae* 2-florae inferiores ovato-, superiores oblongo-lanceolatae, acuminatae, basi in unguem attenuatae, flavescenti-virides, margine incarnatae, intus concavae, lucidae, glaberrimae, extus hirtae, margine albido-ciliatae; *pedicelli* patentes teretes incarnati, hirsuti, 0,5 poll. longi; *calyx* campanulatus, basi albidus, margine et ad lacinias incarnatus, cum lacinia inferiore 0,3 poll. longus, hirsutus; *corolla* kermesina, deflorata lilacino-violacea; *vexillum* incumbens dein reflexum, defloratum denuo incumbens, obovato-subrotundum, 0,4 poll.

longum, basi maculis 2 linearibus divergentibus pallidis notatum; *alae* subfalcatae, 0,3 poll. longae, 0,1 poll. latae, carina breviores eique adglutinatae; *carina* horizontalis, alis paullo longior et latior, dein elastice desiliens et in petala 2 soluta, patentissima, obovato-subfalcata, obtusa; *stamina* 1—2-adelpha; filamentum vexillare totum liberum s. ad medium tubo stamineo connatum; tubus stamineus horizontalis 0,3 poll. longus, basi subincrassatus, versus apicem attenuatus splendens, in apice adscendenti filamentis liberis inaequilongis; antherae oblongae; *germen* lineare tenuissimum ad gemmulas 6—7 torulosum, margine ciliolatum, 0,2 poll. longum, 0,01 poll. latum; stylus basi tenuissimus flaccidus horizontalis, dein adscendenti-incurvus apice verticalis, incrassatus teretiusculus; stigma capitellatum; pedicelli fructiferi, patentissimi, rigidi, apice adscendentes, pilis albidis hirsutissimi. — Nomen sundense: *Búntut sèro* s. *B. útjing* s. *Meméongan*, i. e. herba felina.

254. URARIA LAGOPOIDES DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 324. 4. Wld. Sp. pl. III. 1203. 80. Brm. Ind. 168 t. 53. 2. Wght. et Arn. Prdr. 222. 689. Hsskl. Papil. 8. Specimina nostra in solo argilloso culta plantas uberiores haud proferentia.

Descrpt. Herba procumbens annua vix suffruticosa; *rami* 6—10 poll. longi, apice florifero adscendenti, teretes inferne glabrati versus apicem subvelutini, subtus virides, supra flavo-fusci; *ramuli* patentissimi; *stipulae* lanceolatae, acuminatae, 0,2 poll. longae, 0,08 poll. latae, adpressae marcescentes, persistentes; *petioli* primo erecti, dein patentes, postremo reflexi subteretes supra canaliculati puberuli ad ortum foliorum 2-stipellati; *stipellae* patentes subulatae, 0,1 poll. longae; *foliola* plerumque pinnatim terna, rarius terminale solitarium, ovata, obovata, saepius subrotundo-obovata s. subrotunda, basi rotundata s. attenuata, apice rotundata nunc subtruncata, imoque emarginata, mucrone minuto setiformi munita, supra glabriuscula nunc pilis glochidiatis, minutis-

simis ad margines et subtus in nervis venarumque reticulatione minute puberula glaucescentia, terminale 0,8—0,4 poll. longum et latum, lateralia diametro 0,5—0,2 poll.; *racemi* in ramulis et ramo terminales ovati dein oblongi, 0,8—1,5 poll. longi, 0,7 poll. crassi; *flores* densissimi ante anthesin bracteis imbricatim tecti, dein hisce patentibus suffulti; *bracteae* ovato-s. oblongo-lanceolatae, subulato-acuminatae, longissime hirsuto-ciliatae 2-florae, 0,4 poll. longae, 0,15—0,10 poll. latae, dein marcescentes et partim persistentes; *pedicelli* et calyx hirsutissimi pilis patentissimis 0,1 poll. longis, patentissimi 0,2 poll. longi rufescentes, summo apice subincrassati, atro-virides adscendentes; *calyx* tubo brevi 0,05 poll. longo, campanulato, flavescenti-viridis, 2-labiatus; labium superius brevissimum, 2-denticulatum, inferius 3-partitum, laciniae elongatae, subulatae, fuscescentes 0,2 poll. longae, patentes hirsutissimae; *corolla* incarnata calycis lacinias inferiores haud excedens; *vexillum* carinae et alis incumbens, dein erectum obovato-oblongum, 0,2 poll. longum, 0,1 poll. latum; *alae* carinae adglutinatae, eaque vix breviores, margine superiore lilacinae subfalcatae; *carina* genitalia includens horizontalis albida, summo apice incarnata, dein bifida, apicem genitalium exserens, postremo elastice desiliens 2-petala, genitalia denudans deflexe patens; *stamina* 2-adelpha; filamentum vexillare tenuissimum capillare totum liberum, tubus stamineus rectus horizontalis candidus, apice tantum filamentis liberis brevibus inaequalibus 0,15 poll. longis; germen lineare breve tenuissimum, 0,04 poll. longum, gemmulis 3, in stylum tenuissimum, rectum, hirsutiusculum, horizontalem dein adscendentem incrassatum, glabriusculum, attenuatum; stigma subcapitatum. (Legumen 2-articulatum; articuli orbiculato-ovati, politi W. et Arn. l. c.)

Obs. *Uraria paniculata* Hsskl. vid. Wlp. Rprt. V. 523. 1.

255. DESMODIUM (EUDESMODIUM) UMBELLATUM DC.

Char. Gen. Species haecce ad subgenus *Eudesmodium* DC. Prdr. II. 325. Endl. Gen. 6615. a., — quod jam ex anno 1834 ab clss. autoribus Prdr. Penins. Ind. or. quasi genus distinctum habetur et nomine *Dendrolobium* W. et A. l. c. I. 223 indicatur, — certissime pertinet, pari jure ad *Dollineram* Endl. Gen. 6614. Msn. Gen. add. 351. 213/1 posset duci. Hoc genus ulterius autem vix a *Desmodio* DC. (Endl. l. c. 6615. Msn. Gen. 91. Comm. 65. 214) erit sejungendum, nam calyx ejusque limbus tam variabiles sese ostendunt, uti jam in subgen. *Eudesmodio* adparet et plurimae species sequentes probant, quae calycem *Dollinerae* habent, ut signa distinctionis praebere nequeant; caeterum alae nunc carinam aequant, nunc ea sunt breviores, nunc longiores, stamina nunc 2-, nunc ± 1-adelpha, germen et legumen nunc pauci-, nunc multi-loculatum et articulatum, uti ipsa haec species docet; quod ad articulos chartaceos, membranaceos aut coriaceos pertinet, signum hocce vix sufficere videtur ad distinguenda genera, pariter ac carina utrinque auriculata (inde *Ototropis* Schauer). Eadem ratione genus novum mihi *Codariocalyx* (Hsskl. Flor. 1842. Beibl. II. p. 48. 194. Endl. Gen. Sppl. II. 6615 aff. Msn. Gen. add. 351. 214/1 synonymum *Dollinerae* Endl.?) erit retrahendum, nam species tunc a me sub hoc genere descriptae (cf. Wlp. Rprt. II. 891. 1 et 2.) Flora l. c., excepto unico *Desmodio gyroides*, ad *Pseudarthriam* (cf. Hsskl. Pap. 27—29 et infra No. 283—85) duxi ob legumen pseudoarticulatum, dein totum dehiscens, nec articulos desciscentes praebens! — *D. gyroides* autem transitum ostendit legumine articulato ad inarticulatum. Cf. Zoll. Arch. III. 78.

Char. Spec cf. DC. Prdr. II. 325. 1. Wld. Spec. plant. III. 1182. 30, cujus descriptio autem ad varietatem β. DC. l. c. pertinere videtur; Hsskl. Papil. 9. Wght. et Arn. Prdr. I. 224. 692; — Brm. Ind. 166. Ejusd. Zeyl. 115 descrpt. et t. 51. Rmph. amb. IV. 112. 1 t. 52.

Descrpt. Frutex arborescens 8—10 ped. altus et ultra, ramosissimus; *rami* erecti et patentes cortice flavescenti-cinereo tecti, teretes subglabrati virides, apice angulati, subtetragoni, sericeo-pubescentes; *stipulae* caducissimae per paria in unicam 2-fidam oppositifoliam amplexicaulem connatae, sericeae; apices acuminati 0,4 poll. longi; *petioli* patentes semi-teretes robusti, sericeo-pubescentes 3—1 poll. longi; *stipellae* ad ortum foliolorum minutissimae, filiformi-subulatae, 0,1 poll. longae; *foliola* ovato-elliptica, ovalia, ovali- s. ovato-oblonga, obtusa s. acutiuscula, terminale 6,0—2,3 poll. longum et 3,5—1,5 poll. latum, lateralia 4,3—1,8 poll. longa et 2,5—

1,0 poll. lata, supra prasina, subtus griseo-glaucescentia, utrinque minutissime adpresse pubescentia, pube supra dein subevanida; *pedunculi* axillares solitarii patentes, 0,3—1,0 poll. longi, teretes minutissime puberuli; *flores* in apice pedunculi in racemum brevissimum, densissimum dispositi; *alabastra* bracteis lineări-lanceolatis, acuminatis, deciduis tecta capitulum subconicum formantia, dein floribus centralibus inevolutis deciduis inflorescentiam umbellatam referens; *flores* succedanei saepissime in eodem pedunculo fructus jam evoluti cum floribus reperiendi; *bracteae*, bracteolae et calyx pariter ac pedicelli fructusque nondum evoluti densissime sericei; *bracteolae* 2 ad apicem pedicelli, 0,2 poll. longi patentis teretis, in anthesi persistentes lineari-lanceolatae, concavae, acuminatae, 0,1 poll. longae, calycis tubum subaequantes; *calyx* tubulosus viridi-flavescens, 0,25 poll. longus, tubus subtetragonus, limbus tubo longior 4-fidus patentissimus, laciniae oblongo-lanceolatae, acuminatae, superior latior, inferior paullo longior; *corolla* albida; *vexillum* obovatum patens 0,4 poll. longum, 0,3 poll. latum; *alae* 0,5 poll. longae, 0,07 poll. latae, lineares acutiusculae, supra unguem carinae adglutinatae; *carina* 0,6 poll. longa, 0,15 poll. lata, subfalcata, margine superiore conniventi nunc conglutinato, nec connato, acutiuscula; *stamina* 1-adelpha, carinae apicem attingentia; filamentum vexillare supra medium a tubo stamineo solutum, apices tubi liberi, alterni minores; antherae oblongae, erectae; *pistillum* antheras paullo excedens; *germen* sessile lineare, 0,15 poll. longum, 0,025 poll. latum, sericeo-villosum in *stylum* horizontalem, dein adscendenti-curvatum, album, glabrum attenuatum, styli pars horizontalis 0,35 poll., pars verticalis 0,15 poll. longa; stigma minutissime capitellatum; *fructus* in eodem pedunculo 2—10 et plures, umbellatim dispositi, prima juventute sericeo-villosi, dein pilis sericeis hinc adspersi, postremo glabriusculi, brunnei, 0,35—1,7 poll. longi, 0,2 poll. lati, 1—5-articulati; *articuli* coriacei, subelliptici, margine superiore rectiusculi, utrinque truncati, terminales styli rudimento apiculati indehiscentes; *semina* compressissima cerina

aut gilva, reniformia, 0,2 poll. longa, 0,1 poll. lata, umbilico orbiculari minuto. — Nomen sundense: *Káda túan.*

256. DESMODIUM (EUDESMODIUM) AUSTRALE DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 326. 2. Wld. Sp. pl. III. 1183. 31, descrpt. bona. Hsskl. Legum. 12 q. v., Hsskl. Pap. 10.

Descrpt. Fruticosum adscendens vix 2-ped. altum; *rami* 3-ped. et ultra, patentes, inferne teretes crassiusculi, fumato-hepatici, asperuli, versus apicem triquetri, pilis adpressis ± dense pilosi, juniores sericei; *stipulae* lineari-lanceolatae, acuminatae, 0,6 poll. longae, 0,2 poll. latae, deciduae; *petioli* quoad ramum patentissimi, quoad folium verticales, basi incrassati, subangulati, supra canaliculati, juniores sericeo-puberuli, seniores glabriusculi 1—2 poll. longi; *foliola* (habitu foliolorum *Flemingiae*) elliptica s. obovato-elliptica, acuta, rarius acuminata, parallelo-venosa, venis supra canaliculatis subtus prominulis, supra glabra et in nervo medio tantum sericea, subtus adpresse pilosa, subsericea nunc sublanata, terminale 4,5—2,0 poll. longum, 2,3—1,0 poll. latum, lateralia 3,3—1,5 poll. longa, 1,5—0,7 poll. lata; *pedunculi* axillares brevissimi 0,3—0,2 poll. longi; *flores* ∞ capitato-umbellati albi; *fructus* 3—∞ in apice pedunculi umbellatim congesti, pedicellis horizontalibus hirsutiusculis 0,1 poll. longis, horizontales 1—3-articulati, juniores canescenti-virides sericei, dein hepatico-helvoli, glabrati, aut minute sparseque puberuli, versus marginem superiorem subfalcati, ad basin calycis emarcidi, persistentis rupti rudimento suffulti, apice styli rudimento apiculati, margine inferiore emarginato-sinuati, 0,2—0,5 poll. longi, 0,15 poll. lati; *articuli* subrotundato-elliptici, utrinque truncati, secedentes coriacei indehiscentes; *semina* reniformia, compressa, fulva, immaculata.

257. DESMODIUM (EUDESMODIUM) LABURNIFOLIUM DC.

Char. Gen. et Subgen. cf. species antecedentes, sed stamina 2-adelpha et alae carina breviores.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 337. 111. Pers. Syn. II. 319. 37. Hsskl. Pap. 11. Cat. 1215. 3. *D.? podocarpum* Hsskl. Diagn. nov. 196, nec Wll. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 228. 705 adnot., nec Hook et Arn. Wlp. Rprt. I. 743. 55.

Descrpt. Fruticulus 2½—3 ped. altus; *rami* teretes graciles cinereo-cinnamomei, apice et petioli badii, glabri, luciduli, vix evoluti, puberuli virides; *petioli* 0,5—1,5 poll. longi, patentes s. patenti-erecti, semi-teretes marginibus supra subalati; *stipulae* e basi lata subulatae, oblique insertae 0,3 poll. longae, emarcidae, flavo-fuscae persistentes; *stipellae* simillimae sed 0,1 poll. longae; *foliola* ovato- s. oblongo-lanceolata, subrhombea, utrinque attenuata s. acuta, lateralia basi nunc subrotunda, terminale 2,7—1,3 poll. longum, 1,1—0,6 poll. latum, lateralia 2,0—1,0 poll. longa, 0,7—0,4 poll. lata, supra pistacina, glaberrima, lucida, subtus glaucescentia, primo adpresse puberula, dein glabrata et in nervis tantum pilis adpressis tecta; *racemi* terminales pauciflori, erecti, 0,5—1,0 poll. longi; *pedicelli* gemini patentes, 0,2 poll. longi, teretes puberuli in axilla bracteae stipulaeformis, basi singuli bracteola simili suffulti; *calyx* basi 2-bracteolatus, bracteolis lineari-lanceolatis, concavis, subcarinatis, 0,1 poll. longis, deciduis, 0,13—0,15 poll. longus, pallide viridis campanulatus 4-fidus, lacinia superiore ovata, acuta, apice 2-denticulata, infima lineari-subulata, longissima; *corolla* flavescenti-albida; *carina* alis et vexillo longiore, 0,3 poll. longa, horizontalis basi 2-unguiculata ad medium 2-partita, rectiuscula, subfalcata, apice emarginata, genitalia fovens nec resiliens; *alae* basi carinae adglutinatae, lineares obtusiusculae; *vexillum* incumbens (vix reflexum s. patens); *stamina* 2-adelpha; tubus stamineus rectiusculus, summo apice incurvus; *germen* lineare sericeum 0,15 poll. longum, 0,5 poll. latum, apice in stylum curvatum brevem glabrum attenuatum; stigma capitellatum, minutum; *fructus* penduli, basi calyce et tubo stamineo emarcido persistente suffulti, hamuloso-hispidi, 1,5—2,0 poll. longi, 0,15 poll. lati, apice styli rudimento apiculati, 2—4-articulati, margine utroque sinuato emarginato, dein in

articulos secedentes; *articuli* oblongi utrinque attenuati, 0,4—0,5 poll. longi, infimus stipite ± manifesto suffultus, tombacini indehiscentes; *semina* oblonga, utrinque rotundata, compressissima, livido-ochracea, 0,3 poll. longa, 0,15 poll. lata. — Nomen sundense: *Póttong kúdjang*.

258. DESMODIUM (PLEUROLOBIUM) TRIQUETRUM DC. α. ELATUM Hsskl.

Char. Spec. et Variet. cf. Hsskl. Pap. 12. Catal. 1215. 6. α. DC. Prdr. II. 326. 5. Wld. Sp. pl. 1176. 15. Brm. Ind. t. 52. 2. Rmph. amb. VI. 146. VI (nec VII). Hsskl. Leg. 13. Wght. et Arn. Prdr. I. 224. 695.

Descrpt. Erectum basi suffruticosum, strictum, 5—6 ped, altum, apice virgatum; *ramis* viridibus glabriusculis, 3-quetris, ad angulos ± scabriusculis; *stipulae* oblongo-lanceolatae, acuminatae, ∾-nerviae, 1,0 poll. longae, 0,35 poll. latae, in ramis secundariis minoribus glabriusculae, deciduae; *petiolus* alatus, oblongo-cuneatus; lamina apice utrinque in acumen breve subulatum reflexum desinente, nervo medio (ut in folio) subtus strigoso-hirto, supra prominulo, 1,2—0,5 poll. longa, 0,7—0,3 poll. lata; *folium* oblongo-lanceolatum, acuminatum, basi subcordatum, 6,0—3,0 poll. longum, 1,9—0,9 poll. latum, supra glabrum (uti petiolus) atro-viride, subtus pallidum in nervis strigoso-hirtum; *racemi* elongati, apice filiformi pendulo, nunc basi subpaniculati, 3—15 poll. longi; *flores* in axilla bracteae lineari-subulatae, viridis adpressae, 0,15 poll. longae 3—6-ni, singuli bracteola subulata, 0,10 poll. longa suffulti; *pedicelli* erectiusculi, vix 0,1 poll. longi, in fructu dein 0,2 poll. longi patentes; *calyx* basi utrinque bracteola subulata, phoenicea, 0,15 poll. longa, decidua suffultus, campanulatus, phoeniceo-viridis pilosus, 4-fidus, 0,2 poll. longus, lacinia suprema ovata, acuta, vexillo adpressa, reliquae lineari-subulatae, infima elongata adscendens; *vexillum* patens orbiculatum, diametro 0,25 poll., basi kermesinum, apice purpureum, versus basin maculis binis puniceis notatum, ibique sub angulo recto in unguem attenuatum; *alae* et

carina 0,2 poll. longae, 0,1 poll. latae, basi albidae, versus apicem purpurascentes, priores obovato-oblongae, basi carinae, adglutinatae, subfalcatae; *carina* semi-orbicularis supra unguem 2-appendiculata; *stamina* 2-adelpha; filamentum vexillare liberum e basi crassiuscula subulato-filiforme; reliqua filamenta apice brevissimo libera; antherae minutae ovatae; *germen* filiforme glabrum viride lineare, 0,15 poll. longum, apice in stylum filiformem glabrum, adscendentem attenuatum; stigma capitellatum; *fructus* (immaturus) calyce et tubo stamineo emarcido persistenti suffultus erectus, linearis apice styli rudimento recto subulatus, 1,0 poll. longus, 0,25 poll. latus, sublanato-hirsutissimus, striis 5 transversis in articulos 6 divisus, margine superiore recto, inferiore subsinuato-crenato; articuli subquadrati, dein secedentes. — Nomen sundense varietatis utriusque: *Kitjongtjórang*.

β. HUMILE Hsskl.

Cf. Catal. 1215. 6. β. Brm. Zeyl. 176 t. 81. Hsskl. Pap. 12, var., quae a praecedente differt hisce:

Descrpt. Adscendenti-erectum 2—2½ ped. altum; *rami* basi purpurascentes, apice virides; *stipulae* 0,8 poll. longae, 0,25 poll. latae, persistentes; *petiolus* cuneato-linearis 1,5—0,6 poll. longus, 0,3—0,25 poll. latus; *folium* ovatum, ovato-oblongum s. ovato-lanceolatum, 2,5 poll. longum, 1,5 poll. latum ad longitudinem 3 poll. et latitudinem 1 poll., supra lucidum sed scabriusculum; *racemi* 2,5—8,0 poll. longi. — In ora meridionali *Bantam* provinciae *Javae* occidentalis reperi. — 1841.

259. DESMODIUM (PLEUROLOBIUM) TRIFLORUM DC.

Char. Gen. et Subgen. cf. Endl. Gen. 6616. b.; — species nostra nullo jure a DC. l. c. ad subgenus *Chalarium* reducta!

Char. Spec. cf. Hsskl. Pap. 13. DC. Prdr. II. 334. 84 ex prt. et 85. Wght. et Arn. Prdr. I. 229. 706. α. et 707. Wlp. Rprt. I. 740. 29. α. Wld. Sp. pl. III. 1202. 75 et 76. Brm. Zeyl. 119 t. 54. 1 et 2, icones optimae (nec Brm. Ind. 168 t. 54. 2!) Utramque speciem divi Willdenovii ac Burmanni in una eademque planta, equidem in eodem ramo reperi, ita ut ne varietates quidem distinguere possim; de excludendo citato Brm. Ind. vid. speciem posteriorem.

Descrpt. Caulis repens filiformis ramosissimus caespitosus, ad 1,0 pedis fere longitudinem prorepens; *rami* sanguinei, dichotomi, patentes hirsuto-villosi, pilis patentibus albidis; *stipulae* lanceolatae, acuminatae, subamplexicaules adpressae, villoso-ciliatae, virides dein emarcidae, persistentes, 0,15 poll. longae, 0,1 poll. latae; *petioli* 0,3—0,5 poll. longi, teretiusculi, villosuli patentes, foliola 3, rarius lateralia abortiva gerentes; *foliola* ramorum primariorum et uberiorum plane iconem Brm. Zeyl. t. 54. 1 referunt, obovata, ovalia imoque subrotunda, obtusa, rotundata, in eodem ramo saepe, praeprimis autem in secundariis et ternariis et minus uberioribus, emarginata, imoque obcordata (iconem Brm. l. c. t. 54. 2 plane referentia), 0,7—0,3 poll. longa, 0,4—0,2 poll. lata (adsunt et minora), omnia supra glabra, imoque nitidula, subtus glaucescentia, adpresse puberula; *pedunculi* oppositifolii (aut potius terminales, ramulo axillari celerius progresso pseudo-oppositifolii), gracillimi, singuli aut terni, 1-flori aut saepe 2-flori, nunc steriles floribus destituti filum setiforme referentes; *pedunculi* primordiales 0,4—0,5 poll. longi, in anthesi erecti, fructigeri patentissimi, filiformi-capillares pilosuli, nunc glabri, imoque lucidi, partiales inaequilongi, 0,2—0,5 poll. longi, primordiali simillimi, glabriusculi; *bracteolae* vix ullae aut caducissimae; *calyx* villosissimus, campanulatus, 5-fidus, 0,12 poll. longus; *laciniae* lineari-lanceolatae, patentissimae, 2 supremae ultra medium connatae; *petala* incarnato-albida, deflorata viridi-flavescentia, 0,2 poll. longa; *vexillum* obcordatum patens subreflexum, defloratum genitalibus incumbens; *alae* et *carina* horizontales genitalia foventes, dein elastice desilientes deflexae, *alae* carinae adglutinatae eaque paullo breviores; *carina* 2-unguiculata, deflorata genitalibus brevior; *stamina* 2-adelpha, tubus stamineus albidus horizontalis 0,17 poll. longus; filamenta apice brevissime libera verticalia, alterna breviora; *germen* lineare 0,1 poll. longum, sericeum in stylum geniculatum, glabrum breviter attenuatum; *stigma* capicellatum; *fructus* 4—6-articulati, basi calyce et tubo stamineo emarcido persistente cincti, puberuli, juniores

virides, dein flavo-fusci et brunnei, margine superiore recto, inferiore sinuato, 0,5—0,8 poll. longi, 0,1 poll. lati; *articuli* margine inferiore convexi, subquadrati, membranacei, saepe jam ante lapsum dehiscentes; *semina* reniformia, compressa, gilva, lucida.

260. **DESMODIUM (PLEUROLOBIUM) STIPULACEUM** Hsskl.

Char. Gen. et Subgen. cf. adnot. ad spec. praeced.

Char. Spec. cf. Hsskl. Pap. 14. Catal. 1215. 8. *Hedysarum stipulaceum* Brm. Ind. 168 t. 54. 2 et adnot. ad speciem praeced.; De Candolle (Prdr. II. 334. 84), Willdenovius (Sp. pl. III. 1202. 76) et Wght. et Arn. Prdr. I. 229. 706. β. Wlp. Rprt. I. 740. 29 hanc speciem cum *D. trifloro* conjunxere, quod etsi habitu paullo adfine, attamen sat diversum habendum erit; magna etiam adest affinitas cum *D. parvifolio* DC. l. c. 86. Wight. et Arn. Prdr. I. 229. 707, quod autem cum priori conjunxi et distinguendum: foliis subtus adpresse puberulis et praeprimis racemis folio multo longioribus.

Descrpt. Caulis procumbens vermiformis flexuosus, apice rosulatim ramosissimus, caespitosus; *rami ramulique* flexuosi procumbentes, rarius hinc inde fibrillas emittentes, vix 2—3 poll. excedentes, summo apice adscendentes, glabri teretiusculi, apice virides, toti stipulis tecti; *stipulae* ovato-lanceolatae, subulato-acuminatae, 3—5-nerviae, adpressae, marcescentes longe persistentes, 0,1 poll. longae, internodiis autem longiores et apice basin internodii superius saepe obtegentes; *folia* minima; *petioli* 0,1—0,15 poll. longi, patentes s. patentissimi teretiusculi, supra canaliculati, glabri; *foliola* subrotunda s. subrotundo-obovata, apice rotundata s. emarginata, nunc obcordata, diametro 0,2—0,1, facie superiore saepe complicata, subtus adpresse pilosa, utrinque dein glabra; *racemuli* minuti, inevoluti, terminales, bracteis imbricatis hirsutis tecti, petiolo breviores conici oliganthi; *bracteae* ovato-lanceolatae, acuminatae, ciliatae, caducae; *racemuli* evoluti plerumque laterales e ramulo laterali evoluto, 2—4-flori, floribus terminalibus aut nullis aut ante evolutionem caducis; *pedunculus* communis subnullus, pedicelli patentes 0,1 poll. longi, rubicundi; *calyx* pedicelli longitudine campanulatus viridis, nervis rubentibus longitudinaliter notatus, versus apicem pilis longissimis, albidis hirsutus, 5-fidus; laciniae superiores

paullo breviores, omnes lineares; *corolla* 0,15 poll. longa, violacea versus basin albida; *vexillum* incumbens, dein patens, postremo genitalibus incumbens; *alae* carinae adglutinatae eaque paullo breviores; *carina* dein deflexa genitalia denudans, basi ad mediam 2-partita, nec in petala 2 solubilis; *stamina* $\frac{1}{9}$ diadelpha, tubus et filamentum vexillare recti, summo apice adscendente et filamenta libera proferente inaequalia; antherae oblongae, minutae; *germen* lineare hirtum gemmulis 1—3, in stylum attenuatum, rectum horizontalem, dein geniculatum verticalem; stigma capitellatum minutum; *fructus* basi calyce et tubo stamineo emarcido suffulti, pedicello deflexo plerumque penduli, 1—6-articulati, subfalcati, 0,2—0,7 poll. longi, 0,07 poll. lati, margine superiore curvato integro, inferiore sinuato, utroque primum hirsutiusculo dein glabrato; *articuli* semi-orbiculati, elevato-venoso-reticulati, virides dein fulvi, postremo rubiginosi, a se invicem secedentes, membranacei (dehiscentes?); *semina* subrotunda vix reniformia, cerina, lucida.

261. DESMODIUM (PLEUROLOBIUM) GYROIDES DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 326. 9. Wght. et Arn. Prdr. I. 227. 702. Hsskl. Pap. 15; sed rami haud diffusi, angulati (W. et A.), foliola lateralia terminali vix tertiam partem breviora, omnia saepe oblonga s. obovata et fructus dein pilis caducis glabriusculi. *Codariocalycis* sp. Hsskl. Flora 1842. Beibl. II. 49. No. 194.

Descrpt. Caulis basi suffruticosus, 2—4 ped. altus, strictus basi ramosus, apice subsimplex teres, pilis adpressis subcanescenti-viridis, apice saepe sanguineus; *stipulae* lanceolatae, acuminato-subulatae, 0,5—0,3 poll. longae, marcescentes, persistentes, primo sanguineae, albido-ciliatae, dein flavofuscae; *petiolus* 1,5—0,4 poll. longus, subtriqueter scabriusculus, stipellis criniformibus 0,2 poll. longis ad basin foliolorum; *foliola* elliptica s. elliptico-oblonga, oblonga s. obovata, acutiuscula, obtusa, imoque retusa, inferiorum terminale 2,0—2,5 poll. longum, 0,8—1,0 poll. latum, lateralia 1,7—1,9 poll. longa, 0,6—0,7 poll. lata, summorum terminale 0,9 poll. longum, 0,5—0,6 poll. latum, lateralia 0,6 poll. longa, 0,30—0,35

poll. lata, omnia supra dein glabra, subtus glaucescentia sericeo-pubescentia reticulata; *racemi* ad apicem rami congesti plurimi et densiflori 1,5—3,0 poll. longi bracteati, alabastro conico, elongato; *bractea* ovato-lanceolata, acuminata, basi concava, viridiuscula, superiore parte sanguinea albido-ciliata, 0,25 poll. longa, caduca, 2-flora; *pedicelli* sanguinei, erecto-patentes lucidi, glaberrimi, 0,1 poll. longi; *calyx* viridis glaber ciliatus, campanulatus, 4-dentatus, 0,1 poll. longus, dente superiore latiore, bidenticulato, inferioribus angustioribus; *petala* purpurea; *vexillum* carinae aequilongum incumbens, dein reflexum, marginibus involutis, 0,15 poll. longum; *alae* carina paullo breviores, intensius coloratae, carinae gibbis lateralibus insidentes; *carina* dein elastice a genitalibus resiliens, apice 2-partita, nec in petala soluta; *stamina* 2-adelpa, tubus staminens, albus, rectus; filamenta apice brevissime libera alterna breviora; *germen* lineare rectum phoeniceum, apice in stylum sub angulo recto curvatum attenuatum; *stylus* basi phoeniceus apice viridis totus glaber; stigma capitatum; *fructus* immaturi rubiginoso-virides, 0,5—0,8 poll. longi, margine utroque hirsuti, medio puberuli, margine superiore recti, inferiore sinuato-crenati; maturi ∞ conglobato-congesti, 6—7-articulati, badii; nervus marginis superioris persistens, inferioris cum articulis secedens, uterque hirsutus; discus articulorum reticulatus glaber; *articuli* membranacei dehiscentes et semi-desciscentes jam aperti; *semina* perparva, reniformia, suborbicularia, ochracea, lucida. — Nomen sundense: *Péttet sóreh* (vespertinum).

262. DESMODIUM (CHALARIUM) GANGETICUM DC.

Char. Gen. cf. spec. primam h. gen.; *quoad subgen.* cf. Endl. Gen. 6615. c., alae autem carina breviores.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 225. 697, ubi autem folia basi subcordata pariter ac stipulae e basi semi-cordata subulatae Wlp. Rprt. I. 738. 15. — Hsskl. Pap. 16. DC. Prdr. II. 327. 11 et 12. Wld. Sp. pl. III. 1175. 11. Brm. Ind. 164. Brm. Zeyl. 113 t. 49. 2, ubi autem caulis purpurascens, flores purpurascentes, calyces sat magni, silicula glabra laudantur, de quibus cf. descript. — Hsskl.

Leg. 14. — Rmph. amb. VI. 146 t. 66? hnc pertinere videtur quoad habitum, nec autem quoad fructus, minime nostros referentes.

Descrpt. Caulis perennis vix basi frutescens, 2—3 ped. altus erectus; *rami* teretes superne subangulati, lucidi, strigosi; *stipulae* lineari-lanceolatae, acuminatae, adpressae, 0,3—0,4 poll. longae, deciduae; *petiolus* semi-teretes erectus s. erecto-patens, 1,0—0,4 poll. longus, adpresse pubescens, utrinque subincrassatus, apice 2-stipellatus; *stipellae* lineari-subulatae, 0,25 poll. longae, marcescentes deciduae; *foliolum* terminale ovatum s. ovato-ellipticum, 4,1—2,0 poll. longum, 2,2—1,0 poll. latum, utrinque acutum aut basi rotundatum, supra prasinum punctulis minutis asperulo-scabrum, subtus glaucescens sericeo-pubescens; *inflorescentia* longiter racemosa, terminalis aut versus apicem caulis in ramis axillaribus terminalis, virgata 6—15 poll. longa, gracilis; flores in axilla bracteae 0,2 poll. longae, linearis acuminatae, 2—3-ni; *bracteola* linearis minuta ad basin pedicelli cujusque, rachis, bracteae, pedicelli et calyces hirsuto-pubescentes virides; pedicelli erecto-patentes, 0,1 poll. longi; *calyx* campanulatus, 0,1 poll. longus, 4-fidus, laciniis patentibus, superiore ad apicem vix bidenticulata; *corolla* viridi-flavescens primo horizontalis; *vexillum* alis et carinae incumbens, dein patenti-erectum; alae et carina elastice resiliens deflexae; *carina* 0,15 poll. longa, vexillo paullo longior; *alae* vexillo breviores; genitalia e carina desiliente denudata; *stamina* 2-adelpha, tubus stamineus albescens lucidus; filamenta 9 apice summo tantum libera, alterna minora; antherae ovato-subglobosae; *germen* sessile oblongo-lineare villosum; stylus germini sub angulo recto insertus, brevis glaber; stigma capitatum; *fructus* in racemo plurimi, saepissime subsecundi, subrecto-patentes, basi calyce et tubo stamineo emarcido suffulti, badii, sub-brunnei, glochidiis brevissimis tecti, flexuosi, 6—8-articulati; margine superiore in lineam rectam continuo; *articuli* semi-orbiculati (inde margo inferior fructus serrato-sinuatus), 0,1 poll. lati, membranacei, indehiscentes; *semina* minuta, livida, compressa, reniformia. — N. sund.: *Pòttong kúdjang*, et sequentibus speciebus commune.

263. DESMODIUM (CHALARIUM) LATIFOLIUM DC. β. TELFAIRII W. ET A.

Char. Gen. et Subgen. cf. sp. anteced., carinae petala dein divaricata!
Char. Spec. et var. cf. DC. Prdr. II. 328. 23 et 24, a qua specie posteriore (cf. Wld. pl. III. 1174. 10) nostra forsan haud distincta habenda; Hsskl. Leg. 15. Pap. 17, Wght et Arn. Prdr. I. 225. 696. β. Wlp. Rprt. I. 738. 14.β., quam varietatem autores clbrri. incolam *Madagascar* insulae dicunt, forsan pro specie distincta habendam!

Descrpt. Caulis suffruticosus 2—5 ped. altus ramosissimus; *rami* adulti, glabri, teretes asperuli, hepatici, ligno virescenti, juniores virgati, flavo-fusci, velutini; *stipulae* e basi lata, subcordata subulatae, 0,2 poll. longae, adpressae, una cum petiolis et foliis lomentisque velutinae; *petiolus* patens aut patentissimus subteres supra canaliculatus utrinque incrassatus, 0,6—0,2 poll. longus; *stipellae* 2 ad apicem petioli 0,1 poll. tenuissime filiformes; *folia* 3,0—1,0 poll. longa, 2,2—1,0 poll. lata, late ovata s. rotundata, apice rotundata aut acutiuscula, supra prasina subtus melina; *racemi* axillares s. terminales spicati, subpaniculati, dense multiflori, 1—4 poll. longi, purpureo-kermesini; *flores* in axilla *bracteae* lineari-subulatae, 0,15 poll. longae, hirsutae, 1—2—3-ni; *bracteola* similis, sed minor ad basin pedicelli singuli; pedicelli erecti, subadpressi, una cum calyce bracteam externam longitudine aequantes; *calyx* minutus, campanulatus, 4-fidus; laciniae lanceolatae, superior acuta, 2-denticulata latior, inferiores subulatae, angustiores; *vexillum* initio incumbens, dein subrecto-galeatum, dein patens roseum, diametro 0,2 poll.; *alae* carinae adglutinatae primo cum hac horizontales eaque paullo breviores purpureae, dein cum carina elastice desilientes et postremo, *carina* in petala 2 soluta, cum iis patentes, carinae petala persicina, vexillum magnitudine aequantia; genitalia plane speciei antecedentis; *fructus* confertissimi, erecto-conglobati, basi calyce et tubo stamineo marcescenti suffulti, primo villosi, dein glochidiis tecti, 0,7—0,3 poll. longi, 0,1 poll. lati, 7—2-articulati; *articuli* semi-orbiculares, margine superiore in lineam rectam continui, hepatico-flavo-fusci, membranacei, dein secedentes indehiscentes; *semina* parva reni-

formia, compressa, 0,05 poll. lata, 0,075 poll. longa, ochraceo-lividа, nitida.

264. DESMODIUM (CHALARIUM) APARINES DC.

Char. Gen. cf. spec. anteced., cujus flores plane quadrant nec autem fructuum articuli, qui orbiculati evadunt.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 330. 47 et 338. 132, quam speciem utramque Sprengelius divus (Syst. Veg. III. 313. 28) conjunxit, an jure? Hsskl. Leg. 16. Papil. 18. — An *Hedysarum mucronatum* Bl. Cat. 92. Wlp. Rprt. I. 746. 13 hujus loci?

Descrpt. Caulis basi suffruticosus, erectus, 2,5—4,0 ped. altus; *rami* teretes articulati, ad articulationes sanguinei, caeterum virides, cum petiolis foliorumque pagina superiore et inflorescentia pilis uncinatis aspero-hirti; internodia 2—3 poll. longa; *stipulae* persistentes subamplexicaules, e basi dilatata lanceolatae, striatae, patentissimae, dein reflexae, ramisque adpressae et eos pseudo-vaginantes, basi 0,3 poll. latae, 0,45 poll. longae, ciliatae (ramorum et ramulorum minores) superiores supra basin productae et inde semi-cordatae; *petioli* 3,0—0,5 poll. longi, teretiusculi, supra leviter canaliculati; *stipellae* lineari-subulatae, ad foliolorum basin 0,12 poll. longae, hirtae; *foliola* foliorum inferiorum ovata s. rhombeo-oblonga, terminale 2,5—3,0 poll. longum, 1,3—1,5 poll. latum, lateralia 1,6—1,8 poll. longa, 0,8—0,9 poll. lata, superiorum oblonga s. oblongo-lanceolata, terminale 2,0—1,0 poll. longum, 0,7—0,4 poll. latum, lateralia 1,0—0,6 poll. longa, 0,15—0,30 poll. lata, omnia acutiuscula, saepiusque retusa, hinc margine repando-crenata, subtus glaucescentia, in nervis venisque pilis uncinatis adpresse tecta; racemi in apice caulis in ramis patenti-divaricatis terminales, graciles, elongati aut basi foliis destituti paniculati, panicula divaricata; *rami* 2—12 poll. longi; *pedicelli* gemini, patentissimi, gracillimi sub anthesi 0,4 poll. longi, fructiferi 0,5 poll. longi, in axilla *bracteae* caducae, lineari-subulatae vix 0,1 poll. longae; *flores* minuti, teneri; *calyx* rubens hirtus, campanulatus, 0,15 poll. longus, profunde 4-fidus, in anthesi patentissimus; lacinia suprema latior 2-denticulata, inferiores 3 lineari-subu-

lati patentes; *corolla* fugax 0,2 poll. longa; *vexillum* incumbens, dein reclinatum patens, extus ochraceum, intus kermesinum, prope basin maculis notatum; *alae* versus marginem superiorem kermesinae, medio lilacinae, ad marginem inferiorem virescenti-vinae; *carina* virescenti-albida, subincarnata; *petala* deflorata corrugata, glaucescenti-caesia, forma etc. pariter ac genitalia cum iis speciei antecedentis plana congruentia; *fructus* patentes, primo virides, dein helvoli, postremo cinnamomei, 4—8-articulati; *articuli* orbiculares, margine incrassato, medio tumidi, pilis minutis uncinatis tecti; *semina* lucida, compressa, reniformia, livido-flavo-virescentia, 0,075 poll. longa, 0,050 poll. lata.

265. DESMODIUM (CHALARIUM) TRICHOCAULON DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 335. 97. Hsskl. Pap. 19. *D. strangulatum* W. et A. Prdr. I. 228. 705. Wlp. Rprt. I. 739. 22. — An huc pertinet Burm. Zeyl. 187 t. 84. 1? quam W. et A. Prdr. I. 209. 651 ad *Pseudarthriam viscidam* W. et A. citant, descriptio bona! — Brm. Ind. 167?

Descript. Herba perennis basi vix suffruticosa (in argillosis sylvaticis altitudine 5000 pedum et ultra frequentissima), inferiore caulis parte saepissime procumbente imoque radicante; *rami* patentes adscendentes teretes, sat robusti 0,15 poll. diametr., una cum petioli et foliorum pagina inferiore hirsuto-villosi, pedem saepe longitudine excedentes; *stipulae* sat magnae per paria caulem fere amplectentes ovato-lanceolatae, acuminatae, 0,4—0,65 poll. longae, 0,2 poll. latae, extus minute adpresseque puberulae, intus glaberrimae, marcescentes persistentes scariosae, ramis adpressae, versus apicem ramorum internodii fere longitudine; *petioli* patentes, patentissimi, imoque reflexi, basi incrassato-geniculati, teretiusculi supra leviter canaliculati, 0,6—2,2 poll. longi; *stipellae* ad foliolorum insertionem binae, lineari-subulatae, minutae, vix 0,1 poll. longae; *foliola* breviter petiolulata, terminale obovato-subrotundum s. rhombeo-subrotundum s. rhombeum, plerumque acutum, rarius apice rotundatum, versus basin angustatum, basi obtusum s. rotundatum, 1,0—2,5 poll.

longum, lateralia ovata s. ovato-oblonga, inaequilatera acuta s. obtusiuscula, basi rotundata, 0,8—2,0 poll. longa, 0,5—1,1 poll. lata, supra minute adpresseque puberula dein glabrata, subtus glauca, reticulata, villosa-puberula; *racemi* terminales basi nunc subpaniculati, inevoluti bracteis imbricatis strobiliformes, evoluti elongati, 6—12 poll. longi et ultra, fructiferi 2 ped. excedentes, basi virescentes, apice hyacinthini, una cum pedicellis viscido- et hamulato-hirti, erecti, graciles apice cernui aut nutantes, floribus saepe abortivis comosi; *bracteae* stipuliformes ovatae s. ovato-oblongae, acuminatae, striatae extus adpresse puberulae, 0,4 poll. longae, 0,2 poll. latae, marcescentes caducae, 5-florae, floribus 3 abortivis; *pedicelli* bini, patentissimi, flaccidi, apice nutantes sanguinei, 0,8—1,2 poll. longi, teretes tenues; *calyx* campanulatus, lurido-sanguineus, viscidulus, profunde 4-fidus; lacinia superior ovata, acuta vix 2-denticulata, inferiores 3 subaequales lanceolatae, acuminatae, superiore paullo longiores, (totus calyx 0,16 poll. longus) 0,1 poll. longae; *corolla* laetissime coccinea, siccando lurido-kermesina, calycem excedens; *vexillum* breviter unguiculatum, extus ante anthesin coccineum, in anthesi dein cinnabarinum, ad insertionem unguis canaliculati intensius coloratum, patens subrotundo-obovatum, diametro 0,3 poll., defloratum corrugatum, livido-sanguineum; *alae* carina breviores eique adglutinatae, coccineae, oblongae, obtusiusculae, basi margine superiore paullo productae, 0,3 poll. longae; carina primo horizontalis, dein elastice desiliens verticalis, genitalia denudans 0,33 poll. longa, 0,1 poll. lata, oblonga, subfalcata, basi albida, versus apicem persicina, biunguiculata, a basi ad mediam fere 2-partita; *stamina* 1-adelpha; tubus stamineus integer, cylindricus tenuis rectus horizontalis, 0,3 poll. longus; filamenta apice brevissime libera, alterna paullo longiora; antherae ovatae; *germen* lineare viride pilosiusculum, 0,2 poll. longum, gemmulis 5—6, rectum; stylus basi rectus, paullo supra medium geniculato-adscendens, verticalis, 0,17 poll. longus; stigma capitellatum; *fructus* 1—5-articulati, irregulariter geniculato-flexi, 0,5—1,5 poll. longi, 0,15—0,18 poll. lati;

articuli coriacei badii, hamulato-glutinosi, elongato-semi-orbiculares, utrinque ± attenuati, indehiscentes, desciscentes, saepe vacui (steriles) angustiores, evoluti 0,3 poll. longi; *semen* oblongo-reniforme compressum, marginibus tenuissimum, acutum, lurido-flavum, 0,22 poll. longum, 0,14 poll. latum.

266. DICERMA (PHYLLODIUM) PULCHELLUM DC.

Char. Gen. et Subgen. cf. Endl. Gen. 6616. Msn. Gen. 91. Comm. 65. 215. — Distinctio generica a *Desmodio* Endl. Gen. 6615 magis in habitu et praesentia foliorum floralium (uti jure dicunt Wght. et Arn. Prdr. I. 230), quam in aliis notis quaerenda; flores singuli pariter ad basin calycis bracteolis 2 deciduis instructi et caeterum quod ad calycem, petala et genitalia imoque fructus *Desmodio umbellato* (No. 255.) sat congenera et solummodo articulis membranaceis distincta species. — Nomen sundense generis: *Hahapáän.*

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 339. 1. Wld. Sp. pl. III. 1179. 20. Brm. Ind. 165. Brm, Zeyl. 116 t. 52 ubi vid. descript.; Hsskl. Legum. 18. Papil. 20.

Descrpt. Caulis fruticosus erectus 7—8 ped. altus; *rami* badii lignosi teretes, lenticellis rotundis, minutis notati, superiore parte sanguinei teretes, summo apice virides angulati, toti pubescenti-velutini graciles; *stipulae* e basi 0,1 poll. latae, sanguineae, subulatae, 0,22 poll. longae, persistentes, marcescentes, a basi dein in linea media rumpentes; *petioli* patentes, semiteretes, supra canaliculati, velutini, 0,7—1,0 poll. longi; *folia* pinnatim 3-foliata; *foliola* lateralia infra medium in 3—4ta petioli parte inserta, *stipellis* minutis, setaceis, adpressis, phoeniceis suffulta, terminali 2—3-plam longitudinem minora, ovato-oblonga, 0,9—2,0 poll. longa, 0,6—1,2 poll. lata, terminale oblongum s. elliptico-oblongum 2,0—4,3 poll. longum, 1,2—2,0 poll. latum, omnia basi rotundata, laevissima, subcordata, apice obtusa s. acutiuscula, mucrone minuto setaceo apiculata, utrinque praeprimis autem subtus mollia pube minute adpressa, supra dein ± glabrata, nitidula, olivacea, subtus glaucescentia, reticulata; *racemi* axillares ad apicem rami foliati et terminales, ut inde foliis delapsis subpaniculati, distichi, basi saepe iterum ramosi 1,0—6,0 poll. longi evadant; *flores* 5—7 in axillis foliorum floralium con-

gesti; *folia floralia* petiolo tereti brevi 0,1 poll. longo, semi-torto suffulta (ita ut pagina inferior superior evadat), foliola lateralia orbiculata, horis antimeridianis aperta patentissima, matutino et vespertino tempore pagina inferiore (nunc superiore) utriusque sibi adpressa, flores occultantia, diametro 0,4 — 0.5 poll., terminale abortivum ad subulam, 0,35—0,4 poll. longam reductum; *stipulae* ad basin folii floralis et *stipellae* ad ortum foliolorum uti in foliis reliquis sed minores persistentes; *pedicelli* uti calyces villoso-puberi, patentes, 0,15 — 0,20 poll. longi, apice ad basin calycis bracteolis 2 oblongo-lanceolatis, calyce minoribus, caducis aucti; *calyx* campanulatus viridis, nunc phoeniceo-coloratus, 4-fidus, lacinia summa latior, infima longior, omnes lanceolatae, acuminatae; *petala* virescenti-albida, dein flavescentia; *vexillum* suberectum 0,2 poll. longum, 0,12 poll. latum; *carina* horizontalis basi 2-unguiculata, subrecta, apice obtusiuscula, 0,25 poll. longa, 0,1 poll. lata; *alae* carina paullo breviores lineari-oblongae, basi anguste unguiculatae, 0,2 poll. longae, 0,05 poll. latae; *stamina* 1-adelpha; filamentum vexillare infra medium dein liberum; tubus stamineus rectus horizontalis summo apice tantum curvatus adscendens; *germen* lineare 0,2 poll. longum, sericeum, apice in *stylum* filiformem basi horizontalem, versus apicem verticalem productum; *fructus* inter foliola floralia primo occulti, dein hisce emarcidis et deciduis denudati, plures, erecti 0,25 poll. longi, 0,1 poll. lati, 2-, rarius 1-, rarissime 3-articulati, oblongi, margine utroque sinuato, ad apicem styli rudimento emarcido subulati, margine hirsutiusculi, disco glabriusculi, reticulati; *articuli* secedentes tenues membranacei indehiscentes, in utroque margine curvati, sejunctione truncati; *semina* reniformi-subrotunda, compressa, lucida, fulva.

267. DICERMA ELEGANS DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 339. 2. Hsskl. Leg. 17. — Wght. et Arn. Prdr. I. 230. 790 adnot. hanc speciem ab antecedente distinguunt: foliis supra velutinis, petiolo foliorum floralium in setam terminante, petiolulis lateralium foliolorum vix longiorem! — Mihi dif-

fert a praecedente: *foliolis* floralibus orbiculato-ovatis, pilosiusculis, concavis; — caeterum tota planta molliter tomentosa, subvillosa, cana; *foliolo* superiore lateralibus triplo majore, lato-ovato, lateralibus ovato-subrotundatis, omnibus obtusis, supra dein glabriusculis, pallide viridibus, subtus canis, subsericeo-tomentosis; *floribus* aggregatis 2—9, pedicellis filiformibus tenuissimis; *fructibus* binis, rarius biarticulatis. An forsan Plukn. Amath. 161 t. 5 et Phyt. t. 433 f. 7 (cf. Brm. Thes. Zeyl. 116 t. 52) hujus loci?, quam Burmann jam a sua distinctam habet speciem.

268. ALYSICARPUS VAGINALIS DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6626. Msn. Gen. 90. Comm. 64. 186, sed fructuum articuli haud clausi, septo utrinque evando aperti!

Char. Spec. cf. Hsskl. Pap. 22. *A. vaginalis et nummularifolius* DC. Prdr. II. 353. 2 et 3. Wght. et Arn. Prdr. I. 233. 716 et 717. Wlp. Rprt. I. 749. 1 et 2, quae ne typum varietatum quidem diversarum praebent, sed solummodo status diversos, aetatis aut soli influentia productos, ostendunt. Wld. Sp. pl. III. 1176. 14. Brm. Zeyl. 104 t. 49. 1, ubi descriptio bona, a W. et A. ad *A. nummularifolium* DC. ducta! — Wlp. Rprt. V. 528. 1.

Descrpt. Herba annua nunc perennis procumbens ima basi repens; *rami* versus apicem adscendentes, patentes, teretes, compressiusculi, siccando compressi, subancipites, glabri virides, 6—18 poll. vix excedentes; *stipulae* lineari-lanceolatae nunc, sed raro, petiolo breviores, plerumque longiores, eumque nunc longitudine duplo superantes 0,2—0,35 poll. longae, basi 0,1 poll. latae et ramos amplectantes, summo apice vaginam compressam ancipitem, folia juniora foventem fingentes; *petioli* 0,1—0,3 poll. longi, semi-teretes supra canaliculati, margine subalato in stipellas minutas excurrenti; *foliolum* terminale solitarium, coriaceum, subrotundum, ovale, ovali-oblongum, apice rotundatum s. acutiusculum, basi subcordatum, supra glabrum, subtus glaucum et pilis adpressis puberulum, 0,9—0,3 poll. longum, 0,6—0,1 poll. latum; *racemi* in ramis ramulisque terminales adscendentes, 1,0— (fructificantes) 4,0 poll. longi, ante anthesin oblongi, bracteis imbricantibus tecti; *bracteae* ovatae, acutae, nunc 3-dentatae, virides, apice rubentes 0,15—0,2 poll. longae, 0,1 poll. latae, caducae, 2-florae; *bracteolae* 2 laterales lineari-lanceolatae,

0,1 poll. longae, acutae, ad basin pedicellorum caducae; *pedicelli* patentes teretes, vix 0,1 poll. longi, una cum calyce puberuli; *calyx* turbinatus, 4-fidus, 0,13 poll. longus; laciniae lanceolatae, acuminatae, summa ovata, acuta, 2-dentata, nunc 2-fida; *corolla* 0,2 poll. longa; *vexillum* dorso incarnatum, intus lurido-kermesinum, basi sanguineo-maculatum, obovato-subrotundum, apice subemarginatum patens; *alae* oblongae horizontales purpureae, dein sanguineae, acutiusculae, carina paullo breviores eique adglutinatae; *carina* horizontalis, dein elastice desiliens deflexa, albescenti-rubens margine persicina; *stamina* 2-adelpha $\frac{1}{9}$; tubus stamineus horizontalis; filamenta summo apice libera inaequalia, adscendentia, stylo breviora; *germen* lineare atro-viride pilosiusculum, 0,1 poll. longum in stylum horizontalem, apice tantum oblique geniculatim adscendentem attenuatum, pars horizontalis crassiuscula 0,1 poll. longa, obliqua 0,04 poll. longa, attenuata; *fructus* ad basin calyce et tubo stamineo emarcidis cincti, stricti, erecti, bini ex axilla quaque bracteae deciduae, pedicellis brevibus singuli suffulti (nec e pedicello communi progredientes Brm.) spicato-conferti, juniores puberuli virides, dein hepatici imoque brunnei, teretes compressiusculi, 0,4—1,0 poll. longi, 0,07—0,10 poll. lati, longitudinaliter rugulosi, lineis transversis vix prominentibus notati, uniloculati, septulis transversis evanidis, dein in articulos 3—7 subcylindricos, utrinque apertos secedentes; *articuli* (si comprimuntur a latere) subquadrati, terminalis apiculatus; *semina* reniformia vinea, dein livida, lucida.

269. ALYSICARPUS BUPLEURIFOLIUS DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 352. 1. Wght. et Arn. Prdr. I. 233. 718. Wlp. Rprt. I. 749. 3. Wld. Sp. III. 1171. 2 et 3; — varietas β, quam nostra representant specimina, a specie haud est distinguenda et in omnibus hinc inde reperitur; Hsskl. Pap. 21.

Descrpt. Herbae tenerae graciles procumbentes, nunc basi fruticulosae, 2 ped. saepe excedentes; *rami* alterni, elongati, graciles teretiusculi, virides glabriusculi, linea alterna pilosa a petiolo decurrente notati; *stipulae* lineari-lanceolatae, 0,15—0,2 poll. longae, acuminatae, scarioso-emarcidae, dein

delabentes, basi longe persistenti; *petioli* vix 0,1 poll. longi, patentes s. patenti-erecti, semi-teretes, apice vix 2-stipellati; *folia* in eadem planta imoque eodem ramo diversissima, ovalia, ovali-oblonga, oblongo-lanceolata, lanceolato-linearia, plurima autem linearia et angustissime linearia

0,25	poll.	longa	et	0,15	poll.	lata
0,5	—	—	—	0,10	—	—
0,9	—	—	—	0,10	—	—
1,2	—	—	—	0,09	—	—

basi cordata, apice acuta, retusa s. acuminata, omnia mucronulato-apiculata, supra glabra subtus ad nervos venasque adpresse puberula, glauca, utrinque elevato-reticulata; *racemi* in ramis ramulisve terminales, in alabastro bracteis imbricatis tecti; *bracteae* ovato-oblongae viridi-rubentes subciliolatae, acuminatae, deciduae, 2-florae, 0,12 poll. longae; bracteae laterales 2 ad pedicellum quemque obovatae, ciliolatae, viridi-rubentes 0,09 poll. longae, caducae; *pedicelli* brevissimi, inde racemus subspicatus, 0,02 poll. longi, erecti; flores rhachidi adpressi; *calyx* tubulosus angulatus, dein scariosus, 0,12 poll. longus, 4-fidus, laciniae lanceolatae, acuminatae, ciliatae, margine se invicem imbricantes, subaequales, summa vix 2-denticulata, in anthesi patentes; *corolla* calyce vix longior; *vexillum* subrotundum in anthesi patens, ante et post anthesin incumbens, lurido-sanguineum basi intensius coloratum; *alae* carina sublongiores eique supra basin adglutinatae, horizontales obovato-oblongae, sanguineae, margine purpureae; *carina* primo horizontalis, dein elastice deflexa albida, margine superiore cuprea a basi ad medium bipartita; *stamina* diadelpha $\frac{1}{9}$; filamentum vexillare tubo stamineo basi saepe adnatum; tubus stamineus basi crassior, versus apicem attenuatus, 0,15 .poll. longus, apice adscendens et filamenta liberans inaequilonga, viridiuscula; antherae oblongo-ovatae, apiculatae; *germen* lineare brevissimum, viride glabriusculum, gemmulis 5—7, 0,05 poll. longum, in stylum longiter attenuatum, horizontalem 0,1 poll. longum, glabrum, apice geniculato verticali 0,025 poll. longo; stigma capitellatum minutum; *fructus* calycem paleaceum persistentem, eosque arcte cingentem, rarius paullo, plerumque longe excedentes, 0,2—0,45 poll. longi, 0,07 poll. lati, glabri, tetra-

gono-prismatici, pallide-virides, dein brunnei, styli rudimento apiculati, 3—7-articulati; *articuli* singuli 0,05 poll. longi, utrinque septulo tenuissimo rhombeo cinereo clausi, coriacei; *semina* sphaerico-subrhomboidea, livida, lucidula.

270. ALYSICARPUS RUGOSUS DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6626; — sed calyx profunde 4-partitus, lacinia superiore 2-dentata, corolla calyce multo brevior.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 353. 7. Wld. Sp. pl. III. 1172. 5; *A. Walichii* W. et A. Prdr. I. 234. 721. Wlp. Rprt. I. 749. 6; an sat ab *A. glumaceo* DC. l. c. 5. Wld. l. c. 4 distinctus noster? cf. et Wlp. Rprt. II. 899. 1. — Hsskl. Papil. 23.

Descrpt. Herba gracilis adscendens, ad basin montis ignivomi *Gedè* planities graminosas habitans, laete viridis, graminea; *rami* teretes, graciles, internodiis folia plerumque superantibus, glaberrimi, infra petiolum linea pilorum adscendenti-adpressorum donati, versus apicem compressiusculi 8,0—16,0 poll. longi et ultra; *stipulae* amplexicaules (et in gemma) folia juniora equitanti-vaginantes, membranaceae, striato-nervosae, oblongo-lanceolatae, acuminatissimae, glaberrimae, ramis adpressae, viridi-flavescentes dein emarcidae, scariosae, persistentes 0,25—0,45 poll. longae, 0,1—0,15 poll. latae; *petioli* (quasi e axilla stipularum progredientes) erecto-patentes nunc patentissimi, triquetri, supra subulato-canaliculati, 0,15—0,3 poll. longi, stipulis semper breviores; *folia* conduplicativa in aestivatione, dein explanata, inferiora ovato-oblonga, superiora oblonga, plurima dein lineari-lanceolata, summa angusto-linearia, inferiora acuta summa acuminata, omnia basi subcordata, utrinque reticulata supra glabra

0,8	poll. longa,		0,3	poll. lata	
1,3	—	—	0,4	—	—
2,2	—	—	0,25	—	—
1,4—2,5	—	—	0,15—0,2	—	—

subtus glauca et margine pilis raris adpressis aucta; *racemi* terminales nunc subpaniculati graciles, successive elongati, 3—6 poll. longi, inflorescentiam gramineam simulantes, inevoluti oblongi, bracteis imbricatim tecti; *bracteae* et calyces glumacei, priores ovato-lanceolatae, acuminatae, stramineae, apice subsanguineo-violaceae, 0,25—0,3 poll. longae, 0,1 poll.

latae, deciduae, biflorae, nervoso-striatae, glaberrimae; *bracteolae* 2 laterales, ad basin pedicellorum lineares tenuissimae, albido-hyalinae, 0,1 poll. longae, caducae; *pedunculus* strictus ad insertionem bractearum incrassatus, minutissime una cum pedicellis puberulus; pedicelli erecti tenues graciles 0,1 poll. longi; *calyx* 0,3 poll longus, viridis, apice violaceus, longitudinaliter nervoso-striatus, profunde 4-partitus; lacinia superior apice 2-dentata, 0,1 poll. lata, infima concava, superiori aequilata, acuminata, oblongo-lanceolata, laterales lineari-lanceolatae, 0,6 poll. latae, tenuiores, conniventes (in anthesi forsan patentes?), omnes versus apicem minutissime et pilis raris ciliatae aequilongae; *corolla* calyce + 2-plo brevior, a calyce inclusa aurea; *vexillum* obovato-subrotundum, alas et carinam plane involvens (an semper? an in anthesi patens?) 0,13 poll. longum, 0,16 poll. latum, basi attenuatum totum aureum; *alae* carinae aequilongae horizontales, basi viridiusculae dein aureae, summo apice lilacinae oblongae, obtusae, 0,05 poll. latae, carinae supra basin adglutinatae; *carina* vinea. oblonga, obtusa, integra; *stamina* 2-adelpha $\frac{1}{9}$; tubus stamineus rectus horizontalis, apice filamenta libera inaequilonga; antherae ovatae sat magnae; *germen* atro-viride, lineare, lucidum, glaberrimum, 0,07 poll. longum, gemmulis 6—7, in stylum horizontalem flavescenti-albidum attenuatum; stylus dein angulo obtuso adscendens; stigma dilatato-peltatum.

271. CLITORIA TERNATEA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6635. Msn. Gen. 86. Comm. 62. 120.

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. III. 1068. 1352. Lam. Ill. t. 609. DC. Prdr. II. 233. Forsk. flor. aeg. arab. p. 135. 18. Rmph. amb. V. 56 t. 31 icon bona; Brm. Zeyl. 100 ad fin. *Phaseolus clitorius* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 82. Wght. et Arn. Prdr. I. 205. 641. — Rheed. Hrt. mal. VIII t. 38 differt foliis septenis obovatis; Commel. Hrt. Amstd. I. 47 t. 24 differt foliis acutis acuminatisve; — an citata bina haec posteriora hujus speciei? — *Vexillum* plicatum cum alis nunc plane albidum, nunc ad margines plus minus intense coeruleo-coloratum, *flos* autem totus nunc simplex nunc plenus reperitur, et inde nomen sundense: *Kembáng télang*, addito cognomine *bódas* (alba), *buláu* (atro-coerulea), *bulau ad múda* (coerulea) et *súsun* (plena) evadit.

272. NEUROCARPUS RETUSUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6636. Msn. Gen. 86. Comm. 62. 121 (cf. add. 350. 121/1. Endl. Gen. 6637.); fructus vix subfalcati rectiusculi, stylus apice haud dilatatus! — cf. Endl. Gen. 6639.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1226. 1. Diagn. nov. 192. Legum. 3. Papil. 24. Wlp. Rprt. V. 529. 1.

Diagn. refrmt. Fruticosus erectus, foliis trifoliatis, foliolis oblongis aut obovato-, imoque lanceolato-oblongis, emarginatis aut retusis, subcoriaceis, supra glabris subtus glaucis et pedunculis ramisque adpresse pilosis, petiolo communi subnullo, pedunculo axillari solitario, subracemoso, sub-3-floro, foliis breviori. Cf. DC. Prdr. II. 235 et *Clitoriae* Sp. 7 et 15, cui ulteriori *N. laurifolio* Msn. (*Vexillaria* Bnth. Wlp. Rprt. I. 753. 1) valde affinis noster; — Hsskl. ll. cc. cc. — *Crotalaria retusa* L. Wld. Sp. pl. III. 976. 13. DC. Prdr. II. 125. 14 cum citatis — etsi habitu simillima — tamen longe diversa.

Descrpt. Caulis fruticosus 6—7 ped. altus, strictus, vix ramosus, teres, inter folia inferiora griseo-hirtus, versus apicem et petioli pedunculique argenteo-sericei; *stipulae* e basi lata lanceolatae, acuminatae, 0,25 poll. longae, 0,15 poll. latae, erectae, sericeae, persistentes marcescentes; *petiolus* vix 0,4 poll. longus, crassus, teres, ima basi foliola lateralia, apice terminale gerens patens, petioluli basi stipella lineari-acuminatissima, 0,15 poll. longa suffulti, stipellis breviores crassiusculi; *foliola* oblonga, inferiora obovato-, floralia lanceolato-oblonga, basi attenuata, apice rarius obtusa plerumque retusa s. emarginata, supra glabra, subtus juniora sericea, adulta glauca, venoso-reticulata in venarum reti adpresse puberula, terminale lateralibus paullo majus, 3,0—1,3 poll. longum, 1,3—0,6 poll. latum; *pedunculus* axillaris basi 2-bracteolatus, folio brevior, 1,6—1,0 poll. longus, 2—3-florus, ad ortum pedicellorum bracteolis 2 ovato-lanceolatis, acuminatis adpressis extus sericeis, intus glaberrimis, lucidis, 0,15 poll. longis donatus; *pedicellus* patentissimus 0,3 poll. longus, apice *bracteis* 2, calyci arcte adpressis, ovatis acuminatis, flavescenti-viridibus extus sericeis, intus glaberrimis, multinerviis, 0,35 poll. longis, 0,2 poll. latis, longe persistentibus; *calyx* tenuis membranaceus, subcurvatus, sericeo-pubescens campanulatus, 5-fidus, 0,8 poll. longus; laciniae aestivatione imbri-

catae, e basi lata subcordata ovatae, acuminatae, corollae adpressae, 0,25 poll. longae, 0,15—0,2 poll. latae, 2 superiores latissimae obliquae, infima reliquis angustior vix longior; *vexillum* calyce duplo longius, flaccidum 1,4 poll. latum, 1,7 poll. longum, complicatum, primo albidum dein caesium, linea media vinea et striis violaceis divergentibus in medio notatum; *alae et carina* subaequilongae, vexillo inclusae, albidae; *alae* carinae adglutinatae, obovato-cuneatae, rectae, ungue 0.4 poll. suffultae. 0,6 poll. longae, 0,3 poll. poll. latae; *carina* 2-petala; petala superne vix cohaerentia, falciformia ungue 0,5 poll. suffulta, 0,5 poll. longa, 0,25 poll. lata; *stamina* una cum petalis calycis fundo dilatato inserta, carina tota inclusa, tubus filamentorum et filamentum liberum vexillare adscendenti-curvatum, 0,7 poll. longus, apicibus liberis 5-dynamis, filiformibus; antherae oblongo-ovatae, apiculatae, loculis parallelis; *germen* stipite curvato 0,2 poll. longo suffultum lineare viride 2-costatum, 0,25 poll. longum, 0,05 poll. latum, apiee in stylum longissimum, flexuosum, virescenti-albidum, versus apicem intus pilosum, 0,6 poll. longum attenuatum; stigma discoideum parvum ciliatum; *fructus* stipite 0,3 poll. longo, crassiusculo, patenti suffulti, erectiusculi (cum stipite angulum subrectum formantes), glaberrimi, lineari-oblongi, styli basi persistente ± longa apiculati, 1,2—1,7 poll. longi, 0,3 poll. crassi, bivalves intus septulis transversalibus plurilocellati, valvis versus marginem superiorem carinatis, carina elevata, inde fructus inaperti sub-4-goni, flavo-fusci, intus lividi; *semina* 5—7 sphaerica, hepatica, glutine involuta et inde ejecta saepe foliis adhaerentia, umbilico orbiculari gilvo. — Nomen sundense: *Kakátjangan.*

273. CENTROSEMA SCABRIUSCULUM Hsskl

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6638. *Steganopteris* Lehm. Msn. Gen. 86 add. 350. 119 vexillum cucullatum basi 2-callosum, alas carinamque includens habet, dum specimina nostra vexillum patentissimum intus subcallosum praebent!

Char. Spec. cf. *Clitoria virginiana* L. β. *elliptica* DC. Prdr. II. 234. 9,

Cl. oblonga Hsskl. Diagn. 191. *Dolichos scabriusculus* Hsskl. Diagn. 201. Wlp. Rprt. II. 901. 1. Leg. 29. Adnot. 1242. 3. Cat. 1242. 2. (4)

Diagn. Volubile annuum, ramulis subtomentosis, foliolis ovato-oblongis oblongo-lanceolatis aut ellipticis, acuminatis, supra scabriusculis subtus glabris, pedunculis 1—2-floris, petiolo longioribus, folio autem brevioribus, vexillo extus versus basin subcalcarato, leguminibus linearibus longe subulatis glabriusculis. — E *Japonia* allata fertur species, quae *Dolicho spurio* DC. Prdr. II. 397. 3 aliquot affinis. — *Dimensiones:* petiolus communis 0,75—1,0 poll. longus; petiolulus folioli terminalis 0,5 poll. longus; foliola 1,5—2,0 poll. longa, 0,75—1,0 poll. lata; racemuli filiformes; bracteolae ovatae calyci adpressae; calycis laciniae subulatae; corolla magna purpureo-violacea (coerulea); vexillum extus viridiusculum puberulum; intus subcallosum, fructus (immaturi) atro-sanguinei, patenti-suberecti, 3 poll. longi; semina maculata. — Nom. sundense: *Kátjang mónjet* (faba simiarum) aut *K. útjing löwüng*, i. e. (f. felina sylvestris).

274. ERYTHRINA SECUNDIFLORA Brt.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6667. Msn. Gen. 93 et *Chirocalyx* Ibid. add. 351. 246/1. calycis laciniis longis recurvis tortis etc. longe diversum genus! — calycis dentes in nostris jam in alabastro ad corpus glanduliforme oblongum viride connati sunt, postea calyx in anthesi rumpit et subirregulariter 2—4-dentatus aut totus spathaceo-fissus evadit, lacinia altera corpus istud glandulaceum gerente.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. (411—413.) 412. 9 plane quadrat, solummodo stamina vexillo sunt breviora; — *E. indica* Lam. DC, l. c. 15 vexillo ovato differt, staminibusque basi 1-adelphis; — *E. fissa* Prsl. Wlp. Rprt. I. 769. 13 nostram plane quadrat; — *E. indica* Lam. secundum Wight. et Arn. Prdr. I. 260. 798 differt: stipulis falcatis, foliolo terminali late cordato, racemis terminalibus, calyce 5-dentato, vexillo quam calyx breviori (certe lapsus calami pro: *longiori!*) staminibusque monadelphis. — Variet. α. *inermis* Hsskl. etc. β. *aculeata* Hsskl. Catal. 1237. 7.

Descrpt. Arbores 40—50 ped. altae, ad obumbrandas *Coffeae* plantationes adhibitae et *Dédap*, idque α. *mienjak*, i. e. laevis, β. *duri*, i. e. aculeata dictae; truncus lignosus, strictus, albidus, gracilis; *rami* erecti graciles nunc (α) inermes, nunc toti uti truncus (β) aculeati, aculeis raris, parvis, nigris, rectis, firmis cinereo-virides, *summi* omnes inermes virides, summo apice saepe pulverulenti; petiolorum *cicatrices* sat magnae transverse ovales, medio subexcavatae, margine elato circumvallatae; *stipulae* caducae in summo ramulorum apice juxta petiolorum basin binae, minutae, subrotundo-ova-

tae, acutiusculae, sat crassae, virides ferrugineo-tomentosae, adpressae, folio nondum rite evoluto jam evanidae; *petioli juveniles* cum foliolis et ramulis tomento densissimo hepatico intricato peltato tecti, facie interna stipellarum tantum excepta, *adulti* cum basi geniculata, incrassata, 0,3—0,4 poll. longa, articulatim inserti, patentissimi aut imo divaricati, teretes glaberrimi, in summo ramulorum apice sparsi 6—8 poll. longi, pinnatim 3-foliolati, ad foliolorum par articulati; *stipellae* infra petiolulos binae subrotundae virides, supra convexae, subtus concavae, lucidae, ante folii evolutionem horizontales tomentosae in petiolo verticali; in petiolo patenti verticales, 0,12 poll. diametro, glabratae longe persistentes, cum petiolo deciduae; *petioluli* 0,5 poll. longi, petiolo ipso crassiores et una cum hujus basi atro-virides, articulatim inserti, nunc in eadem cum petiolo planitie, nunc in- aut reflexi; *foliola* in praefoliatione complicativa et incurva, dein plana ovata, acuminata aut acuta, terminale nunc subrhomboideo-ovatum, versus basin subcordatam attenuatum, aut subrotundo-ovatum, 5—7 poll. longum, 4,5—5,5 poll. latum; *lateralia* nunc ovato-oblonga aut ovato-lanceolata, plerumque paullo longius acuminata, 3,5—4,5 poll. lata, basi rotundata leviter subcordato-emarginata, laete viridia, subtus vix pallidiora, membranacea, dein glabrata, glaberrima; *racemi* in apice ramulorum axillares primo erecti, dein patentissimi; *pedunculi* basi purpurei sat (0,1 poll.) crassi, teretes, glabri, petiolis paullo breviores 5—8 poll. longi, apice successive elongato-virides, minutissime farinoso-puberuli, nunc cernui ibique floriferi; *flores* in verticillos 8—9-floros, completos, 6—9 succedaneos congesti, unius verticilli simultanei, in anthesi evidenter secundi, pulcherrimi, coccinei; *bracteolae* ad basin *pedicelli* brevissimi, cylindrici, 0,1 poll. longi, unica linearis et ad basin calycis utrinque binae ovatae, minutissimae, marcescentes caducissimae; *calyx* ante anthesin ellipticus, dein oblongus utrinque attenuatus, minute tomentosus viridis, apice e dentibus limbi in corpus glanduliforme viride laeve, apice subexcavatum et supra cavitatem dente superiori sublibero patenti mucronatum

connatis, indehiscens, dein rumpens 0,55 poll. longus, plerumque subaequaliter 2-, rarius 3-fidus, laciniis late ovatis acutis subreflexo-patentibus, altera corpusculo glanduliformi coronata, nunc ad medium spathaceo-fissus, oblique subtruncatus, margine irregulariter lacero, subinfundibuliformis viridis, dein marcescenti-deciduus; *vexillum* ante anthesin reliquas floris partes internas complectens, coccineum, subrotundo-ovatum, alis et carina vix duplo longius, in anthesi 1,7 poll. longum, 0,9 poll. latum, flaccidum, ovato-oblongum, apice concavum, obtusum, subemarginatum, basi attenuatum, cinnabarinum, basi viridi-flavescenti-luridum, paullo crassius, longitudinaliter nervis 17 parallelis pallidioribus percursum glabrum; *alae* patentes margine suberecto superiore se invicem et carinae marginem superiorem inbricatim obtegentes, eique subaequilongae, obovato-obtusae, basi attenuatae, 0,6 poll. longae, 0,3 poll. latae, cinnabarinae ad margines atro-sanguineae, glaberrimae, lucidae; *carina* horizontalis, a latere compressa, alis paullo longior, antice ad basin 2-partita, inde e *petalis binis* subtrapezoideis minus intense et luride lateritio coloratis, 0,65 poll. longis, 0,4 poll. latis, superiore margine rotundato conniventibus, apice subemarginatis, margine inferiore conglutinatis; *stamina* 10 diadelpha; *filamenta* 9 in *tubum* connata a lateribus compressum supra fissum, sed marginibus superioribus ante anthesin conglutinatis, basi viridi-albidum, subdescendenti-curvatum, medium primo cinnabarinum, dein lateritium lucidum, dein flabelliformi-expansum, horizontalem 0,8 poll. longum; *apices* liberi 5 longiores robustiores, 0,3 poll. longi, 4 minores tenuiores, 0,2 poll. longi, lateritii; *filamentum vexillare* fissurae tubi filamentorum incumbens eique saepe adglutinatum, dein plane liberum, apices tubi breviores et ante anthesin haud attingens, 0,8 poll. longum, basi albidum, adscendens dein horizontale, cum tubo concolor; *antherae* infra medium insertae, introrsae subversatiles oblongae, acutae, utrinque subemarginatae, filamentorum brevium paullo breviores, flavo-virentes, effoetae lineares acuminatae, seladoneae; *pollen* globosum viride, fovilla copiosa

farctum sat magnum; *germen* stipite complanato, 0,2 poll. longo suffultum, una cum hoc densissime albido-tomentosum, pilis parvis, hyalinis, sat crassis, peltatim ope stipitis tenuioris insertis, horizontalibus, utrinque fusiformibus, haud articulatis, succo hyalino et granulis minutissimis foetis, angusto-lineare, 0,3 poll. longum, in stylum continuum, 1-loculare; *gemmulae* 4—6 suturae superiori insertae; *stylus* rectus 0,5 poll. longus, horizontalis versus apicem attenuatus lateritius, basi viridis, apice ante anthesin inflexus dein incurvus; *stigma* albidum, apiculato-subrostratum, intus concaviusculum; fructus stipite longo suffulti (in *Bidara-tjina* rarissimi ob *Pteropus edules*, qui nocturne omnes flores et fructus juveniles cum foliis inevolutis comedunt). — Mensibus Decembri ad Majum et forsan per totum annum flores gerunt. — 1846.

275. ERYTHRINA LITHOSPERMA Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Cat. 92, an Sweet hrt.? Hsskl. Legum. 36; aff. *E. secundiflorae* Brot. Sprg. Syst. Veg. III. 243 (e diagnosi haud diversae!) DC. Prdr. II. 412. 9, quae foliolis ovato-lanceolatis, alis et carinae petalis, calyce longioribus diversa. — *E. indica* Lam. DC. l. c. 15. Wght. et Arn. Prdr. 1. 260. 798, differt foliis basi late cordatis, vexillo ter breviori quam calyx staminibusque monadelphis, caeterum e ramis armatis et foliorum stipularumque forma valde affinis; *E. latissima* E. Mey. Wlp. Rprt. I. 768. 7 valde affinis, petioli autem haud articulati.

Descrpt. Arbor mediocris 40—50 ped. alta, una cum specie praecedente prope *Bidara-tjina* prov. *Bataviae* ad obumbrandas plantationes *Coffeae* adhibita, nunquam (uti dicunt vulgo) autem in hortis Coffeae flores proferens, *Dédap bléndong* s. *D. tíit* dicta; *truncus* 20—25 ped. altus cortice albescenti et *rami* erecti, aculeis nigris, parvis, sat firmis, nitidis, rectis, subincurvis muniti, cinereo-albescentes, teretes graciles; *ramuli* summi viridiusculi, farinoso-tomentosi, sat crassi, aculeis viridibus sat rigidis muniti, medulla spongiosa sat crassa farcti, 0,5 poll. crassi; *stipulae* deciduae, lineari-lanceolatae, acuminatae, basi attenuatae, subflexuosae, dein subfalcatao-reflexae, sat crassae, virides 0,4 poll. longae, 0,07

poll. latae, una cum ramulorum apice, petiolis, foliolis junioribus, inflorescentia inevoluta et fructibus tomento denso, grumoso, hepatico tectae; *petioli* ad apicem ramulorum sparsi, ima basi 0,2—0,5 poll. longa incrassati, articulatim inserti, cicatricem transverse oblongam aut triangularem albidam relinquentes, 0,5 poll. latam, 0,3 poll. altam, teretes, ad basin glandulis lateralibus subreflexis hemisphaericis obsessi, siccando subsulcati, laete virides, dein glabrati, summi erecti, inferiores patentes et patentissimi, ad insertionem foliolorum paris paullo incrassati et articulati, 6—13 poll. longi; *stipellae* ad insertionem petiolulorum utrinque binae, hemisphaericae, subtus concavae, virides, primo tomentosae subtus glabrae, nitidae, dein glabratae, 0,15 poll. diametro; *petioluli* atro-virides articulatim inserti, 0,6 poll. longi, 0,15 poll. crassi, dein glabrati; *foliola* basi subpeltatim inserta, 5-nervia, late ovata, acuminata, basi subdeltoideo-truncata, nunc subrotundata, imoque subtriloba, ad insertionem leviter emarginata, *terminale* majus, margine undulato-repanda { term. 5,0—8,5 / lateral. 5,0—7,0 } poll. longa, { term. 6,0—9,5 / lateral. 4,0—6,5 } poll. lata, acumine plerumque obtusiusculo, membranacea, sat laete viridia, subtus vix pallidiora et dein tota glabrata; *nervi* bini inferiores tenuiores, folii basin marginantes, intermedii nervis superioribus suboppositis paralleli, subtus prominuli flavescentes, pari modo ramosi, marginem versus dichotomi et ramificatione confluentibus curvati, subtus minute et eleganter reticulata et punctulis minutissimis notata; *racemi* axillares; pedicelli spiraliter dispositi, secundi, patentissimi, 0,3—0,4 poll. longi; *calyx* ante anthesin tubulosus, basi paullo crassior, apice truncatus, obsolete denticulatus, tomentosus, dein glaberrimus basi campanulatus; limbo spathaceo supra fisso, 0,9 poll. longo, marcescenti, persistenti; *corolla* splendidissima, coccinea; *vexillum* 3 poll. longum, oblongo-ovatum, acutum, basi attenuatum, 1 poll. latum, horizontale subadscendens; *alae* et *carinae* petala libera intensius coloratae, calyce tertia parte breviores, conniventes, verticales; *stamina* 10 diadelpha; filamentum

vexillare subliberum, omnia oblique de-, dein adscendentia, apice adscendenti-horizontalia, pariter coccinea; antherae versatiles lineari-oblongae; *germen* longe stipitatum tomentosum; gemmulae 10; stylus filamentis longior; stigma obtusum; *fructus* 2—8 poll. longi, torulosi, atro-sanguineo-viridiusculi, 1—5-spermi; *semina* oblonga, sanguineo-punicea; cotyledones crassae; radicula inflexa.

Obs. *Butea* Koen., etsi habitu *Erythrinis* valde accedens, tamen ob fructus indehiscentes monospermos majori jure forsan ad *Dalbergieas* reducenda! cf. Hsskl. Catal. 1238. (2.)

276. PHASEOLUS HUMILIS Hsskl.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 537. 1. Hsskl. Pap. 25. *Ph. scaber* Std. DC. Prdr. II. 396. 50 et *Ph. radiatus* L. DC. Prdr. II. 395. 49 et species binae antecedentes DC. l. c. 47 et 48. Hsskl. Cat. p. 278.(8)

Descrpt. Herba annua (forsan e *China* in *Javam* introducta!) erecta glabriuscula; caulis angulatus; *stipulae* ovato-lanceolatae, acutae, supra basin acutam insertae, glabrae, erectae persistentes; *petiolus* erecto-patens glabriusculus, supra canaliculatus, subtus falcatus, 2,0—2,3 pollices longus; *foliola* breviter petiolulata et stipellis patentibus minimis lanceolatis suffulta, lateralia in superiore petioli parte, ovata s. ovato-subrotunda, acutiuscula s. obtusa imoque retusa, nervis supra crispato-prominentibus, supra viridia, pilosiuscula, subtus pallida, 1,0—1,5 poll. longa, 0,9—1,3 poll. lata; *pedunculus* brevissimus vix 0,1—0,4 poll. longus; inflorescentia capitata bracteis ∞ oblongis, acutis, adpressis tecta; flores evoluti 1—3; *calyx* campanulatus, lacinia superior lata 2-fida, inferiores 3 subaequales tubo breviores; *vexillum* flavum, 0,7 poll. latum, 0,4 poll. altum, patens marginibus inflexis, basi vix angustatum, breviter unguiculatum, supra unguem utrinque breviter auriculatum, in media lamina paullo supra auriculas gibbus 1 oblongus, parvus; *alae* apice intensius coloratae, aureae, tortae, margine superiore inflexae et carinae corniculis insidentes, 0,5 poll. longae, 0,3 poll. latae; *carina*

flavescenti-albida, torta, margine superiore supra medium connato, latere quoque appendice corniformi acuminato aucta; *filamentorum* pars libera filiformis torta; *germen* brevissimum stipitatum, basi annulatum, lineare 0,5 poll. longum, 0,05 poll. latum; stylus sub angulo recto idque insidens germini longitudine superans, filiformis tortus, versus apicem subtus subbarbatus; stigma crassiusculum; *fructus* in pedunculo patenti-erecto, 0,4 poll. longo penduli, glabri, lividi, subrecti teretes, subtorulosi, intus pseudo-isthmis praediti, 1,8 poll. longi, 0,2 poll. crassi, basi leviter attenuati, apice mucronati, mucrone breviter acuto, 5-spermi; *semina* oblonga, turgida, utrinque truncata (exsiccata, subcompressa), hyacinthina, hilo albo lineari.

277. VIGNA MONACHALIS ENDL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6675.b. Msn. Gen. 93. Comm. 66. 248 et 240 et add. 351. 240.

Char. Spec. cf. Hsskl. Papil. 26. Cat. 1241. 2. (3) *Dolichos* DC. Prdr. II. 399. 24.

Descrpt. Herba annua (e *Promontorio Bonae Spei* forsan allata?) volubilis 6—7 pedes alta; *rami* torti subangulati, tuberculis minutissimis asperuli; *stipulae* oblongae, peltato-adnatae, erectae, longiter acuminatae, basi retrorsum subulato-appendiculatae, nervosae, persistentes marcescentes 0,5 poll. longae, 0,2 poll. latae; *petiolus* foliolis brevior, medio articulatus ibique foliola lateralia gerens, totus ad foliolum terminale 1,0—3,0 poll. longus, glabriusculus s. scabriusculus, sulcatus, supra planus, margine utroque subalatus indeque canalem angustum sat profundum referens, alae ad foliolorum ortum in stipellas productae parvas, patentes, subrotundas, laete virentes, subtus concavas, vix 0,1 poll. longas; *petiolus* viridis ad insertionem foliolorum supra et ad latera sanguineo-maculatus; *foliola* integra, terminale ovali-subrotundum nunc sub-rhombeum, 1,5—4,0 poll. longum, 1,4—3,5 poll. latum, acutiusculum, versus basin attenuatum, subcordatum; lateralia inaequilatera, ovato-oblonga, subhastata, acuta

aut acutiuscula, altero latere basi longiter et horizontaliter producta 2—4 poll. longa, 1,5—3,0 poll. lata, latus exterius interiori duplo latius, omnia breviter petiolulata, supra scabriuscula, subtus pallidiora, subglaucescentia, venoso-reticulata; petiolulus crassiusculus, teres, paullo intensius coloratus; *pedunculus* axillaris petiolo vix longior, obsolete angulatus scabriusculus, basi viridis, versus apicem rubens, apice incrassatus et ramulum nodoso-geniculatum, floriferum proferens, *flores* succedanei 6—8, simultanei 2, sat grandes, leviter fragrantes albidi; *calyx* cupulaeformis, 0,25 poll. longus, basi viridis caeterum sanguineo-rubens, laciniae 5 late ovatae, subulato-acutae, 2 superiores ad acum connatae; *corolla* ante anthesin viridis, 0,6 poll. longa; *vexillum* subrotundum, emarginatum, patens, dorso rufo-stramineum, intus lurido-albidum, supra gibbos semi-lunares vineo-maculatum, 0,9 poll. altum, 1,2 poll. latum, breviter unguiculatum, in unguiculo canaliculatum, filamentum vexillare recipiens, dein semi-lunari-appendiculatum et supra appendices semi-lunari-gibbosum; *alae* albidae, vexillo paullo minores, obovato-spathulatae, margine superiore conniventes ibique lilacino colore subtinctae, margine anteriore rotundatae, 0,85 poll. longae, 0,5 poll. latae, callo carinali insidentes, ungue hamato-curvato, angusto; *carina* alis paullo brevior, sub angulo recto curvata, 0,8 poll. longa, 0,5 poll. lata, alba, versus apicem subflavescens lucida, margine superiore ad apicem fere cohaerente, supra unguem rectum, 0,2 poll. longum, 0,05 poll. latum, impresso-gibbosa; *stamen* vexillare totum liberum; filamentum basi curvatum, dein rectum, supra medium adscendenti-curvatum candicans; *tubus stamineus* compresso-subcylindricus, candicans, 0,6 poll. longus rectus, 0,15 poll. latus, inferiore parte supra apertus, superiore parte connatus, pars libera filamentorum 0,5 poll. longa, curvato-adscendens filiformis; *antherae* omnes fertiles flavae, versatiles medio dorso affixae, loculis connectivo medio latiusculo subdistantibus utrinque approximatis; *annulus* nectarifer 10-crenatus, 10-sulcatus, lucidus, 0,075 poll. longus; *germen* lineare rectum viride breviter et late stipitatum,

0,55 poll. longum, 0,05 poll. latum; *stylus* diaphano-flavescens, angulo recto curvatus, lucidus, crassiusculus, 0,4 poll. longus, facie interiore villis sericeis densissimis barbatus; *stigma* bilobum, lobo altero interiori atro-viridi, subgloboso laevi fertili, altero exteriore conico, calcariformi lucido flavescente; *fructus* in pedunculo plerumque 2, erecto-patentes, dein penduli, ima basi calyce emarcido persistente cincti, 3,5—5,0 poll. longi, 0,30—0,35 poll. lati, subteretes, inter semina subconstricti, 3—9-spermi, basi sterili ± longa quasi stipitati, compressi, apice sterili ± longiter rostrato-acuminati, acumen ad apicem subdilatatum, subtusque subexcavatum, intensius coloratum; juniores virides glaberrimi; maturi ochraceo-straminei; valvae dein tenuissimae intus sericantes et inter semina septis spongioso-membranaceis auctae; *semina* oblonga, subcurvata, 0,4 poll. longa, 0,25 poll. lata (sicca 0,3 poll. longa, 0,2 poll. lata) circa hilum atro-sanguineo-nigra, dorso albida, regulariter colorata; cotyledones crassae, radicula curvata incumbens, plumula sat magna bilobo-semi-lunaris.

278. VIGNA SINENSIS Endl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6675.[d.] Msn. Gen. add. 351. 240. *Scytalis* E. Mey. Msn. Gen. 94. Comm. 67. 275, sed fructus ex isthmis dein evanidis 1-loculatus!

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. et Adnot. 1241. 2. *Dolichos* L. Wght. et Arn. Prdr. I. 250. 771. α. Wlp. Rprt. I. 780. 21. α. Hsskl. Diagn. nov. 202. Leg. 30. Catal. 1241. 2. — Magnopere variat caule altiore aut humiliore, fructu immaturo ineduli aut tenero eduli, maturo plus minus elongato (nunc 8—10, nunc 14—18 poll. longo) aut plus minus intense colorato, seminibus maculatis aut immaculatis, albis, roseis, rubris nigrisve; sub nomine sundensi *Kátjang pánjang* (faba longa) sat nota species, cujus varietates autem diversis nominibus gaudent, quas olim (Diagn. nov. 202) diagnosibus brevibus distinguere operam dedi. — *V. sinensis* Rmph. amb. V. 375 t. 134, quam iconem Wght. et Arn. l. c. malam dicunt, differt e descriptione Rumphii, foliis longioribus et angustioribus, quam in aliis Phaseolis (dum nostra folia habet inter latissima), basi biauriculatis (descr. nec icon), vexillo retroflexo intus alisque pallide purpureis, leguminibus viridi-albescentibus, seminibus rufis; ex icone dein stipularum forma et fructuum rostro deficiente!

Descrpt. Annua scandens glabriuscula; *ramuli* juniores saepe retrorsum scabriusculi; *stipulae* peltato-adnatae, ovato-lanceolatae, acutae, basi oblonga producta; *petioli* alato-canaliculati, 1,5—8,0 poll. longi; *foliola* ovata, acuta, nunc ± obtusa, imoque rotundata, terminale regulare trinerve, lateralia inaequilatera, binervia aut subtriplinervia, 2—6 poll. longa, 1,5—4,75 poll. lata; *pedunculi* 3—5-flori, ante et in anthesi foliis breviores aut subaequales, fructigeri hinc folia superantes 4,5—12,0 poll. longi; *vexillum* carinae adpressum extus ochraceum, intus lurido-lilacinum, ad callos citrino-maculatum; *alae* longitudine fere vexilli et carinae, 0,75—1,0 poll. longae, obovatae, lilacinae, 0,5 poll. latae, basi angulato-angustatae; *carina* 2-pus semi-orbiculata, alba, supra marginibus conglutinatis; *fructus* penduli 1—2, infra pedunculi apicem inserti, 15—17-spermi, tereti-compressiusculi subtorulosi, apice rostro unguiformi crasso, subtus depresso muniti, 6—7 poll. longi, immaturi sanguinei, maturi lurido-sanguinei laeves, lucidi; *semina* oblongo-nephroidea, atro-sanguinea, lucida, hilo albo, 0,3—0,5 poll. longa.

279. LABLAB VULGARIS Savi.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6677. Msn. Gen. 93. Comm. 66. 241, — sed stylus supra (intus). barbatus et fructus immaturus tantum isthmis interceptus, maturus isthmis destitutus!

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 401. 1. Wght. et Arn. Prdr. I. 250. 772. Wlp. Rprt. I. 781. 1. Hsskl. Leg. 31. Catal. 1243. 1; variat seminibus albis, coeruleis nigrisve! Nom. sundense: *K. pedà.*

γ. *albiflorus* DC. Annuus (nec suffruticosus DC.) volubilis; *rami* viridos retrorsum scabriusculi; *foliola* subrhomboidea acuminata, in nervis puberula, 2,5—4,5 poll. longa, 1,75—4,0 poll. lata, lateralia inaequilatera, omnia trinervia; *stipellae* patentes, apice reflexae; *pedunculi* axillares 4—18 poll. longi, folio praediti (aut potius rami floriferi axillares, unifoliati, pedunculus terminalis 14 poll. longus, gemma axillari abortiva!); *flores* pseudo-semi-verticillati 5 in ramulo abortivo, globoso, incrassato, laevissimo insidentes; bracteolae calycis tubum aequantes; *corolla* alba; *stylus* intus barbatus; *fructus* basi glandula fere semi-circulari (nec hemisphaerica) alba, sulcata cincti, immaturi in suturis muricati, intusque septati; maturi muricibus et septis internis evanescentibus, 2,5—3,0 poll. longi, 0,6—0,75 poll. lati; pericarpium difficile detractile; *semina* livido-hepatica, 0,5 poll. longa,

0,3 poll. lata, 0,1—0.15 poll. crassa. — Nomen sundense: *Kátjang djarìgi.*

δ. *microcarpus* Hsskl. Diagn. nov. 203 Cat. l. c. a praecedenti differt: foliolis rhomboideo-ovatis, acuminatis, aut cuspidatis, fructibus 1,0—1,5 poll. longis, 0,5—0,6 poll. latis; variat floribus coeruleis s. lilacinis. — Nomen sundense: *Kátjang kembàng kára.*

280. PSOPHOCARPUS LONGEPEDUNCULATUS Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6680. Msn. Gen. 93. Comm. 66. 237.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 205. Leg. 33. Cat. 1245. 1. Foliolis rhombeo-subrotundis aut lato-ovatis, subconcoloribus, pedunculo elongato, bracteis calycem aequantibus, fructibus 2—3 pollicaribus, dein uniloculatis; — corolla lilacina. — Differt nostra a sequenti *Ps. tetragonolobo* DC. uti jam est commemoratum in Wlp. Rprt. II. 902. 1.

Descrpt. Radix tuberosa crassa napiformis; caulis volubilis herbaceus; *rami* teretes torti glabriusculi; *petiolus* 3—5 poll. longus; stipulae basales semi-sagittatae, lineares; *foliola* subrhombeo- aut subrotundo-ovata, breviter acuminata, utrinque glabra, subtus vix glaucescentia, 2,0—3,2 poll. lata et longa; *racemi* axillares, longissime pedunculati, multiflori, pedem longitudine excedentes; *flores* bini *bractea* brevi ovata, decidua suffulti, brevissime pedicellati; *calyx* in alabastro bracteolis binis ovatis, acutis, bullatis, deciduis plane inclusus, subbilabiatus; labium superius emarginatum, inferius subtrilobum; lobi laterales obsoleti, intermedius longior, lineari-lanceolatus; *corolla* lilacina; *stamina* semi-diadelpha, vexillare ad medium tubo stamineo adnatum; *fructus* 2—3-pollicares, immaturi isthmis crassis, spongiosis intercepti, maturi 1-loculati, bivalves 4—6-spermi; *semina* teretia, utrinque obtuse truncata brunnea; hilo vix pallidiore. — Nomen sundense: *Djáät mónjet* (simia).

281. PSOPHOCARPUS TETRAGONOLOBUS DC.

Char. Gen. cf. spec. anteced. — Vexilli calli crassi; stamina 1-adelpha.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 403. 1. Wld. Sp. pl. III. 1046. 11. Rmph. amb. V. 374 t. 133 icon mala, quoad foliorum et fructum magnitudinem.

Diagn. nov. Foliola ovata aut ovato-oblonga, acuminata, subtus glauca, bracteae calyce minores; fructus pedales, 13—17-spermi; corolla al-

dum variabili, sed semper eadem forma obviam veniunt; — quoad bida. — Hsskl. Leg. 34. Foliola quoad aetatem magnitudine admofructus autem hasce distinxi varietates: (Hsskl. Diagn. nov. 206. Leg. 34. Catal. 1245. 2.)

α. *macropterus* Hsskl. fructu plus minus compresso (cum alis 1—2 poll. lato), alis magis evolutis (0,5 poll. latis) integris aut repandoserratis. — Nom. sundense: *Djáat.*

β. *micropterus* Hsskl. fructu plus minus compresso (cum alis 0,7—1,0 poll. lato) alisque minus evolutis (vix 0,25 poll. latis) integris. — Nomen sundense: *Djáat pütoï* (Parkiae).

Utraque varietas semina gerit colore normali ternario tincta albo, flavo et nigro; hybridae plantae autem ostendunt semina flavescentia (e flavo et albo), lurida (e flavo et nigro) et violacea (e nigro et albo); semina flavescentia cum flavis pariter ac lurida cum coeruleis et violaceis nunc in eodem legumine nunc in diversis leguminibus reperiuntur, quare signum hocce ad distinctionem subvarietatem haud rite adoptandum erit.

282. VOANDZEIA SUBTERRANEA Thouar.

Char. Gen cf. Endl. Gen. 6684. Msn. Gen. 93. Comm. 66. 238. Hsskl. Leg. 75. Tydschr. Ned. Ind. III. II. 149: Over Katjang manilla. Hsskl. Catal. 1247. 1. *Flores* hermaphroditi (nec polygami) bini ad apicem pedunculi axillaris inserti; *bracteolae* binae deciduae; *calyx* campanulatus, minutus, subbilabiatus, labio superiore vix 2-dentato, inferiore 3-lobo; *corolla* papilionacea; *vexillum* complicatum, alis carinaque paullo longius subrotundum, basi bicallosum; *alae* horizontales oblongo-obovatae, stipitatae, liberae; *carina* dipus (viridiuscula) curvata in angulo recto; *stamina* 10, filamenta 1—2-adelpha; antherae omnes fertiles; *germen* oblongum; gemmulae 1—2; stylus curvatus, apice pilosus; stigma subcapitatum; *fructus* subterranei, subrotundi, indehiscentes fragiles 1—2-spermi; *semina* subglobosa.

Char. Spec. cf. Hsskl. ll. s. c. Catal. 1247. 1. DC. Prdr. II. 474. 1.

Descrpt. Herba annua, radix perpendicularis; *caulis* prostratus; *rami* nunc radicantes geniculati e basi caulis vix elata horizontaliter erumpentes, purpurascentes puberuli; *folia* trifoliolata; petioli erecti, 4—8 poll. longi, triangulares glabri; foliola inferiora subsessilia, terminale petiolulo 0,5—1,0 poll. longo suffultum, ovalia aut ovali-oblonga, 1,5—3,0 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata, glaberrima, integerrima, apice subretusa; *pedunculus* axillaris 0,5—0,7 poll. longus, flexuosus, puberus, apice biflorus; *pedicelli* 0,3—0,4 poll. longi; *calyx* glaber; *corolla* calycem longe excedens flava; vexillum

0,3 poll. longum et latum, plerumque a latere compressum, carinae oblique et adpresse incumbens; *alae* oblongo-obovatae obtusae horizontales; *semina* flavescentia paullo maculata.

Obs. Flore delapso pedunculus ad longitudinem 1,5 poll. elongatur terramque ingreditur, florem delapsum occultans; germen nunc subterraneum successive accrescit; primo est flavescenti-albidum et ovoideum linea circulari longitudinali (sutura vexillari et carinali) notatum; fructus si ad maturitatem fere sunt progressi, herba moritur et fructus liberi in terra remanent, tum maturitatem necessariam adipiscuntur indehiscentes fragiles evadunt et continent *semina* bina aut solitaria, subglobosa, flavescentia paullo maculata. — Nomen malaicum ac sundense: *Kátjang manílla* (faba e Manilla adducta).

283. PSEUDARTHRIA CAPITATA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6689. Msn. Gen. 87. Comm. 62. 132, qui autem uti et autores generis *Clitorieis* adscribunt genus hocce, quod certe *Hedysareis* magnopere vicinum ponendum erit (cf. p. 367. Adn. ad *Desmodium trichocaulon* DC. et Zoll. Arch. III. p. 78. — Fructus autem in hac et sequente specie pilis uncinatis haud tecti, semina strophiolata et alae carina paullo breviores reperiuntur!

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1251. 1. Pap. 27. Cf. Brm. Ind. 167 t. 54. 1, quam nostra plane quadrat; Wld. Sp. pl. III. 1189. 43. *Desmodium capitatum* DC. Prdr. II. 336. 101, quae species nullo jure a Wght. et Arn. Prdr. I. 228. 703. Wlp. Rprt. I. 739. 21 ad *D. polycarpum* DC. II. 334. 82 reducta est. — Omnes autores autem, praeeunte Burmannio, plantam hancce erectam laudant, in nostris speciminibus semper repentem; — aff. *Desmodio trichocaulo* DC. vid. supra No. 265.

Descrpt. Caulis perennis suffruticosus; *rami* repentes teretes, versus apicem adscendentes sericeo-tomentosi, 2—3 ped. longi; *ramuli* adscendentes, floriferi 1—4 poll. longi; *stipulae* lineari-lanceolatae, emarcidae, longiter acuminatae, 0,35 poll. longae, basi vix 0,1 poll. latae; *petioli* sericei erecto-patentes, subtus sulcati, supra canaliculati, 0,5—1,0 poll. longi, ad foliolorum insertiones stipellis, e basi latiuscula subulato-filiformibus, 0,2 poll. longis muniti; *foliola* obovata s. obovato-subrotunda, basi paullo attenuata, apice obtusa s. emarginata, supra glabra, viridia, subtus argenteo-sericea,

0,8—1,3 poll. longa, 0,7—1,1 poll. lata, ramulorum minora; *inflorescentia* racemosa, in ramulis axillaribus terminalis, ante evolutionem strobiliformis conica, floribus ubique *bracteis* ovatis, acuminatis, extus sericeis, margine ciliatis tectis, semievoluta inferiore parte bracteis deciduis, pedicellis patentibus, superiore parte floribus inevolutis, capitato-conicis, bracteolatis; *flores* cujusve inflorescentiae ∞ parvi kermesini, pedicellis patentibus dein reflexis filiformibus, 0,2 poll. longis; *calyx* profunde 4-fidus, basi cupulaeformi, ad medium fere sub-2-labiatus, lacinia suprema majore, apice leviter 2-fida, infima longiore omnibus lineari-lanceolatis, acuminatis, puberulis et ciliatis; *vexillum* patens subrotundum, kermesinum, 0,2 poll. diametro, brevissime unguiculatum; *alae* carinae, dein desilienti adglutinatae, eaque paullo breviores purpureae, oblongae, obtusae; *carina* breviter unguiculata, leviter curvata, margine superiore kermesina, caeterum albida, 0,15 poll. longa, dein deflexa resiliens; *stamina* 2-adelpha $\frac{1}{9}$; filamenta 9, summo apice libera, adscendentia, alterna, paullo minora; antherae oblongae, primo intra carinam reclusae, dein apertae; *germen* brevissime stipitatum, lineare hirsutiusculum, 0,2 poll. longum, apice longiter in stylum attenuatum; styli pars inferior recta horizontalis, dein angulo recto adscendens erectus teres glaber; stigma capitato-peltatum; *fructus* basi calyce et tubo stamineo emarcido explanato suffulti, sessiles, lineari-oblongi, styli basi persistente apiculati, margine superiore recti, inferiore sinuati, 4—5-spermi et pseudo-articulati (*Hedysareas* aemulans); immaturi glabri, virides reticulati, dein maturi, margine inferiore ab apice ad basin valvatim dehiscentes. — Nomen sundense: *Póttong kúdjang*.

284. PSEUDARTHRIA GYRANS Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Papil. 28. Catal. 1251. 3. *Hedysarum* L. Wld. Sp. pl. III. 1185. 38. *Desmodium* DC. Prdr. II. 326. 8. α et β. Wght. et Arn. Prdr. I. 227. 701 et *D. Roylei* W. et A., ibid. in adnot., quod vix diversum habendum! — *Codariocalyx* Hsskl. Diagn. nov. 194. Leg. 10. — Wlp. Rprt. II. 891 1. — De motu foliolorum cf. DC. Phys. veget. II. 869. Trevir. Pflanz. Phys. II. 765. §. 731. *H. K. Geubel* phys. Chem. d. Pflz. 95 etc. Schld. Grndz. II. 555.

Descrpt. Caulis erectus annuus, saepius suffruticosus, 1,5—2,0 ped. altus ramosissimus; *rami* teretes glabri, seniores sublignosi, juniores virides herbacei; *stipulae* adpressae, lanceolatae, acuminatae, marcescentes, deciduae, 0,15 poll. longae; *petiolus* patens s. patentissimus gracilis teretiusculus pilosiusculus, subciliatus, 0,3—0,6 poll. longus, foliola 1—2—3 gerens, ad basin foliolorum stipellis minutissimis, linearibus donatus; *foliola* terminalia (plantae 2-ennis! suffruticosae!) elliptico-lanceolata, elliptico-oblonga, ovalia, oblonga utrinque acutiuscula s. obtusa, diversa dimensione, lateralia nunc nulla nunc

1,4	poll.	longa et	0,5	poll.	lata	
0,9	—	— —	0,5	—	—	
1,4	—	— —	0,35	—	—	
0,8	—	— —	0,20	—	—	

unicum nunc bina oblonga s. obovato-oblonga, imoque subcuneata, obtusa 0,5 poll. longa, 0,20 poll. lata, aut 0,3 poll. longa et 0,10 poll. lata, subglaucescentia, maculata, glabra, subtus glauca, pilis raris adpressis adspersa; *racemi* paniculati, ramuli inflorescentiae glanduloso-pilosi, viscidi, ante anthesin alabastrum, globoso-conicum formantes imbricatum; *bracteae* ovatae, acutae, concavae, 0,2 poll. longae, 0,15 poll. latae, glabriusculae, pallide virides 2-florae; *pedicelli* patentes brevissimi, 0,1—0,2 poll. longi, visciduli teretes; *calyx* campanulatus, membranaceus, vix 0,1 poll. longus, 2-labiato-5-dentatus, pallide viridis, dein rubens subreflexus, dentibus superioribus 2 altius connatis; *petala* mane rubicundo-albida, vexillum incarnatum, horis antimeridianis gilva, vespertinis dein crocea, marcescentia coeruleo-virescenti-marginata, 0,3 poll. longa; *vexillum* patens post anthesin genitalibus incumbens; *carina* cum alis horizontalis, dein elastice desiliens deflexa; genitalia horizontalia; *stamina* 2-adelpha, tubus stamineus albus rectus, summo apice curvatus et filamenta brevia, alterna breviora liberantia; filamentum inferum longius productum; *germen* viride lineare, apice in stylum subangulo recto curvatum, attenuatum, sericeo-puberulum; stylus glaber; stigma subpeltato-capitatum; *fructus* immaturus calyce et tubo stamineo emarcido persistente suffultus, stipitatus, stipite tereti 0,1 poll. longo, rectus viridis, minute puberulus, margine superiore recto, inferiore

sinuato crenato, lineis transversalibus septatus, 5—8-spermus, apice styli rudimento mucronulatus, maturus cupreus, pilis minutis, glandulosis viscido-puberulus, plerumque paullo curvatus, margine inferiore toto dehiscente 2-valvis; valvae ad lineas transversales constrictae, 1,0—1,5 poll. longae, 0,2 poll. latae; *semina* reniformia, compressa, strophiolata 0,12 poll. longa, 0,09 poll. lata, hepatica, striis punctulisque brunneis marmorata, lucida.

285. PSEUDARTHRIA POLYCARPA Hsskl. α. LILACINA Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1251. 4. Pap. 29. *Hedysarum trifoliatum* spicatum Brm. Zeyl. 118 t. 53. 2 (an 1? W. et A.) *H. polycarpum* Lam. Ill. t. 628. 4. *Desmodium polycarpum* DC. Prdr. II. 334. 82 (et e W. et A. 91. 102. 110, nec autem 101, quod supra sub *Ps. capitata* Hsskl.!) Wght. et Arn. Prdr. I. 228. 703 excl. syn. nonnull. (Wlp. Rprt. I. 739. 21.) *Codariocalyx conicus* Hsskl. Diagn. nov. 194. Legum. 11. Wlp. Rprt. I. 744. 1. II. 891. 2.

Descrpt. Herba frutescens 8—9 ped. alta, ramosissima; *rami* teretes virides, pilis albis, adpressis, longis, sparsis tecti, plantae juvenilis cum foliolorum pagina inferiore pariter ac petiolis et pedicellis villoso-pubescentes; *stipulae* e basi lata acuminatissimae, 0,4—0,5 poll. longae, apice filiformi, adpressae, deciduae; *petiolus* patens nunc patentissimus, 0,5—1,0 poll. longus, semi-teres puberulus; ima basi villosiusculus, nunc summo apice foliolum unicum, nunc paullo supra medium et foliola 2 lateralia gerens, ad apicem rami floriferi brevissimus, vix 0,15 poll. longus, 3-foliolatus; *foliola* obovato-oblonga s. ovalia, lateralia terminali angustiora et multo minora, nunc plane deficientia; terminale 1,5—2,5 poll. longum, 0,9—1,5 poll. latum; lateralia 0,8—1,0 poll. longa, 0,4—0,5 poll. lata; foliola foliorum floralium magis magisque rotundata, dein rotunda, imoque transverse ovalia, diametro utroque terminalis 1,4—0,8 poll., lateralium 0,4—0,2 poll.; summorum terminale 0,6 poll. longum, 0,9 poll. latum; lateralia 0,4 poll. longa, 0,6—0,7 poll. lata, foliola omnia supra pistacino-prasina, minutissime strigoso-puberula, subtus melina densius sericeo-pubera; *racemi* ad apices ramorum terminales

et axillares, floriferi 2—3 poll. longi, fructigeri 4—5 poll. longi et lapsis foliis pseudo-paniculam fingentes, erecti, ante florum evolutionem strobilum conicum, acutum, e *bracteis* imbricantibus concavis, ovatis, acutis, ciliatis formatum referentes, habitu iis *Pseudarthriae capitatae* Hsskl. simillimum sed majus; *bracteae* biflorae, deciduae; *pedicelli* bini graciles filiformes 0,3 poll. longi patentes, dein reflexi, in anthesi adpresse pilosi, fructigeri ferrugineo-hirsuti; *calyx* flavescenti-viridis, subkermesinus, campanulatus, 4-dentatus; dentes ovati, acuti, inferiores minores, superiores latiores paullo altius connati; *corolla* ei *Ps. capitutae* H. simillima sed major; *vexillum* 0,3 poll. altum, 0,45 poll. latum; *carina* 0,3 poll. longa, 0,2 poll. lata; petala omnia rubicundo-alba, dein albido-lilacina; genitalia plane *Ps. capitatae* H. sed longiora; *germen* 0,25—0,3 poll. longum, hirsutissimum; *fructus* in racemo plurimi, secundi, horizontales flavo-fusci, pilis adpressis hirsutissimi, juniores septulis 5—7 transversis intercepti, seniores septulis evanidis 1-loculati, extus pseudoarticulati, 6—8-spermi, membranacei, margine superiore recti, inferiore crenato-sinuati, toti dehiscentes, intus hepatici, lucidi et septorum rudimenta alba gerentes; *semina* compressa, nephroidea, lurida, livida, lucida, striis badiis parvis notata.

β. *violacea* Hsskl. differt a varietate priore foliorum summorum, minus rotundatis (an semper?) foliolis stipulis sanguineis ad basin, calyce laete sanguineo, vexillo et alis violaceis carina sublilacina; bracteis acutis nec acuminatis, alabastris rotundatis! — Nomen sundense varietatis utriusque: *Póttong kúdjang*.

286. FLEMINGIA STRICTA Rxb.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6697. Msn. Gen. 94. Comm. 66. 259 add. 351.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 351. 1. Wght. et Arn. Prdr. I. 241. 739, Wlp. Rprt. I. 790. 1; quae differt foliolis late lanceolatis, glabris, racemis *solitariis*. — *F. congesta* Hsskl. Catal. 1257. 2. Legum. 27, nec Rxb. Wght. et Arn. Prdr. I. 241. 740. Wlp. Rprt. I. 791. 2; quae differt: caule suberecto, foliolis subtus pubescentibus, petiolo subtereti, stipulis petiolo 5—6-ies brevioribus, racemis aggregatis. —

An *Rhynchosia crotalarioides* DC. Prdr. II. 387. 32. (Wld. Sp. pl. III. 982. 27), quam W. et A. synonymam *F. congestae* R. habent, diversa species, nostris speciminibus magnopere affinis, an omnes haecce *Fl. stricta, crotalarioides* et *congesta* in unam conjungendae erint? nam racemi nunc solitarii, nunc ima basi ramosi et pseudo-aggregati; petiolus nunc nudus subteres, nunc subtrigono-angulatus, nunc breviter canaliculatus! — et tum sub nomine *Flemingiae macrophyllae* Hsskl. (*Crotalaria* Wld. Sp. pl. III. 982) esset salutanda!

Descrpt. Herba frutescens; *caules* plures stricti teretes, 6—8 ped. alti; *ramuli* crassi, angulati, subtrigoni, cum stipulis, petiolis foliorumque nervis subtus pariter ac tota inflorescentia aureo-, adpresseque villosi, nitidissimi; *stipulae* binae, oblongo-lanceolatae, acuminatissimae, 2,5—3,0 poll. longae, 0,5 poll. latae, deciduae; petioli subtrigono-angulati, 2—3 poll. longi, superiores teretiusculi; *foliola* petiolulo brevi suffulta, lateralia inaequilatera, sub-3-nervia, terminale 3-nervium, ovato- s. oblongo-lanceolatum, supra pilis minutis distantibus albidis tecta, utrinque minutissime rubro- (in siccis nigro-?) punctata, 7—9 poll. longa, 3—4 poll. lata; *racemi* axillares nunc simplices solitarii, nunc ima basi ramosi et inde racemos congestos fingentes; *bracteae* ovato-lanceolatae, acuminatae, deciduae; *flores* in rhachide angulata solitarii sessiles patentes; *calycis* laciniae subulato-acuminatae, binae superiores ad apicem fere connatae, inferior longior, pariter ac bracteae, rhachis et pedicelli sericeo-aureae, nitidissimae; *vexillum* obovatum, patens, viride e macula purpurea basali purpureo-venoso-striatum; *alae* roseae s. laete purpureae, vexillo dimidio breviores spathulatae, supra unguem carinae adglutinatae; *carina* sordide viridi-sanguinea, basi ad medium fere bipartita (dipus) genitalia fovens; *stamina* 2-adelpha; *germen* sessile ovatum sericeum; *stylus* longus capillaris; *stigma* ciliolatum; *fructus* oblongi, basi calyce persistente cincti, apice rudimento styli mucronati, 0,3—0,4 poll. longi, sericei, dein glabri, turgidi, 2-valves, 2-spermi; *semina* sphaerica; cotyledones hemisphaericae; *radicula* paullo curvata, prominula; *gemmula* canaliculo longo curvato diphylla, inter cotyledones occulta. — Nomen sundense: *Tagôgak*.

287. FLEMINGIA LINEATA Rxb.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6697, sed vexilli margo haud inflexus, stylus medio incrassatus!

Char. Subgen. cf, Endl. l. c. Bracteae sub paniculae ramis floribusque 3-nae, intermedia foliaris, laterales angustiores stipulares, vexillum ungue angulo recto laminae inserta, ad insertionem tumidulum.

Char. Spec. cf. Hsskl. Pap. 30. DC. Prdr. II. 351. 5. Wght. et Arn. Prdr I. 242. 744. Wld. Sp. pl. III. 1179. 22. Brm. Ind. 167 t. 53. 1, racemi autem nec penduli uti Linn. cit. apud Wld. l. c., nec floribus pendulis, uti Burm. l. c. dixit, sed paniculati patentes evadunt, floribus patentibus; stipulae haud lanceolatae sed binae connatae, amplexicaules oblongae, apice 2-cuspidatae convolutae.

Descrpt. Fruticulus 2—3 ped. altus strictus gracilis; *rami* patentes et caules teretes inferne glabri superne minutissime sericei, summo apice triquetri, sericeo-argentei splendentes; *stipulae* per paria inter se ultra medium coalitae, lineari-lanceolatae, apice subulato-acuminatae, nunc oblongae, apice longiter 2-subulatae, caducae, nunc marcescentes, persistentes et dein in partes primarias dilabentes 0,25—0,4 poll. longae, singulae 0,05—0,08 poll. latae, extus argenteo-sericeae, intus glaberrimae; *petioli* erecti patentes s. patentissimi, semi-teretes subtus 4-sulcati, margine superiore subalati, apice foliola 3 gerentes nec stipellati, argenteo-sericei, 0,3—0,8 poll. longi, basi incrassati; *foliola* brevissime petiolulata, oblongo-cuneata, nunc obovato-cuneata, acutiuscula s. apice rotundata, basi attenuata, 3-nervia, nervis eorumque ramis divergentibus lineata, margine undulato-crispula, argenteo-sericeo-velutina, dein ± glabrata, terminale 0,6—2,5 poll. longum, 0,35—1,0 poll. latum, lateralia inaequilatera 0,4—2,0 poll. longa, 0,2—0,8 poll. lata; *racemi* paniculati, dichotomi, folio breviores aut vix longiores, basi nunc foliati, ramuli patentes bracteis ternis suffulti, pauciflori, una cum pedicellis et calyce minute glanduloso-pilosi, indeque visciduli; *bracteae* minutae, caducae, intermedia ovata, acuta, adpressa, laterales lineares, paullo longius persistentes, 0,1 poll. vix longae; ramuli secundiflori, flores 5—7 patentes secundi; *pedicelli* patentes, fructiferi reflexi, 0,1 poll. longi, teretiusculi virides; *calyx* basi laete viridis campanulatus, profunde 5-fidus 2-la-

biatae; *laciniae* tubo 3-plo majores, 0,15 poll. longae, fuscescentes, lineares acuminatae, 4 adscendentes vexillo per paria adpressae, infima carinam sustinens paullo longior; *vexillum* laciniis calycinis vix longius patens (nec margine involutum), ungui canaliculato sub angulo recto insertum et in loco insertionis vix tumidum, radiatim purpureo-striatum, margine albidum, diametro 0,2 poll.; *alae* carinae margini superiori supra basin adglutinatae, angusto-lineares subfalcatae, obtusae, purpureae, dein sanguineae, basi hamatae, ungui tenuissimo, albido, 0,05 poll. longo suffultae, cum ungue 0,2 poll. longae; *carina* basi unguibus binis albis tenuissimis, 0,05 longis suffulta, ibique bipartita viridis, apice sanguinea falcato-semi-orbicularis, diametro transversali 0,15 poll., verticali 0,08 poll., genitalia tota includens; *stamina* 2-adelpha $\frac{1}{9}$; filamentum vexillare basi crassum adscendens, dein geniculatum descendens et in filum, versus medium tubo stamineo adglutinatum, tenuissimum, album productum, 0,2 poll. longum; anthera terminalis oblonga minuta; tubus stamineus basi horizontalis latiusculus, dein descendens et versus apicem falcato-adscendens, attenuatus, albus, nitidulus, filamenta e tubo ad partem adscendentem libera subaequilonga, antherae oblongae parvae; *germen* breviter stipitatum, semi-orbiculare viride, pilis sericantibus adpressis hirsutum diametro 0,05 poll.; *gemmulae* 2; *stylus* tenuissimus albus curvato-adscendens medio geniculato-incrassatus et supra geniculum inferiore parte robustior, 0,2 poll. longus; stigma truncato-capitellatum, subciliatum; *fructus* in pedicello erecti, calyce marcescenti, persistenti suffulti, turgidi, ovales, subquadrati, hirsuto-puberuli, flavo-fusci, 2-spermi.

288. FLEMINGIA STROBILIFERA R. Br.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6697.c.

Char. Spec. cf. Wght et Arn. Prdr. I. 243. 745 et cit. Wlp. Rprt. I. 791. Ic. add. — Hsskl. Legum. 28. Catal. 1257. 7. *Hedys. racemosum* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 76. Brm. Thes. Zeyl. 54 forsan huc referenda species, sed flores purpurei, qui in nostra sunt viridi-flavescentes minuti! — Habitus *Dicermatis!* foliola 2—5 poll. longa,

1,5—3,0 poll. lata, mollia (nec supra glabra W. et A. l. c.) subtus glandulis minutis rubris obsita, ovata aut ovato-oblonga, obtusa aut acutiuscula, rarissime acuminata, basi rotundata aut cordata; racemi strobilacei 3—5 poll. longi; bracteae dein marcescentes persistentes.

α. *elatior* Hsskl. caule elato 6—7 ped. alto.

β. *humilis* Hsskl. caule humili 2 ped. alto.

Nomen sundense: *Hahapáän.*

289. MILLETIA SERICEA W. ET A.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6715. Wght. et Arn. Prdr. I. 263. LXI adn.

Char. Spec. cf. *Pongamia* Vnt. DC. Prdr. II. 416. 5; *P. volubilis* Zoll. et Mor. Vers. 3. (*Dalbergia purpurea* Zoll. Arch. III. 65) huc pertinet.

Descrpt. Frutex scandens; *rami* teretes, juniores rufo-tomentosi, una cum petiolis, foliolis juvenilibus et pedunculis plurimus rufo-puberulis; *folia* seniora supra glabra, subtus sericea; foliola 5-juga cum impari, oblonga, acutata, aut breviter acuminata, basi rotundata; *inflorescentia* racemoso-paniculata axillaris, folio longior, tota pubera; *calyx* puberulus cyathimorphus; dentes inferiores magis evoluti, floresque majores illis *Dalbergiae purpureae* Rnwdt.; *petala* rosea; *vexillum* reflexum, 2-unguioulatum et basi 2-partitum, imoque 2-appendiculatum; *carina* alas subaequans 2-petala, petalis inferne et superne vix connatis, medio latere utroque saccata; *stamina* 1-adelpha, filamentum vexillare tubo stamineo supra basin adnatum; *germen* gemmulis 4. Cf. *Semeionotis* Schtt. Msn. Gen. 95. Comm. 68. 288 sub *Triptolemea* Mrt. Endl. Gen. 6718. — Nomen sundense: *Túwa gátel.*

290. DALBERGIA ROSTRATA HSSKL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6717. Msn. Gen. 95. Comm. 67. 285.

Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 210. Wlp. Rprt. II. 903. 4. Hsskl. Leg. 38, an eadem ac *D. Sissoides* Grah. Wght. et Arn. Prdr. I. 265. 815? Wlp. Rprt. I. 799. 1? — *D. heterophylla* Wld. Sp. III, 901. 2. DC. Prdr. II. 417. 14 differt foliis ovatis, obtusis, ternis rarissime 5—septenis.

Descrpt. Frutex alte scandens; *rami* juniores glaberrimi, lucidi, atro-virides; seniores fulvo-cinnamomei, tuberculis conicis, densis obsiti; *petioli* glaberrimi, basi incras-

sati teretes 5,5—10,0 poll. longi; *foliola* 2-, rarissime 3-juga cum impari, accrescentia, inferiora subrotundo-ovata, summa elliptico-ovata, basi rotundata, apice acuminata s. plerumque rostrata, 4,0 — 7,5 poll. longa, 2,0 — 4,0 poll. lata, utrinque glaberrima coriacea. — Nomen sundense: *Túwa gátel.*

291. DALBERGIA ANGUSTIFOLIA Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Cat. 1265. 7. Diagn. nov. 211. Wlp. Rprt. II. 903. 5. Hsskl. Leg. 39 — magnopere affinis *D. congestae* Grah., quae differt autem foliolis cuneato-ovalibus emarginatis! Wght. et Arn. Prdr. I. 265. 816. Wlp. Rprt. I. 799. 2.

Descrpt. Frutex scandens; *rami* juniores et seniores pubescentes mollissimi; *stipulae* ovato-lanceolatae, ima basi connatae, erectae, adpressae, 0,2 poll. longae, marcescentes, persistentes; *petioli* 3,5—6,5 poll. longi, basi incrassati, subteretes supra canaliculati, molliter pilis bombacinis pubescentes; *foliola* 3-juga cum impari, accrescentia, opposite disposita, 2,5—6,5 poll. longa, 1,0—2,2 poll. lata, acumine obtusiusculo, basi rotundata, supra viridia, opaca, subtus glauca in nervis pubescentia in ramificatione reticulata, venarum tenuissime sericea. — Nomen sundense: *Túwa lálür.*

292. DALBERGIA PURPUREA Rnwdt.

Char. Spec. cf. Bl. Cat. 90. Hsskl. Diagn. nov. 212. Wlp. Rprt. II. 903. 6. Hsskl. Leg. 40. Cat. 1265. 10 — an *Dalb. purpurea* Wll. Steud. Nom. ed. II huj. loci?

Descrpt. Frutex scandens; *rami* mammillato-tuberculosi, juniores glaberrimi, purpurei cum petiolis gemmisque pilis aureo-splendentibus tecti, seniores violaceo-atro-purpurei, dein longitudinaliter rimosi , petioli 4—9,5 poll. longi, basi incrassati a latere compressi, inde supra canaliculati subtus rotundati; *foliola* breviter petiolulata, 3—4-juga cum impari, glaberrima, lucida supra sublucida, subtus subglaucescentia, pilis minutissimis, aureis, adpressis, inferiora ovata, superiora elliptico-oblonga s. oblonga, basi rotundata, acuminata 2,5—9,5 poll. longa, 1—4 poll. poll. lata; *inflorescentia* race-

moso-paniculata sublateralis, petiolo brevior, tota glaberrima; *calyx* sanguineus obsolete 2-labiatus; labium superius brevius truncatum, inferius obsolete 3-dentatum; *vexillum* reflexum, basi inappendiculatum, una cum alis et carina roseum viridi-maculatum; *carina* et *alae Milletiae sericeae.* — Nomen sundense: *Túwa djèno.*

293. DALBERGIA BLUMEI Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1265. 17. *D. multijuga* Zoll. et Mor. Verz. 2.

Diagn. Frutex scandens foliolis 8—9-jugis, oblongis, subovalibus utrinque adpresse pilosis, rhachide puberulo; fructibus oblongis, stipitatis, obtusis. — Maxime affinis *D. arboreae* Rxb. DC. Prdr. II. 417. 12, quae differt caule arboreo, foliolis 8—12-jugis ovalibus obtusis, subemarginatis, utrinque pubescentibus; nec autem *D. arboreae* Heyne in Rth. Wght. et Arn. Prdr. I. 266. 820 sub *D. frondosa* Rxb. Wlp. Rprt. 799. 3, ubi idem cit. DC., quae differt foliolis circiter 5-jugis cuneato-ovalibus, leguminibusque lanceolatis! — Nomen sundense: *A'roy tjetjeréa* s. *Hássamároy* i. e. Tamarindus scandens.

294. CAESALPINA (SAPPANIA) FEROX Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6765. Msn. Gen. 90. Comm. 70. 357.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1272. 7. Diagn. 213. Wlp. Rprt. I. 810. 2, diagnosi addenda haecce: frutex scandens armatus, aculeis rectis, foliis bipinnatis, pinnis 8—12-jugis, foliolis 8—13-jugis. — Hsskl. Legum. 44. — cf. Lam. Ill. t. 333. 335. DC. Prdr. II. 482. 6. 7. 8. Rheed. Mal. VI t. 2 et 8. Wght. et Arn. Prdr. I. 281. 870. 3. Wlp. Rprt. I. 810. 1. — *C. Sappan* differt: foliolis inaequilateris, oblique ovali-oblongis, apice emarginatis, petiolis ramulisque inermibus, stylo brevi. — *C. digyna* Rottl. differt: foliolis lineari-oblongis, floribus saepe digynis, fructibus 1—2, mucrone incurvo, pedicellis gracilibus; — *C. mimosoides* Lam. dein racemis hispidis, fructibus oligospermis lanatis (lanuginosis) DC., paullo pilosis W. et A. Haecce species maxime affinis habenda. Icon citata Rheedii (VI. 8) refert flores axillares aut extraaxillares solitarios, partes florales autem haud sunt distinguendae; Lam. ill. t. 355. 2 habet racemum hispidum, filamenta filiformia patentia vix pilosa, fructus deest. *C. Sepiaria* Rxb., cui Zoll. adscribit nostram, differt: foliolis lineari-oblongis, petiolis pubescentibus racemis axillaribus calycis laciniis mox reflexis, fructibus lineari-oblongis! — cf. Zoll. Arch. III. 67.

Descrpt. Caulis fruticosus alte scandens, aculeis crebris, validis, rectis, subinflexis armatus; *rami* teretes crassi,

tubo medullari valido, rore puberulo glauco obtecti; folia maxima bipinnata; *petioli* ad 20 poll. longi, rubentes glabri, subtus aculeis reflexis, hamatis, supra inter aculeis, rectis aut inflexis obsiti; *foliola* 8—12-juga; petioli secundarii 2—3 poll. longi, inermes teretes graciles; *foliola* 8—13-juga, ovali-oblonga, obtusa; *racemi* terminales elongati, 10—13 poll. longi, erecti, basi armati; *pedunculi* bracteola brevi suffulti, erecto-patentes, 1 poll. longi, teretes, puberuli, articulatim inserti, inermes; *flores* pedunculis articulatim inserti ibique geniculati et inde nutantes; *calycis* tubus basi attenuatus persistens cupulam referens; limbus petaloideus lutescens, deciduus, 5-partitus, glaber; laciniae inaequales, infima major subfornicata, reliquae ovato-oblongae, ante anthesin una cum petalis imbricatae; *petala* 5 unguiculata inaequalia, superius minus medio complicatum, apice vexillum quasi minutum referens, reliqua subrotundo-cuneata, omnia in anthesi plus minus patentia sulfurea; *stamina* 10 fertilia, germen arcte cingentia, calycis fundo inserta; *filamenta* basi dilatata, apice subuliformia, rubentia, infra apicem sublanata; *antherae* ovato-oblongae, loculi basi distantes, supra basin dorso affixae, erectae, loculi rima longitudinali dehiscentes; *germen* ovato-oblongum, complanatum, viride glauco-tomentosum; stylus germine longior, pollicem vix attingens; stigma infundibuliforme; *fructus* oblongo-ovati, compressi, glabri, lignosi, 2—3 poll. longi, vix 1,0 poll. lati, stylo vegeto persistente subulati, 6—8-spermi; sutura superior recta, inferior curvata, convexa; *semina* oviformia, glaberrima, suturae superiori adfixa, dissepimentis transversalibus nullis inter se sejuncta; integumenta inter se arcte juncta, exterius castaneo-brunneo-marmoratum, intermedium crassissimum; nucleus exalbuminosus; *embryo* semen implens; cotyledones binae maximae, extus croceae, intus flavicantes; radicula recta, basi vix prominula, conica, obtusiuscula, albido-flavescens; gemmula ad 0,25 poll. longa, conica, basi crassiuscula in canaliculis medianis cotyledonum recepta, foliolis alternis petiolulatis, la-

mina dentata complicata. — Nomen sundense: *Setjàng lúmbut.* — E Promontorio B. Spei allata dicitur!

295. CASSIA (FISTULA) FISTULA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6781.[a] Msn. Gen. 100. Comm. 71. 368 et 370 add. 353.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 490. 10. Vogel. Cass. 11. 3. Wlp. Rprt. I. 812. 3. Wght. et Arn. Prdr. I. 285. 885. Hsskl. Leg. 49.

Descrpt. Arbor vasta; *petioli* 6,0—7,5 poll. longi; *foliola* petiolulo 0,3 poll. longo suffulta, alterna aut subopposita, ovata aut ovato-subrotunda; obtusa vix acutiuscula saepe retusa, basi acuta, 4—5 poll. longa, 3,0—3,5 poll. lata, glaberrima, subcoriacea; *racemi* laterales (axillares Vogl. terminales W. et A.) bini ternive 6—12 poll. longi, laxi ebracteati; *pedunculi* 2 poll. longi, patentissimi; *petala* maxima 1 poll. longa, 0,7 poll. lata, citrino-aurantiaca; fructus 21,5 poll. longi, 0,8—0,9 poll. crassi, sulcis haud elevatis notati; *semina* 80—90. — Nomen malaicum ac sundense: *Tanggùli.*

296. CASSIA (FISTULA) MARGINATA Rxb.

Char. Spec. cf. Vogl. Cass. 13. 12. Wlp. Rprt. I. 813. 12. *Cassia Roxburghii* DC. Prdr. II. 489. 5. Wght. et Arn. Prdr. I. 286. 886. *Cass. javanica* Hsskl. (nec L.) Catal. 1278. 3. Legum. 50.

Descrpt. *Foliola* ovali-oblonga, obtusa, subemarginata, inaequilatera, dein glabra (pubescentia Vog.); caulis, petioli et foliolorum nervi medii subvelutini; *petioli* 12—15 poll. longi; foliola 0,8—2,0 poll. longa, 0,6—0,8 poll. lata; *fructus* 21—28 poll. longi, 0,7 poll. crassi; pulpa in peripheria viridis, caeterum albido-flavescens (nec rubicunda!); *semina* 80—105, altero latere plus minus convexa, altero planiuscula ibidem linea depressa notata, fulvo-badia; *albumen* cartilagineum (nec carnosum! Grtn. frct. II. 313 (nec I. 318. DC. Prdr. II. 489. 8. Wlp. Rprt. I. 813. 11.) — Nomen sundense: *Búngbung dálang.*

297. CASSIA (CHAMAEFISTULA) INDECORA H. B. K.

Char. Spec. cf. Vogel. Cass. 18. 30. Linn. XI. 663. 30. Wlp. Rprt. I. 815. 33. — Var. nostra *C. Reinwardtii* Hrt. Bog. Hsskl. Decad. 10. (a clss. Wlp. Rprt. l. c. cf. Zoll. Arch. III. 68. 4 et Mor. Verz. 1 ad varietatem γ. *C. pendulam* Wild. ducta) Diagn. nov. 214. Catal. 1278. 4. Wlp. Rprt. V. 559. 1 differt: ramulis puberulis dein glabriusculis, foliolis oblique obovatis obtusiusculis, inferioribus oblique subrotundis, obtusis, emarginatis, subtus glaucescentibus, tomento tenuissimo, glandula globosa (nec tereti) inter par infimum, fructu puberulo, dein nitidissimo et glabrato. Magna affinitas adest quoad folia et habitum ad *C. bicapsularem* L. cf. Vogel. Cass. 18. 28. Linn. XI. 663. 28. Wlp. Rprt. I. 815. 33. Wght. et Arn. Prdr. I. 286. 388, ni fructus dissepimento longitudinali esset destitutus; — an *C. glanduliflora* Rnwdt. Bl. Cat. 68. *C. glandulifera* Steud. Nom. bot. ed. II hujus loci?

Descript. Frutex erectus ramosissimus, floribus aureis saepe totus obtectus! pulcherrimus (inde nomen haud conforme naturae!); *rami* divaricati teretes; *ramuli* puberuli dein glabriusculi; *folia* alterna pinnata; *petioli* canaliculati, 1,5—3,0 poll. longi, basi tumescentes, articulati, inter foliolorum par infimum glandula globosa, brunnea laevi hinc inde et altera inter par sequens praediti; *foliola* 3—4-juga, infima minora subrotundo-obliqua, apice obtuse emarginata, 0,7 poll. longa, 0,6 poll. lata, summa oblique obovata, apice obtusiuscula nunc mucronulata, reliqua inter formam et magnitudinem utramque intermedia; omnia breviter petiolulata, supra atroviridia, opaca, nervis laetioribus notata, subtus subglaucescentia, tomento tenuissimo tecta, nervis glabris, margine lutescentia; racemi cymosi; *pedunculi* axillares folio longiores 2,0—2,5 poll. longi, (folia floralia 1,5 poll. longa!) teretes glabri 6—15-flori; pedicelli 0,7—1,0 poll. longi, lutescentes articulati, patentes aut erecti; *calyx* coloratus 5-phyllus; foliola coalita, inaequalia, bina superiora majora, bina 6-lateralia minora, 5-tum inferius, omnia obovata, concava, dein reflexa, re- et in-voluta; *corolla* 5-petala; petala cum sepalis alternantia, lutea, inaequalia, calycem longe superantia 0,7 poll. longa, obovata, bina inferiora angustiora, superius solitarium apice cordatum; *stamina* 10 inaequalia, 3 superiora, brevissima, sterilia, patentia; filamenta brevia, connectivum

securidiforme membranaceum, ad marginem rudimento antherae limbatum; 4 sequentia majora, filamenta brevia, antherae polline luteo plenae 2-loculatae, loculis conjunctis, parallelis, basi divergentibus, articulatim affixae, terminales obliquae immobiles, filamento longiores, oblongae basi sagittatae, tubulosae, infra apicem coarctatae, luteae, linea laterali brunneae, notatae, apice poris 2 dehiscentes; 2 sequentia longissima; filamenta longissima, flexuosa; antherae majores curvatae, caeterum antecedentibus aequales; 1 infimum brevius sed prioribus 4 fertilibus longius; filamentum adscendens, longitudine filamentorum 4 fertilium; antherae longitudine binarum grandium; *germen* unicum stipite suffultum, adscendens flexuosum, teretiusculum, elongatum, puberulum, sutura inferiore glabra; stylus curvatus, longitudine antherarum maximarum; stigma punctiforme introrsum terminale; pedunculi fructiferi nutantes; *fructus* stipite brevi conico suffulti, 6—9 poll. longi; basi nunc submoniliformes, teretes transverse septati, pulpa subnulla impleti, hinc articulato-nodosi, flexuosi, torti, puberuli, opaci, dein glaberrimi, nitidissimi, postremo emarcidi, bisuturales, nec dehiscentes, exsucci, suberosi inanes polyspermi; *semina* 60—75, suturae utrique alternatim inserta, horizontalia, compressa, ovata, nigrescentia, splendidissima; integumentum externum lignosum, crassum, internum membranaceum, tenuissimum; hilus basalis concavus; nucleus (albumine evanido) exalbuminosus; *embryo* longitudinalis, erectus, rectus, hamoideus; cotyledones maximae, contiguae, complanatae, ovatae, integerrimae, foliaceae, conglutinatae; radicula infera brevis prominula, subgloboso-conica, obtusa; gemmula inconspicua. — Nomen sundense: *Katépeng bádak*, i. e. Cassia grandis.

298. CASSIA (CHAMAEFISTULA) ALATA L.

Char. Spec. cf. Vogel. Cass. 21. 36. Wlp. Rprt. I. 816. 38. Wght. et Arn. Prdr. I. 287. 890. Hsskl. Leg. 53. — DC. Prdr. II. 492. 32 false racemos breves paucifloros laudat, quos Rumphius jam (Amb. VII p. 35) ultra ulnam longos et ultra medium floribus ornatos di-

xit, (icon racemi Rmph. l. c. t. 18 mala) — descriptio reliqua Rmph. l. c. optima!

Descrpt. Petioli in ramo florifero! 12—16 poll. longi, *foliola* 1,5—5,0 poll. longa, 0,85—3,0 poll. lata; *pedunculus* florifer 12—18 poll., fructifer 30—36 poll. longus, erectus teres et hic ultra 100—140 cicatrices florum delapsorum gerens; *florum* alabastra ante anthesin bracteis imbricatim tecta; *bracteae* extus minutissime puberulae, ochraceae, oblongae aut obovato-oblongae, concavae, obtusae, 1—1,5 poll. longae, 0,7 poll. latae; *calycis limbus* 5-partitus dein reflexus; lacinia superior major, ochracea, membranacea; *petala* aurea, concava, subconniventia, dichotome nervosa, 0,8 poll. longa, 0,6 poll. lata; *antherae* binae crassissimae; *semina* obcordato-subtriangularia, complanata, laevissima, horizontalia. — cf. Vogel. Cass. 45. 151. Linn. XI. 685. 151. Wlp. Rprt. I. 826. 153. — Nomen sundense: *Kimanílla*, i. e. Lignum (frutex) e Manilla allatum! s. *Katépeng bádak*, i. e. Cassia grandis.

299. CASSIA OCCIDENTALIS L. γ. ARISTATA DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6781. b. δ. Msn. Gen. 100. Comm. 71. 368.

Char. Spec. cf. Vogel. Cass. 21. 37. Linn. XI. 666. 37. Wght. et Arn. Prdr. I. 290, 899. Wlp. Rprt. I. 816. 39 ex parte excl. α. *Sopherae* Vogel. l. c. 20. 34. DC. Prdr. II. 497. 92. — Rmph. amb. V. 283 *Gallinaria acutifolia* secundum descriptionem huc referri potest, nec autem secundum iconem t. 97. 1, cum descriptione haud congruentem. — cf. Hsskl. Leg. 52. Cat. 1278. 5.

Descrpt. Fruticuli (nec herbae!) 3—6 ped. alti, erecti, ramosi; *rami* basi lignosi, subteretes versus apicem herbacei, plus minus (5-) angulati, glabriusculi virides, livido-sanguinei; *petioli* erecto-patentes, glabri subteretes, supra canaliculati, 2—6 poll. longi, basi tumidi, supra basin glandula sessili, hemisphaerica, lucida, atro-sanguinea obsessi; *stipulae* e basi lata attenuatae, acuminatae, longe persistentes, patentes; *foliola* 2—5-juga, inferiora minora ovalia s. ovata, acuta, 1,2—1,5 poll. longa, 0,6—0,8 poll. lata, summa oblongo-lanceolata, acuminata, 2—4 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata; terminale impare ad mucronem filiformem 0,1 poll. longum,

reductum; omnia basi subinaequalia, glabriuscula, juvenilia, subtus punctulis (gummosis?) adspersa, margine scabrato-ciliata, opaca, melina, nervo medio subtus in juvenilibus saepe rubenti; *racemi* ad apicem ramorum axillares brevissimi, superiores defectu aut abortu foliorum subpaniculati; *pedunculi* communes 0,2—0,3 poll. longi, 2—3-flori; *pedicelli* 0,5 poll. longi, erecti, apice cernui, subteretes puberuli, fructigeri incrassati, firmi, stricti patentes; *bracteae* ad basin pedicellorum gemmas floris foventes, oblongo-lanceolatae, acuminatae, 0,5 poll. longae, 0,15 poll. latae, sanguineis striis, minutis, crebris obsessae, deciduae; *gemmae* floriferae a latere compressae ovales nutantes; *sepala* glabra, concava, interiora 2 majora, margine corollina, obtusa, caetera acutiuscula; *petalum* vexillare maximum, diam. 0,7—0,5 poll., obovato-subrotundum, *lateralia* obovata 0,60—0,35 poll.; *carinalia* obovato-cuneata, angustiora 0,6—0,25 poll., omnia aurantiaco-gilva; *stamina* 3 superiora et 1 infimum carinale abortiva difformia, 4 intermedia subaequalia, abortivis majora ac crassiora, *bina* inferiora, multo robustiora, *antheris*, filamentis crassis, cerinis, sigmoideis suffultis, longioribus curvatis; 6 intermediis apice biporosis; *stigma* internum, in peripheria ciliolatum; *fructus* juveniles subfalcati valde compressi, 4,5 poll. longi, 0,3 poll. lati, 0,05 poll. crassi, puberuli, suturis viridibus crassiusculis, medio sanguinei, *seminibus* septulis incumbentibus, omnibus horizontalibus; *seniores* compressiusculi valvulis convexis subtorulosis, margine calloso vix prominulo; *maturi* coriaceo-membranacei, flavo-fusci, suberecti, dehiscentes, nec valvatim patentes sed solummodo hiantes, septulis tenerrimis, nec evanidis, pulpa nulla; *semina* lucida, flavo-badia, obovato-compressa. — Habitant in pratis locisque incultis prope *Bataviam* ubique mensibus Januario ad Martium et forsan per totum annum flores fructusque gerentes. — 1846.

300. CASSIA (CHAMAESENNA) GLAUCA LAM.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 289. 895. Vogel. Cass. 26. 56. Wlp. Rprt. I. 818. 60. — *C. sulfurea* DC. Hsskl. Leg. 54. Zoll. et

Mor. Verz. 1. Rmph. amb. IV. 63 t. 23, a W. et A. l. c. dubiose huc citata, certe huc pertinet, descriptio autem ac icon fructus malae, „fructus 6—7 poll. longi et *pollicem lati!*"

Descrpt. Frutex arboreus; *rami* teretes cinereo-nigrescentes; ramuli obsolete angulati, virides subpuberuli; *stipulae* erectae, 0,5—0,6 poll. longae; *petioli* 4,5—6,0 poll. longi, apice mucrone obsoleto praediti; glandulae virides, demum brunneae; *foliola* breviter petiolulata, apice nunc obsolete emarginata, 2,0—4,0 poll. longa, 1,2—2,3 poll. lata, extrema majora; *racemi* axillares, foliis minores, 3—4 poll. longi, suberecti; *pedunculi* 1,0—1,3 poll. longi, sulcati patentes, basi biglandulosi; *bractea* ovato-lanceolata, minuta viridis, decidua; *calyx* 5-phyllus; foliola bina externa minima, tria interna maxima, omnia ovata, concava, viridi-lutescentia, patentia, persistentia; *petala* 5 ovata aut ovato-oblonga, sulfurea, bina inferiora naviculari-concava; *stamina* 10, quorum bina inferiora longiora, patentia, reliqua erecto-conniventia; filamenta brevia, basi incrassata, apice attenuata; *antherae* erectae, terminales oblongae, immobiles strictae, 2-loculatae; loculi conjuncti, apice poro dehiscentes; *germen* stipite declinato suffultum, curvatum, compressum lineare; stylus curvatus adscendens compressus; stigma minutum introrsum; *fructus* stipite 0,5 poll. longo suffulti, penduli, 5—7 poll. longi, 0,3—0,4 poll. lati, primo virides, dein nigrescentes, glabri, septati, marcescendo fragiles 2-valves; *semina* glabra, epulposa, oblonga, 0,25 poll. longa, 0,15 poll. lata, compressa. — Nomen sundense: *Katépeng bádak.*

301. CASSIA (CHAMAESENNA) TIMORIENSIS DC.

Char. Spec. cf. Vogel. Cass. 35. 100. Wlp. Rprt. I. 822. 104. Hsskl. Leg. 55.

Descrpt. Arbor alta; *rami* teretes; ramuli subangulati cum petiolis et pedunculis puberuli; *stipulae* e basi dilatata, semi-sagittata, falcato-acuminatae; *petiolus* 7—12 poll. longus, basi tumidus eglandulosus, supra interrupte canaliculatus; *foliola* 12—17-juga, ovali-oblonga s. oblonga, bre-

viter petiolulata, opposita, 1,0—2,2 poll. longa, 0,5—0,7 poll. lata, obtusa, apice setoso-muricata, supra glabra, juniora pilis minutissimis, adpressis obsita, supra atro-viridia, subtus glaucescentia, minute adpresseque pubescentia; *racemi* axillares aut lapsu foliorum paniculati, folio dimidio breviores multiflori; *pedunculi* 1,0—1,5 poll. longi, ante anthesin penduli, dein erecto-patentes, fructigeri patentes; *calycis* foliola 5 obtusa, inaequalia; *stamina* 10, 3 minuta abortiva superiora, 4 mediocria intermedia, 2 inferiora antheris longioribus, infimum decimum intermediis subaequale; filamenta fertilium aequalia crassa; antherae flavo-fuscae, apice subincurvae, biporosae; *germen* laevissimum planum lineare; stylus curvatus, falcatus; fructus immaturi, lineari-oblongi virides, marginibus sanguineis, 10—15-spermi, apice rostrati, dein toti atro-sanguinei, maturi badii bivalves; valvae longe persistentes intus costis (septorum rudimentis) elevatis notatae membranaceae; *semina* complanata, obovata, basi attenuata, funiculo umbilicali flexuoso, longo insidentia, splendentia, impressione oblonga, pallidiore longitudinali notata. — Nomen sundense: *Haríngin*.

302. SARACA INDICA L.

Char. Gen. cf. Linn. Mant. I p. 13 (anno 1767 promulgatae. Richt. Codex p. 682) *Jonesia* Rxb. (1795.) Endl. Gen. 6795. — *Celebnia* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 65.

Char. Spec. cf. Richt. Cod. Linn. l. c. 5117. *S. arborescens* Brm. Ind. 85 t. 25. 2. Hsskl. Catal. 1284. 1. *J. Asoca* Rxb. DC. Prdr. II. 487. Wght. et Arn. Prdr. I. 284. 881. Hsskl. Leg. 47. Wlp. Rprt. I. 844. II. 904.

Descript. Arbor humilis dense ramosa; *rami* patentes crassi teretes verrucosi; *foliola* rigida, supra nitida, utrinque glaberrima, integerrima, 3—9 poll. longa, 1,0—2,25 poll. lata, inferiora majora; *racemi* corymbosi, dichotomi terminales aut rarius axillares; pedicelli brevissimi, *bracteola* minuta suffulti; bracteae 2 ad basin calycis conniventes aurantiacae; *calyx* hypocraterimorphus primo aurantiacus, dein coccineus; tubus longus cylindricus, limbi lobi obovati; faux annulo calloso clausa; fructus 2,5—4,0 poll. longi, 1,0—1,5 poll. lati, 1,0 poll. fere crassi, compresso-teretes, in suturis callosis

dehiscentes 1—4-spermi; *semina* maxima irregularia, in fructibus monospermis oblonga, utrinque obtusiuscula, in 2—4—an pleio-spermis *semina* omnia simul sumpta eandem, sed elongatam praebent formam ac semina in fructibus monospermis et singulas ejusdem partes quasi representant abscissas, ita ut mediana cylindrica utrinque oblique truncata reperiatur; integumentum secedens chartaceum; *embryo* exalbuminosus; *cotyledones* crassissimae, corneae, valvis leguminis parallelae, cauliculum et radiculam omnino ad basin includentes. — Nomen sundense: *Kembàng dédesh.*

303. BAUHINIA (PAULETIA?) VARIEGATA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6790.a.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 514. 25. Wght. et Arn. Prdr. I. 296. 913. *a. purpurea* Wll. Wlp. Rprt. I. 847. 6. Hsskl. Leg. 59.

Descrpt. Arbor mediocris pulcherrima inermis; *foliola* ovalia, obtusa, ultra medium coalita et inde folium sistentia basi plus minus cordatum subreniforme glaucescens; *racemi* terminales (nec axillares W. et A. Sprg.!); *calycis* (nec spathacei W. et A.) tubus elongatus, crassisimus, 2 poll. fere longus, extus sulcatus, tortus; limbus spathaceus, apice 5-dentatus; *petala* calycis fauci inserta grandia, roseo-purpurea, superius subsolitarium, ovato-spathulatum, apice acutum, bina lateralia latiora, bina inferiora subrotunda, basi unguiculato-attenuata, media parte kermesina et purpurea, basi albida; *stamina* 10, filamenta 5 fertilia arcuata, petalis alterna, 5 sterilia petalis opposita, rudimentaria, minuta, subuliformia, una cum fertilibus tubo calycino adnata, a fauce libera; *germen* stipite longissimo 2—3 poll. longo, tubo calycino adnato, dein libero suffultum, oblongum, arcuatum, compressum, in latere utroque sulcatum, puberulum, in stylum sensim transiens; stigma peltatum, planum, puberulum. — Nomen sundense: *Táli kándjo bürüm.*

304. BAUHINIA (PAULETIA) TOMENTOSA L.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 514. 27. Wld. Sp. pl. II. 511. 12. Wght. et Arn. Prdr. I. 295. 911. Hsskl. Leg. 62. Brm. Thes. Zeyl. 45 t. 18 plane quadrat.

Descrpt. Frutex patenti-ramosus inermis; *rami* juveniles subangulati tomentosi, nunc virides, nunc rubri, seniores teretes subflexuosi, glabri virides, dein brunnei; *petioli* subtriquetri, biarticulati, tomentosi; *folia* basi *subpeltata* rotundata aut subcordata; *foliola* ovata, obtusa, 4-nervia, ultra medium connata, in angulo loborum lacinula minima rudimentaria, acuminata praedita, integerrima, subtus glaucescentia (nec albescentia), pubescentia; *stipulae* subulatae, ramo adpressae, deciduae; *pedunculi* 1—3-flori, oppositi folii, breves; *bracteae* ad basin floris 3 subulatae (folium florale rudimentarium cum stipulis binis); *calycis* limbus spathaceus ante anthesin conicus, subulatus, apice 5-dentatus, in anthesi lateraliter rumpens, laciniis basi dein liberis, apice connatis, reflexis, cucullatim persistens; *petala* 5 fauci calycis inserta, obovata, concava, (nec uti Brm. ic. patentia) convoluta, magna, tenuissima, flaccida, pallide sulfurea; *stamina* 10 fertilia; filamenta alba, basi in tubum connata, calycis fauci inserta, 5 longiora, apice subuliformia; *antherae* erectae, introrsae, supra basin dorso affixae, biloculatae; loculi longitudinaliter rima dehiscentes; *germen* stipite filiformi libero suffultum, compressum, lineare tomentosum; stylus crassus, flexuosus viridis, 1,3 poll. longus; stigma peltatum, capitatum, papillatum; *fructus* stipite suffulti, basi attenuati, compressi, acuminati, in satura vexillari bicarinati, tomentosi, dein glabri, 3—5 poll. longi, septati, septis dein evanidis, 2-valves, 8—9-spermi; *semina* albuminosa (s. exalbuminosa, integumento interno tumido); *albumen* corneum, cotyledones crassitie superans periphericum. — Nomen sundense: *Táli kándjo.*

305. BAUHINIA (SYMPHOPODA) CORYMBOSA Rxb.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. II. 515. 37. Hsskl. Leg. 60 — an *B. hirsuta* Rnwdt. Bl. Cat. 68 (nec Krthls. Wlp. Rprt. I. 852. 75) hujus loci?

Magnopere affinis videtur *B. ferruginea* Rxb. Wlp. Rprt. I. 850. 49 et *B. fulva* Bl. l. c. 50, opere autem ibique citato clssi. Krthls. mihi deficiente, certius facere aliquid nequeo. An nostra forsan eadem ac *B. Vahlii* W. et A. (*racemosa* Vhl. DC. l. c. 33.) Prdr. I. 297. 916. Wlp. Rprt. I. 850. 45?, cujus diagnosis fusior plane nostram quadrat, excepto fructu lineari 8—12-spermo, qui in nostra oblongus s. obl.-lanceolatus, 3—4-spermus evadit.

Descrpt. Frutex alte scandens; *rami* teretiusculi, subglabri; *ramuli* subtetragoni, ad angulos cum petiolis, cirrhorum pagina superiore; foliorum nervis et pedunculo communi cupreo-tomentosi, caeterum laete virides et albido-verrucoso-punctati; *petioli* teretes utrinque incrassati; folia basi profunde cordata; *foliola* semi-ovalia, obtusa, parallela paullo supra medium connata, 3—7 poll. longa, 2,0—4,0 poll. lata, 3—5-nervia, supra viridia, lucida, subtus rufo-, aut cupreo-villosa; nervi foliorum supra paullo tomentosi, subtus cum ramificationibus minimis subvillosis; *cirrhi* axillares rigidi patentes, subtus subglabri viridiusculi, supra cupreo-nitentes, apice longiter acuminati, spiraliter intorti; *racemi* terminales corymbosi; *bracteae* ovato-lanceolatae, acutae patentes minutae, caducae, extus tomentosae, intus (supra) glabriusculae; pedunculi 1,5—1,7 poll. longi, patentes subtetragoni, cum calyce virides et minutissime (nec cupreo-!) tomentosi; *calycis* tubus subcylindricus, striatus; limbus ante anthesin oviformis valvatus, dein spathaceus, bipartitus, reflexus, lacinia altera 1-, altera 2-suturata, laciniis primordialibus, dein basi sejunctis; *petala* albida, ungue erecto viridiusculo suffulta, patentia, obovata, margine subundulata, extus sericea, supra glabra, 1 poll. longa, 0,5 poll. lata; bina autem latiora; *stamina* una cum petalis calycis fauci inserta, 3 majora fertilia, petalis minora, 2 minuta castrata, subuliformia, caetera abortiva; filamenta fertilium basi incrassata, viridiuscula, apice subuliformia; antherae magnae coccineae, supra medium dorsum affixae, basi bifidae, primo erectae, dein pendulae, ovato-oblongae, lateraliter rima duplici dehiscentes; pollen aurantiacum; *germen* stipitatum, stipite calycis tubo adhaerenti, ovato-oblongum, nitens cupreo-villosum, apice oblique atte-

nuatum in stylum filiformem viridem; stigma capitatum viride viscosum, antheras attingens; *fructus* oblongi aut oblongo-lanceolati, basi breviter attenuato-stipitati, apice mucronati, 5,0—7,0 poll. longi, 1,75—2,25 poll. lati, densissime cupreo-tomentosi, sublignosi, 2-valves, 3—4-spermi; *semina* lenticularia, glaberrima (haud plane matura albumine crasso, subcoriaceo praedita!); *embryo* complanatus, cotyledones maximae virides 5-nerviae; radicula brevis crassa, versus hilum spectans, vix curvata. — Nomen sundense: *Aroy Kúpo-kúpo.*

306. CASPAREA CASTRATA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6791.

Char. Spec. cf. Hsskl. Cat. 1282. 1. Wlp. Rprt. V. 571. *Bauhinia* Hsskl. Diagn. nov. 215. Wlp. Rprt. II. 904. 1. Hsskl. Leg. 58. Zoll. et Mor. Zoll. Arch. III. 69. — *B. latifolia* Cav. DC. Prdr. II. 513. 9 magnopere affinis videtur, a qua differt nostra foliolis apice rotundatis, petalis obovato-cuneatis; specimen e Madras allatum, forsan hujus loci? ob calycem, pedicellos et germina pubentes!

Descrpt. Arbor alta; *rami* suberecti rimosi; *folia* magnitudine diversissima; *foliola* 3—4-nervia, 1,2—3,5 poll. longa, 1,0—2,3 poll. lata; *calycis* tubus cum tubo staminifero connatus; *petala* ad calycis faucem cum tubo staminifero inserta obovato-cuneata, albida, subundulata, calycis limbo vix longiora; *stamina* plerumque sterilia; filamenta connata, in tubum calycis tubo adnatum, apice tantum liberum et coronulam ciliato-villosam, 10-denticulatam referentia; antherae abortivae in apice denticuli cujusque terminales; *germen* oblongo-lineare compressum, sericeum, stylus crassus, stigma planum subbilobum, margine revoluto; gemmulae plurimae; *fructus* crassi, coriacei, nervoso-reticulati, elongato-oblongi, 8—11 poll. longi, 0,9 poll. lati, immaturi spongiosi, dein badii, septati, multi-locellati; septa 0,5 poll. lata; *semina* laevissima, lucida, straminea; *embryo* albuminosus; *albumen* diaphanum, subhyalinum, 2-partibile coriaceum; cotyledones ovales. — Nomen sundense: *Kundájakan.*

307. CYNOMETRA CAULIFLORA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6784. Msn. Gen. 98. Comm. 70. 344.

Char. Spec. cf. Wld. Sp. II. 539. Lam. Ill. t. 331. Wght. et Arn. Prdr. I. 293. 906. Hsskl. Leg. 56. — Rmph. amb. I. 163 t. 62, ubi descriptio optima! cui addam haecce pauca: *folia* juvenilia lateritia imoque rosea, dein supra atro-, subtus pallide viridia, coriacea, glaberrima, apice emarginata aut hinc inde bifida 2—4 poll. longa, 0,5—1,5 poll. lata; *florum* descriptio Garcini apud Rmph. l. c. bona cf. Endl. Gen. 6784, ubi antherae apice bifidae! quae autem supra medium affixae, a basi ad insertionem 2-partitae, incumbentes, extrorsae apice nutantes reperiuntur; *fructus* saepe una cum semine apice dehiscens et inde formam praebet, quae arbori huic nomen genericum dedit pariter ac malaicum, false a Wlldcn. Sp. l. c. germanice translatum. Embryo magnus; cotyledones crassissimae maximae peltatae; gemmula magna recta conica, radicula conica recta, versus hilum spectans.

α. *subsessilis* Hsskl. floribus omnibus subsessilibus (magis rubris) pelvem quasi formantibus, fructibus minus rugoso-impressis, minoribus.

β. *elongata* Hsskl. pedunculis elongatis, pollicem saepe superantibus (floribus pallidioribus subalbidis), fructu magis rugoso foveolato.

Varietates hae binae forsan nil nisi formae arboris juvenilis (β) et senilis (α). — Nomen malaicum: *Púkie ándjieng*, i. e. vulva canis s. *Námnam*.

MORINGEAE ENDL.

308. MORINGA PTERYGOSPERMA Grtn.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6811. Msn. Gen. 78. Comm. 56, *calycis* tubus cupuliformis obconicus, limbus coloratus; *petala* 4 superiora adscendenti-erecta, 5-tum infimum subhorizontale concavum.

Char. Spec. cf. Hsskl. Leg. 43. DC. Prdr. II. 478. 1. Wght. et Arn. Prdr. I. 178. 545. Wlp. Rprt. I. 856. 2. Rmph. amb. I. 184. t. 74, descrpt. bona!

Descrpt. Arbor humilis; *folia* supradecomposita; *petiolus* primarius 9—14 poll. longus, secundarius 3—5 poll. longus; ternarius 1—2 poll. longus, quaternarius 0,5—1,0 poll. longus, petioluli 0,15 poll. longi; *foliola* 0,4—0,8 poll. longa, 0,25—0,5 poll. lata, subrotunda, ovalia, ovali-oblonga aut obovato-oblonga; *paniculae* axillares aut terminales, erectae (nec racemi dependentes Papayae flores staminigeros optime referentes Rmph. l. c.!); *calycis* laciniae patentes, dein reflexae, oblongae, acutae, candidae; *petala* vid. supr.; *stamina*

10, alterna fertilia, quorum bina superiora minora; alterna 5 sterilia filamentis incurvis aut adscendentibus, basi incrassatis, villosis; *germen* villosum; stylus arcuatus antheras attingens; stigma punctiforme; *fructus* trigono-teretes sulcati (et inde *M. polygona* vix a specie hacce diversa habenda! Rmph. amb. t. 75 Wght. et Arn. l. c. 546), 8—10 (12—18 Rmph.) poll. longi; *semina* subgloboso-trigona, una cum alis tenuissimis 0,9 poll. longa, 0,6 poll. lata; integumentum crustaceum; *nucleus* 0,35 poll. diametro subglobosus. — Nomen sundense et malaicum: *Kélor.*

MIMOSEAE R. BR.

309. PARKIA SPECIOSA Hrt. Bog.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 6819. Msn. Gen. 96. Comm. 69. 313.
Char. Spec. cf. Catal. 1289. 1. Diagn. nov. 219. Wlp. Rprt. II. 905. 1. Hsskl. Leg. 68.

Descrpt. Arbor vasta pulcherrima; *petiolus* communis 9—10 poll. longus; foliola 0,4 poll. longa, 0,15 poll. lata, apice mucronulata, margine ciliis nullis; glandula petioli depressa, vix elevata; pedunculi 5—12 poll. longi; *fructus* e capitulo unico 10—15, stipite 2,5—4,5 poll. longo (in immaturis) suffulti, crassi, coriacei, 15—18 poll. longi, 2,3—2,5 poll. lati, ad margines 0,25 poll. crassi; *semina* protuberantia 12—18 compressa, ovali-oblonga, 1,3 poll. longa, 0,9 poll. lata, 0,5 poll. crassa, immatura integumento crasso, coriaceo, albido, intus costato, extus laevissimo involuta; cotyledones crassae virides, extus e integumenti nervis impressis canaliculatae, foetidissimae, diureticae; radicula inclusa, ovata, acuta, gemmulae in cauliculo conico, foliolum externum 6-jugum; caetera uti in spec. seq. — Nomen malaicum: *Péteh*, sundense: *Piidoi.*

Obs. Inter hanc et sequentem spec. intermedia: *Parkia intermedia* Hsskl. Catal. 1289. 2 et Adnot. ibid. Arbor alta elegans inermis; pinnis 14—20-jugis, foliolis 20—50-jugis, lineari-oblongis, obtusis, mucronulatis, ciliolatis (in plantis junioribus uberibus: pinnis 42-jugis, foliolis 40-80-jugis li-

nearibus subfalcatis acutiusculis), petiolis velutino-pubescentibus, glandula basilari grandi (in uberibus glandula et inter juga 3—4 summa). — Nomen sundense: *Püťr.*

310. PARKIA BIGLOBOSA BNTH.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 577. 1. *Parkia africana* R. Br. Wlp. Rprt. I. 857. 1. *Inga* Wld. DC. Prdr. II. 442. 106. *P. grandis* Hsskl. Diagn. nov. 220. Wlp. Rprt. II. 905. 2. Hsskl. Leg. 69.

Descrpt. *Petiolus* communis subtetragonus, 8—13 poll. longus; *pinnae* 1,0—3,4 poll. longae, foliola 0,1—0,2 poll. longa, 0,075 poll. lata, supra atro-viridia, nitida, subtus pallidiora, margine tenuissime ciliolata; glandula petiolaris 0,2—0,3 poll. longa, 0,1 poll. lata; *pedunculi* 4,5—16 poll. longi in apice rami subracemosi, erecti, dein nutantes et penduli; *alabastra* spicarum pyriformium aureo-nitida, sericea, 2,5 poll. longa, basi 0,9 poll. lata, apice 1,8 poll. lata (in anthesi diameter transversalis magnopere auctus!) *flos* singulus bracteatus, bractea cuneiformi, apice concava, sericea; *calycis* limbus 5-fidus; *laciniae* subrotundae, aureae, tubo paullo longiores; *filamenta* ad corollae limbum usque in tubum connata, supra libera longe exserta; antherae lineares suberectae flavae; *fructus* ab iis speciei primae differunt: stipite 5 poll. longo, latitudine 1,3—1,7 pollicum; *semina* minus protuberantia 13—15, ovali-oblonga, marginibus acuta, 0,9 poll. longa, 0,6 poll. lata, 0,35 poll. crassa. — Nomen sundense: *Püntoi.*

311. DICHROSTACHYS CALISTACHYS W. ET A.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 96. Comm. 68. 301. *Cailliea* Guill. et Perr. Endl. Gen. 6826.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 1292. 1 et Adnot. *Desmanthus* DC. Prdr. II. 445. 16. Hsskl. Legum. 77. — cf. *D. cinerea* W. et A. Prdr. I. 271. 838. Wlp. Rprt. I. 863. 2. V. 582. 1 quae differt a nostra; pinnis 6—10-jugis, glandulis interjugalibus pluribus et spicis folio brevioribus (false in Wlp. Rprt. folia superantibus dictis!). Brm. Thes. Zeyl. t. 2 a nostra habitu differt, ramis multo minus spinosis, pinnis 12—17-jugis, descriptio p. 3 autem nostram fere quadrat!

Descrpt. Arbor excelsa; *rami* divaricatissimi, spinosissimi, flexuosi, glabri albescentes; ramuli sanguinolenti, pu-

beruli; *spinae* (ramuli axillares ± abortivi!) saepe binae, altera minor, altera elongata, foliis et saepe floribus praedita; *stipulae* geminae e basi lata subulatae, apice subreflexae; *folia* bipinnata; pinnae (3—)6-jugae; *foliola* (15—)20-juga, oblongo-linearia, acuta, ciliata; *petiolus* communis subtetragonus, puberulus, pollice vix longior, secundarius brevior puberulus, subtrigonus; *glandula* substipitata inter pinnarum jugum infimum et minor altera saepe inter jugum summum; *spicae* axillares patentes pedicellatac, apice nutantes, in anthesi basi incrassatae, folio longiores; *pedunculus* 1,3 poll. longus, sanguineus, puberulus; spica 1,5—1,6 poll. longa; *flores* spicae dimidiae inferioris *steriles; corolla* gamopetala irregulariter 3—4-fida aut -partita parva; *filamenta* 10 elongato-linearia, flexuosa, persicina; *flores* superioris spicae partis *fertiles* citrini; corolla subcampanulata, semi-5-fida; *filamenta* exserta citrina; antherae biloculatae, loculi rima longitudinali dehiscentibus, apice glandula substipitata, citrina, dein aurantiaca praediti; *germen* lineari-oblongum, villosum; stylus elongatus, flexuosus, longe exsertus; stigma vix incrassatum, truncatum; fructus lineares elongati, cochleato-contorti, glabri, ad semina torosi. — Nomen sundense: *Pílang lötik* s. *Pöhüng*.

312. ACACIA FARNESIANA Wld.

Char. Gen. Endl. Gen. 6834. Wlp. Rprt. V. 587.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. I. 909. 236. *A. Burmanniana* DC. Prdr. II. 461. 133. Hsskl. Cat. 1296. 13. Legum. 71.

Descprt. Frutex; *rami* teretes flexuosi badii, juniores, petioli et pedunculi puberuli; *spinae* stipulares rectae, 0,25 poll. longae, patentes subulatae, basi albidae, apice spadiceae; folia bipinnata; *petiolus* inter par infimum glandula brevi; pinnae 6-jugae, ramulorum 2—3-jugae, oppositae, nunc alternae; *foliola* multijuga (16—20-juga), oblonga (linearia Wlp. l. c.), subsessilia, glabra, apice rotundata, mucronulata; *capitula* 1—4 pedunculata, globosa, 0,4 poll. diametro, lutea e bractea decidua, nuda; *pedunculi* foliis breviores apice incrassati, solidi, cicatrisati; bracteolae minutae, paleaceae,

concavae, ovatae, tenuissime et longiter stipitatae; *flores* sessiles; *calyx* urceolatus, truncatus, obsolete 5-dentatus, albus; *corolla* tubulosa infundibuliformis, apice 5-, rarius 6-dentata; dentes viridiusculi; *stamina* ∞; filamenta libera capillaria, erecta, subinaequalia, lutea; antherae minutae, subglobosae incumbentes biloculatae; loculi rima longitudinali dehiscentes; *germen* substipitatum, subcylindricum; stylus albescens filiformis erectus, versus apicem attenuatus; stigma punctiforme; *fructus* singuli aut bini ex axilla quaque, teretes subfalcati aut hamati, basi angustato-coarctati, apice plus minus acuti aut acuminati laeves; immaturi septis 10—15 transversis totidem locellati; maturi 1-loculati vix 2-valves 10—15-spermi; *semina* irregulariter oviformia; integumentum lignosum; *embryo* rectus; cotyledones 2 ovatae, obtusae, crassae; cauliculus cylindricus rectus, crassus, obtuse conicus, gemma plurifoliata; foliola plicata indivisa. — Nomen malaicum: *Kembàng Nagasârie.*

313. ALBIZZIA STIPULATA Bnth.

Char. Gen. cf. Wlp. Rprt. V. 595.

Char. Spec. cf. Wlp. l. c. 598. 19. *Acacia* DC. Zoll. Arch. III. 72. 4. *Inga purpurascens* Hrt. Bog. Hsskl. Legum. 66. Catal. 1298. 11. Wlp. Rprt. V. 644. 143.

Descrpt. Arbor vasta; *rami* erecto-patentes inermes, seniores glabri subgeniculati, juniores teretes pubescentes, cinereo-virescentes, verruculis plurimis, minutis, albidis vix elevatis notati; *folia* bipinnata; *petiolus* communis puberulus, basi incrassatus, supra basin subteres, versus apicem subtrigonus; glandula crassa, oblonga, sessilis ad basin et inter juga (2—)3 foliolorum summa; *pinnae* 11—18-jugae oppositae; petioli secundarii compressi, puberuli; *foliola* 15—45-juga, dimidiato-oblonga, acutiuscula, supra atro-viridia, pilosiuscula, margine ciliata, subtus glaucescentia, dense adpresse puberula; *stipulae* obliquae erectae, lanceolatae, acuminatae, utrinque puberulae, deciduae; *capitula* pedunculata in ramis axillaribus foliatis, ad apicem aphyllis bina ternave,

solitaria aut ad apicem pedunculi geminata; bractea stipulaeformis decidua; *flores* 20—40 in capitulo aggregati; *corolla* infundibuliformis; *stamina* basi albida, apice viridi-lutescentes (uti stipulae, bracteae et calyces). — Nomen sundense: *Djündjieng*.

314. PITHECOLOBIUM UMBELLATUM BNTH.

Char. Gen. cf. Wlp. Rprt. V. 608. Endl. Gen. 6837.c. Msn. Gen. add. ad Comment. 353. 307.1.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 611. 17. *Inga umbellata* Wld. DC. Prdr. II. 439. 75. Wght. et Arn. Prdr. I. 270. 834. — Hsskl. Cat. 1298. 3. Legum. 64.

Descrpt. Arbor alta ramosissima; *rami* patentes geniculati spinosi; *spinae* firmae, lignosae, rectae, 0,5—1,0 poll. longae; *petiolus* communis 1,0 poll. longus, apice ad pinnas glandula rosea, depressa praeditus; *petioli* secundarii 3,0 poll. longi, inter foliolorum juga glandulosi; *foliola* 6-juga, infima ovato-oblonga, media oblonga, summa obovato-oblonga, 1,0—1,6 poll. longa, 0,5—1,0 poll. lata, obtusa sub-inaequilatera, adulta glaberrima, supra lucida; *pedunculi* 1,0—1,6 poll. longi, subracemoso-aggregati axillares, laterales aut terminales; *flores* 15—20, pedicellis 0,2 poll. longis suffulti filiformibus, in apice pedunculi umbellatim congesti; *calyx* cylindricus 5-dentatus; *corolla* longe exserta flavescens, tubulosa 5-fida; *stamina* plurima; filamenta in tubum connata, medium haud attingentem, apice capillaria alba, 0,6 poll. longa; antherae incumbentes. — Nomen sundense: *Pilang*.

315. PITHECOLOBIUM FALCIFOLIUM HSSKL.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. V. 614. 33 et 615. 34, inter utramque ponenda species, forsan ulteriori adscribenda aut utramque conjungens! *Inga falcifolia* Hsskl. Catal. 1298. 12. Zoll. Arch. III. 73. 14. *I.? falciformis* Hsskl. (nec DC. Prdr. II. 438. 69.) Diagn. nov. 218. Wlp. Rprt. II. 906. 3. Legum. 67. *Ingae* subgen. *Pithecolobium* Hsskl. Adnot. ad Cat. 1296. 12.

Descrpt. Arbor alta; *ramuli* crassi, e petiolis decurrentibus multangulati et petioli pedunculique minute tomen-

tosi; *petiolus* basi incrassatus, inferne tetragonus, superne trigonus, 12—14 poll. longus, supra basin glandula naviculari magna et inter juga omnia fere glandulis binis stipitatis parvis praeditus; petioli secundarii trigoni, 4—6 poll. longi, inter juga foliolorum 4 summa glandulis stipitatis pari modo obsessi; *foliola* petiolulo brevissimo, crassissimo, subgloboso, tomentoso suffulta, subtus pilis adpressis pubescentia, subglaucescentia, inaequilatera, altero latere attenuata, altero producta, a medio curvata et inde falciformia, 0,6—1,5 poll. longa, 0,3—0,4 poll. lata; *panicula* divaricata terminalis; rami infimi pedem excedentes polycephali; *capitula* in ramificationibus ultimis breviter pedicellata; *calyx* brevis, obsolete 5-dentatus, suburceolatus; *corolla* infundibuliformis 5-fida; laciniae oblongae, acutae, extus sericeae; *staminum* filamenta ima basi connata, longe exserta, capillaria albida; *germen* stipitatum. — Nomen sundense: *Kiharúman* s. *Kipoik*, i. e. Lignum diurnum.

AMARANTACEAE R. BR.

316. PSILOTRICHUM TRICHOTOMUM Bl.

De *affinitate Paronychiearum* cum *Amarantaceis* cf. Endl. Gen. p. 956, et adnotationes ad *Pupaliam prostratam* Jss. p. 427.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 319. Comm. 231. 13. Endl. Gen. 1962, a *Trichinio* R. Br. Endl. l. c. 1963 solummodo laciniis calycinis in fructu haud plumosis et foliis oppositis diversum genus.

Char. Spec. cf. Msn. et Endl. ll. cc., ubi folia radicalia spathulata dicuntur.

Descrpt. Herbae erectae aut adscendentes, ad margines lacuum et in paludosis prope *Weltevreden* vulgares, 6—15 poll. longae; *caulis* articulatus, ad articulos inferiores fibrillas longas ubique emittens, ramosus; *rami* erecti; *internodia* teretia basi plerumque tumida, lucida, glaberrima, exceptis lineis binis longitudinalibus, folia infra internodium hocce posita alternantibus, pilosis, 1,0—2,5 poll. longa; *folia* opposita subsessilia, oblongo-, summa lineari-lanceolata, utrinque attenuata, margine subintegerrima, juvenilia subserrulata, gla-

27 *

berrima, supra lucida, 1—3 poll. longa, 0,2—0,5 poll. lata, patentissima; *stipulae* interfoliaceae in pilos solutae; *capitula* sessilia, axillaria, albido-rosea, brevia subglobosa, acuta 0,1—0,2 poll. alta = *spica* abbreviata multiflora; *rhachis* brevis; *bracteae* ad basin calycis brevissime pedicellati ternae minutae, calyci adpressae, lineari-lanceolatae, acuminatae, mucrone terminatae, concavae, hyalinae, sub-1-nerviae; *calyx* profunde 5-partitus; *laciniae* in praefloratione imbricatae, hyalinae, ovato-lanceolatae, acuminatae, uninerviae, albido-roseae, 0,08 poll. longae, in anthesi patentes ante et post anthesin conniventes; *stamina* brevissima glabra; *filamenta* basi in annulum connata, apice libera, subulata, erecta, calycis laciniis opposita; *dentes* accessorii interjecti nulli; *antherae* (3?) luteae, erectae, basi insertae, introrsae, subglobosae emarginatae, biloculatae; *loculi* rima longitudinali dehiscentes; *pollen* globosum muriculatum; germen viride glabrum, uniloculatum, complanatum orbiculare, margine tenui acuto; *stylus* brevissimus, crassus, teres; *stigma* capitatum papillosum; *gemmula* unica in funiculo e fundo germinis erecto pendula; *fructus* bracteis et calycis laciniis scariosis persistentibus erectis adpressis cincti, iisque longiores indehiscentes monospermi, compressi, orbiculares, apice cordati et in sinu styli rudimento coronati, medio paullo tumidi, pergamacei, albido-rosei; *semen* lentiforme glaberrimum nitidum lutescens, in filo umbilicali e fructus basi adscendente, apice incurvo pendulum, diametro 0,05 poll., albuminosum; *albumen* centrale, *embryone* peripherico annulari cinctum; *radicula* subclavata acutiuscula; *cotyledones* lineares obtusiusculae. — Mense Januario ad Martium flores fructusque gerit. — 1846.

317. ALTERNANTHERA STRIGOSA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1956. Msn. Gen. 318. Comm. 230. 2.

Char. Spec. cf. Hsskl. Dec. I. 3. Diagn. nov. 76. Cat. 376. 3.

Diagn. Capitulis longe pedunculatis, calycis pilosi foliolis lineari-lanceolatis, fructu duplo longioribus, foliis oppositis ovato-, s. oblongo-lanceolatis, acuminatis, integerrimis utrinque et ramis ramulisque strigosis, caule erecto herbaceo, ramis divaricatis teretibus.

Obs. 1. Affinitas maxima ad *A. villosam* H. B. K. et *A. frutescentem* R. Br. cf. R. et S. V. 563. *Prior* differt: caule volubili foliisque ferrugineo-sericeis, subsessilibus ovatis, acuminatis, pedunculis densissime ferrugineo-villosis, foliolis calycis ovato-lanceolatis; — *altera* differt: caule rufescente succulento 1,5 ped. alto, foliis ellipticis aut obovatis pulverulentis, squamis 5 brevibus ciliatis staminibus interjectis. — Nomen sundense: *Tántang gûla*, i. e. lusus sacchari.

Obs. 2. *A. denticulata* R. Br. β. *bifaria* Hsskl. Catal. 376. Diagn. nov. 77. *A. denticulata* Bl. Bijdr. 546 differt: capitulis sessilibus, calycis foliolis ovatis, acuminatis, glabris, fructu vix longioribus; foliis oppositis, angusto-lanceolatis, denticulatis, glabris, axillis barbatis, caule procumbente tetragono, glabro; ramis bifariam pubescentibus Bl. l. c. — Nomen sundense: *Telontága.*

Descrpt. Herba perennis basi frutescens, erecta 3—6 ped. alta; *caulis* teres nodosus viridis versus apicem ruber, ramosissimus; *rami* patentissimi, divaricati, oppositi, versus apicem dichotomi, strigoso-hirti; *folia* opposita, petiolata, ovato- s. oblongo-lanceolata, acuminata, basi in petiolum attenuata, utrinque adpresse pilosa; juniora puberula, margine ciliolata; *capitula* in ramulis terminalia longe pedunculata, subglobosa, albida; *flores* tribracteati; bracteae binae laterales majores concavo-carinatae, ovatae, acutae, cum calyce extus albido-pilosae; *calyx* pentaphyllus, bracteis duplo major; foliola apice et marginibus conniventia, lineari-lanceolata; *stamina* 10; *filamenta* basi in urceolum brevem connata, 5 fertilia cum totidem sterilibus, apice tridentatis majoribus alternantia; *antherae* uniloculatae; *germen* subglobosum; *stylus* filiformis; *stigma* capitatum; fructus indehiscens monospermus, calycis foliolis duplo brevior.

318. ACHYRANTHES CANESCENS R. Br.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 319. Comm. 231. 17. Endl. Gen. 1966; an *Centrostachys* Wll. Endl. Gen. 1967 sufficienter ab hoc genere distinctum? squamulae inter filamenta vix diversae; bracteae muticae ad distinguendum genus utrumque haud sufficiunt et caetera signa destinctionis desunt! — *Pupalia* Mrt. Endl. Gen. 1971 an jure sejuncta?

Char. Spec. cf. R. Br. Prdr. I. 273. An *A. bidentata* β. *elongata* Bl. Bijdr. 546 huc pertinet?

Descrpt. Herbae vilissimae, ubique ad vias et in apricis per totam *Javam occidentalem* et forsan etiam orien-

talem, usque ad montem *Japara* a me repertae; *caulis* a basi trichotome ramosissimus procumbens; *rami* geniculati, nodosi, adscendenti-erecti, 2—3—4 ped. alti, uti tota planta dense incano-tomentosi, juniores albido-velutini, subtetragoni, elevato-striati; *internodia* basi tumida, ibique rubentia, 1—5 poll. longa; *stipularum* loco margo dense et intricate ciliatus; *folia* opposita, patentissima, obovata, aut subrotundo-obovata, basi attenuata in *petiolum* brevem 0,6—0,3 poll. longum, supra canaliculatum, rubrum, crispato-undulata, nervo medio crassiusculo, supra rubenti, cum secundariis utrinque prominulo, crassiuscula, mollia, praeprimis supra velutina, 4,0—1,5 poll. longa, 3,0—0,9 poll. lata, supra viridiuscula, subtus glaucescentia, integerrima; *spicae* terminales dein elongatae, 1,5—2,4 poll. longae, primo vix 1,0 poll. longae, conico-cylindricae spinuliferae; *flores* primo densissimi, ante anthesin erecti, in anthesi densi patentissimi, post anthesin reflexo-adpressi, retrorsum spectantes, nitidi sessiles; rhachis primo lanata, dein elongata inter fructus densissime incano-villosa subteres; *bracteae* spinescentes ad florem singulum 3, *inferior* solitaria e basi 0,06 poll. lata longiter acuminata, acumine carinato spinescente, rubenti hyalina, 0,12 poll. longa, dein reflexa et rhachidi adpressa; *collaterales binae*, superiores inferiori oppositae, flori adpressae, suborbiculatae, tenerrimae, hyalinae, apice bidentatae, nervo crassissimo percursae et in acumen infra-apicale abruptum firmum spinescens rubescens elongato, dorso nitidae, dein totae, laete purpureae, inferiori bractea primo minores, in fructu paullo excrescentes subaequilongae; *calyx* profunde 5-partitus, ante et post anthesin et in fructu conniventi-clausus, in anthesi patenti-erectus, mox denuo clausus, atro-viridis glaberrimus, nitens; *laciniae* lanceolatae, acuminatae virides, nervis albidis 3 percursae, margine hyalinae, scariosae, subaequilongae, 0,1 poll. longae, persistentes vegetae, in fructu 0,15 poll. longae; acumine rubentes subspinentes; *stamina* fertilia 5, sterilibus totidem latis, truncatis, hyalinis, extrorsum fimbriatis, introrsum squamula inflexa auctis interjectis; *filamenta* omnium

ima basi in annulum connata, fertilium dein subulata, basi hyalina, apice purpurascentia, attenuata; *antherae* terminales oblongae, utrinque bilobae, 2-loculatae; *loculi* contigui, lateraliter rima dehiscentes; *pollen* albidum, globosum; *germen* viride glabrum, obverse pyramidatum, subglobosum, pentagonum, vertice subconico in stylum attenuato; *stylus* teres albidus versus apicem attenuatus; *stigma* truncatum, subbilobum; *gemmula* unica in filo umbilicali erecto pendula; *fructus* indehiscens monospermus, ovoideo-cylindricus, apice truncatus, styli rudimento coronatus; *semen* teres; *embryo* annularis, albumen cingens. — Mensibus Januario ad Majum flores fructusque gerens obviam venit. — 1846.

319. AËRVA LANATA Jss.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 319. Comm. 231. 19. Endl. Gen. 1968, sed stamina sterilia sunt teretia, apice subulata, plane fertilibus conformia, nec plana dentata (Msn. Endl.), uti jam recte adnotavit *Blume* celbrr. (in Bijdr. 547), qui differentiam nullam inter filamenta fertilia et sterilia observavit.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 547, folia autem haud ovata.

Descrpt. Herbae annuae erectae, 12—24 poll. altae, in graminosis et ruderatis prope *Bataviam* et *Bidara-tjina* vulgatissimae; *caulis* juvenilis simplex, *senilis* e basi ramosa; rami pariter erecti, caule intermedio paullo breviores, nunc basi procumbentes, apice adscendenti-erecti, teretes, juveniles rubentes, dein virides, ad apices ramulorum pilis longis acutissimis, capillaribus dein flexuosis angulatis et dense verruculoso-aculeolatis, e basi erecta decumbentibus intricatis albido-, imoque candido-lanati (cf. apices pilorum *Alternantherae axillaris* in Schld. l. c. p. 267 f. 84), inferne puberuli aut glabrati; *stipulae* nullae; *folia* alterna infima subrotundo-, superiora et summa obovato-cuneata, acutiuscula aut acuta, in petiolum 0,5—0,2 poll. longum, semiteretem, pariter incano-tomentosum attenuata, patentia

infima	1,0	poll.	longa,	0,8	poll.	lata
superiora	1,0—0,8	-	-	0,6—0,5	-	-
summa	0,35	-	-	0,25	-	-

integerrima, infima viridia subtus paullo pallidiora, utrinque pilis raris, in nervis subtus crebrioribus, adpressis obsita, mar-

gine ciliata e pilis patentibus vix antrorsis hyalinis pariter tuberculatis, nec flexuosis, 3—5 articulatis, basi crassis et cellulis parvis suffultis; *cellulae epidermoidales* margine valde undulatae (valde accedentes ad Schld. l. c. p. 260 fig. 73); *stomata* sparsa, haud seriata, oblonga crebra, medio rima aperta e cellulis stomatum binis subcylindricis curvatis apice utrinque conniventibus, parva; folia summa supra incano-, subtus candido-tomentosa e pilis adpressis, iis ramorum consimilibus; *spicae* axillares solitariae aut saepius 2—3-naeve, imoque 4-nae, nunc solitariae, ima basi ramosae et subpaniculatae, 0,3—0,4 poll. longae, nunc in apice ramorum valde abbreviatae et inde glomerulos referentes; *bracteae* ad basin spicarum foliaceae et foliis consimiles, sed multo minores, nunc valde abortivae squamuliformes, albido-lanatae, vix conspicuae ad basin (sed interiores) petiolorum, stipulas fingentes persistentes; *flores* in spicis densi patentes sessiles, densissime candido-lanati et inde spicas candidas referentes; *lana* e pilis longissimis articulatis capillaribus tenuissimis, ad nodos paullo incrassatis, minus dense spinuloso-tuberculatis, intricatis constans; *bracteolae* ad basin florum 3-nae minutissimae, inter lanam reconditae, hyalinae, subrotundo-ovatae, concavae, acutae et seta tenui subpatenti subuliformi terminatae; intermedia nervo-flavescenti viridi percursa; *calyx* 5-partitus extus totus lanatus candidus, intus glaberrimus lucidulus viridiusculus; *laciniae* ante anthesin imbricatae, in anthesi erecto-patentes subrotatae, diametro 0,07 poll., obovato-oblongae, subconcavae, acutae, margine hyalinae, albidae, membranaceae, nervo medio in exterioribus lato excurrente, in interioribus 1—2 tenuiori, ad medium tantum percurrente, laete viridi percursae, 0,05 poll. longae, 0,02 poll. latae; *stamina* 10 hypogyna, alterna sterilia; *filamenta* albida, basi in cupulam germinis basin cingentem connata, sinu acuto vacuo interstincta, filiformia, apice subulata, conniventia, conformia, alterna ananthera styli apicem haud excedentia; *antherae* medio dorso insertae aurantiacae, introrsae, 2-loculatae, a latere visae oblongae, a dorso visae rotundae utrinque subemarginatae; *loculi* longitu-

dinaliter dehiscentes; *pollen* globosum aurantiacum, sat magnum, minute reticulatum (an minutissime verruculosum?), fovilla copiosa foetum, eamque poro unico emittens; *germen* depresso-globosum, apice conicum, basi paullo attenuatum, laete viride glabrum uniloculatum; *gemmula* solitaria in filo umbilicali erecto pendula, oblonga, sub apice inserta, ventre plana, dorso convexa, albida, lucida; *stylus* cylindricus brevis crassus, germen longitudine vix aequans, apice bifidus; *laciniae* erectae, subdivergentes, acutae, crassiusculae, subcomplanatae, versus apicem utrinque et praeprimis intus stigmatosae et papillis cylindricis, apice subgloboso-capitulatis, hyalinis, densis erectis obsessae; *fructus* monospermus orbicularis compressus, medio membranaceus, hyalinus, margine crassiore, viridi cinctus, glaber, stylo persistente vegeto et stigmatibus emarcidis coronatus evalvis, dein irregulariter dehiscens, diametro 0,02 poll. unilocularis; *semen* unicum in funiculo umbilicali, longo albido tenui, filiformi, erecto pendulum, reniforme nigrum nitidissimum, apice utroque tenuius medio incrassatum albuminosum; *testa* crustacea fragilis; *albumen* centrale farinosum candidum; *embryo* 0,02 poll. longus, teres, curvatus, periphericus, hemicyclicus, albidus, tincturae Jodii ope cerinus; *radicula* conico-cylindrica, versus hilum spectans; *cotyledones* semiteretes dimidium embryonem longae obtusiusculae, radiculae oppositae; *farina albuminis* e globulis minutissimis ope tincturae Jodii lilacino-tinctis constans. — Per totum annum flores fructusque gerentem vidi.

320. DIGERA FORSKAOLEI Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1969. Msn. Gen. 319. Comm. 231. 22, sed filamenta haud libera, sed basi subconnata, stigmata semi-teretia nec teretia, semen subgloboso-lenticulare, testa crustacea. — cf. Bl. Bijdr. 542, char. gen.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 542.

Decrpt. Herbae glabriusculae, *Meliloti officinalis* L. facie, in ruderatis prope *Bidara-tjina* sat frequentes; *caulis* erectus ramosissimus, 0,5—2,0 ped. altus; *rami* patentissimi,

infimi procumbentes, aut profusi elongati, 12—24 poll. et ultra longi, subteretes sulcati, geniculato-flexuosi, virides glabriusculi, pilis raris patentibus hinc saepe obsessi, dein glabrati; *internodia* 0,5—2,0 poll. longa; *petioli* alterni erecti aut erecto-patentes, 0,2—2,0 poll. longi, subteretes, supra profunde canaliculati et ad marginem albido-ciliati, virides lucidduli, dein nunc glabrati; *stipulae* nullae; *folia* ovato-oblonga aut ovata, acuminata aut acuta, basi obtusa, subcordata aut subattenuata, glaberrima, integerrima, supra atro-viridia margine rubenti, subtus pallidiora, 1,0—3,0 poll. longa, 0,6—2,0 poll. lata, dein flaccida; *spicae* solitariae axillares, nunc in inferiore ramorum parte ramulo plus minus evoluto accedente, primo (floribus inferioribus apertis) foliorum longitudine erecto-patentes, dein (floribus succedaneis terminalibus apertis) patentissimae, apice adscendenti-erectae, folio plus duplo longiores, 3—7 poll. longae; *bracteae* ad basin floris cujusque 3, quarum 2 laterales angustiores oblongae, concavae, acutae, virides, margine membranaceae rubentes, intermedia inferior persistens; in axillis lateralium saepe, nec semper, *rudimenta* florum collateralium viridia bis bifida, laciniis patentibus erecta exserta, ope bracteolae flori arcte adpressa, persistentia vegeta; *flores* subsessiles solitarii patentes; *calyx* coloratus 5-phyllus, persistens vegetus; *foliola* 2 *exteriora* majora, 0,1 poll. longa, bracteae intermediae opposita, margine tantum rosea, leviter carinata subcomplicata, interna 3 amplectentia, ovata, acuta; *interiora* ovato-oblonga, kermesina, basi viridiuscula, 0,075 poll. longa, acuta, apice dein albido-marginata; *omnia* ante et post anthesin conniventia, imbricativa, in anthesi subpatentia; *stamina* 5, calycis foliis opposita; *filamenta* ima basi paullo dilatata et vix in annulum connata, erecta, filiformia, 0,06 poll. longa, albida, versus apicem lilacina; *antherae* introrsae, ovatae, lilacinae, utrinque bilobae, erectae, supra basin insertae, *loculi* 2 contigui paralleli, utrinque paullo divergentes; *pollen* albidum, globosum, sat magnum; *germen* sessile subglobosum, a lateribus compressum, glabrum, lucidum, pallide viride, uniloculatum; *gemmula* unica; *stylus*

cylindricus, pallide lilacinus, apice bifidus; *laciniae* primo conniventes dein subrevolutae, lilacinae; *stigma* laciniarum styli paginam internam obtegens, e papulis plurimis cylindricis, apice subclavatis constans; *fructus* intra calycem persistentem vegetum, apice coloratum, recepti eoque breviores subglobosi, a lateribus compressi, sutura elevata carinati, ad apicem subemarginatum bituberculati, caeterum eleganter verrucoso-muriculati, atro-virides, solitarii, indehiscentes monospermi; *semen* fructui conforme subglobosum, albuminosum; *testa* crustacea rufa; *embryo* curvatus annularis periphericus, albumen farinaceum cingens, albidus; *cotyledones* semi-cylindricae, applanatae; *radicula* versus basin seminis hilum spectans, cylindrica obtusiuscula. — Mensibus Januario ad Majum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

321. PUPALIA PROSTRATA Jss.

Char. Famil. Divisiones hujus familiae valde artificiales sunt, nostra planta respectu florum inferiorum ad *Desmochaeteas* (Endl. Gen. p. 303. Msn. Gen. 319), summorum ad *Aërveas* ducenda esset, dum flores intermedii inter divisionem utramque medium tenent; fructus dein nunc subregulariter circumscissus, nunc irregulariter rumpens et inde nostra *Amaranteis* accedit; cf. Endl. Gen. Sppl. I. p. 1377 — et adnotationes ad *Psilotrichum* p. 419.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1971. Msn. Gen. 319. Comm. 231. 20. *Achyranthes* L. R. Br. Endl. Gen. 1966 differt: floribus lateralibus omnibus (?, an semper?) evolutis, filamentis sterilibus planis (an forsan siccando tantum?!) bracteisque spinescentibus, cf. R. Br. Prdr. I. 273.; *Desmochaeta* DC. Endl. Gen. 1970 filamentis sterilibus nullis; *Sericocoma* Fnzl. Msn. Gen. add. p. 368. 14/1. Endl. Gen. Sppl. II. 1964/1: foliolis calycis exterioribus (floris fertilis) spinescentibus, staminibus sterilibus linearibus squamaeformibus, fructibusque villosissimis. — Cf. p. 421. Achyranthes.

Char. Spec. cf. R. Br. Prdr. I. 273. Obs. I. *Cyathula* Bl. Bijdr. 548, qui caulem basi suffruticosum laudat! — *Achyranthes* L. Sprg. Syst. Veg. I. 818; — an *Cyathula geniculata* Lour. Roem. et Schlt. V. 551 sufficienter diversa!?

Descrpt. Herbae annuae humiles, in humidis umbrosis prope *Bataviam*, *Bidara-tjina* et totius fere Javae occidentalis humilioris vulgares; *caulis* nunc basi procumbens repens, dein adscendenti-erectus, articulatus, geniculatus, rubens, puberulus, e *pilis* antrorsum adpressis sat longis 3—4-cellulosis,

verruculosis, acutissimis, subcurvatis, hyalinis, succo dein laete roseo foetis et corpuscula minuta, globosa continentibus; *internodia* tetragona, 4-sulcata, inferiora breviora, 0,5—3,3 poll. longa, 0,05—0,10 poll. crassa; *folia* opposita, basi in petiolum brevem aut subnullum attenuata, obovato-rhomboidea, acuta, aut rhomboidea, juvenilia in gemma subrosea pilis strictis, rectis, caeterum iis caulis consimilibus imbricatim sese obtegentibus tecta, sublanata, dein pilis raris utrinque puberula, supra atro-viridia, subtus glauca, nervis alternantibus patenti-erectis, dichotomis, utrinque prominulis percursa, 1,0—3,0 poll. longa, 0,7—1,7 poll. lata; *spicae* axillares aut terminales, plerumque 3-nae, binae axillares cum terminali, inevolutae sessiles, 0,3 poll. longae, floribus bracteisque densis imbricatae, strobiliformes, albescentes, floribus dein a basi sensim evolutis distantibus successive elongatae, strictae, pedunculatae, cum pedunculo, 0,5—2,0 poll. longo, 2,0—8,0 poll. longae; *rhachis* angulata viridis, dense incano-tomentosa, e pilis decumbentibus flexuoso-tortis; *bracteae* primo alabastro longiores, dein breviores, ternae sub quoque flore, intermedia longiore et latiore 0,05 poll. longa, ovato-lanceolatae, subulato-acuminatae, albescentes uninerviae, concavae, longiter ciliatae, dorso sericeo-puberulae; *flores* in axillis bracteae cujusque solitarii, inde 3-ni, laterales in basi spicae inevolutae, rudimentariae, cristam formantes, e floribus tribus constanter rudimentariis, singulo e foliolis calycinis 3—5, lineari-subulatis, apice hamato-reflexis, lanato-pilosis, erectis, apice paullo divergentibus viridibus composito; — nunc, floribus lateralibus evolutis, terni glomerulati, iterum a lateribus cristis florum mutatorum obsiti; — nunc in superiore spicae parte *flos alter* tantum rite evolutus, *alter* ad squamulam plus minus minutam, albido-lanatam reductus, floribus mutatis glochidiatis nullis; *flores* subsessiles erecti, in anthesi patentes, post anthesin reflexi, rhachidi adpressi; *calyx* 5-phyllus viridis intus glaber, extus incano-lanatus e pilis tenuissimis, acutissimis, verruculosis, hyalinis; *foliola* erecta, 0,1 poll. longa, in anthesi per breve tempus patentia,

ante et post anthesin conniventia, oblongo-lanceolata, acuminata, 3-nervia, margine albido, in praefloratione imbricativa, interiora paullo angustiora et tenuiora; *stamina* 10 monadelpha inclusa, quorum 5 fertilia, foliolis calycinis opposita; *filamenta fertilia* albida, filiformia, erecta, subconniventia, tenuissima, versus apicem attenuata, 0,02 poll. longa, *omnia* ima basi in annulum brevissimum connata, *sterilia* brevissima reliquis crassiora, truncata, 5-loba, lobis subreflexis; *antherae* 5 terminales 2-loculatae, subdidymae, versus medium insertae connectivo brevi quadrato; *loculi* basi divaricati, apice conniventes aut primo paralleli ellipsoidei, utrinque acutiusculi, dein longitudinaliter dehiscentes; *pollen* albescens globosum, minutum, verruculosum, *fovilla* minutissime granulata foetum; *pistillum* stamina paullo excedens; *germen* depresso-, s. obovato-globosum, viride, glabrum; *gemmula* conica e filo umbilicali adscendenti-subcurvato primo erecta subnutans, dein pendula ovata, albida; *stylus* viridis teres glaber, filamentis fertilibus paullo crassior, erectus simplex, apice paullo incrassatus; *stigma* terminale subtruncato-capitatum, papillosum; *papillae* subcylindricae, apice clavulatae, dense sibi juxta-positae, ad marginem subradiatae, hyalinae, dein granulis fuscescentibus foetae; *fructus* membranaceus, tenuissimus, calyce brevior, eoque inclusus, oblongus, styli basi persistenti coronatus, nunc vertice in sutura sub-operculatim dehiscens, nunc *plerumque* irregulariter rumpens, monospermus; *semen* funiculo longo, erecto, albido suffultum, pendulum ovato-subglobosum, rufum, dein badium, lucidum, subcomplanatum, obversum, basi in apice fructus sita emarginata; *testa* coriacea; *albumen* centrale farinosum candidum; *embryo* periphericus annularis albidus, radicula et cotyledonum apices versus hilum seminis spectantes; *radicula* cylindrica, apice conica; *cotyledones* oblongae, acutiusculae, albidae, adplicatae, marginibus inflexae. — Mensibus omnibus fere totius anni vidi flores fructusque gerentem. — 1846.

322. AMARANTUS (ALBERSIA) OLERACEUS L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1972 et Sppl. I. 1971/1 et p. 432. not. ad *Amar. spinosum*; mea opinione *Albersia* Knth. haud ab *Amaranto* distinguendum genus; partium floris numerus ternarius, nec quinarius et stigmata 3, nec 2 haud sufficiunt ad signa distinctionis et fructus in nostra etsi cum calyce deciduus, tamen circumscissus evadit, nec indehiscens remanet.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 539, valde accedit ad *A. interruptum* R. Br. Prdr. I. 270. — *Blitum album* Rmph. amb. V. 231 t. 82 f. 1; icon mala. *Albersia* Knth. Hsskl. Cat. p. 84.

Descrpt. Herbae annuae, ad vias et in ruderatis *totius Javae occidentalis* in locis haud nimis elatis vulgatissimae, olus in hortis frequentissime cultae et *Bajem* a Malaiis, *Sengang* a Sundensibus dictae, loco *Spinaciae oleraceae* L. —; *caulis* (plantae incultae) erectus, 1—2 ped. longus, nunc procumbens, viridis glaber teretiusculus, sed costis asperis striatus, ramosus; *rami* teretiusculi, adpresse strigosi; *petioli* alterni, e basi latiore subdecurrentes, 0,3—1,5 poll. longi; *folia* rhombeo-lanceolata, nunc ovato- s. oblongo-lanceolata, plus minus longiter acuminata, apice obtusiusculo, mucronulato, utrinque glabra, 1—2 poll. longa, 0,5—1,0 poll. lata; *stipulae* nullae; *flores* 3-bracteati, glomerulati; *glomeruli* e cymis dichotome ramosis abbreviatissimis congesti, apice in spicam interruptam, 3 poll. longam dispositi, flores pistilligeros et staminigeros intermixtos proferentes; *bracteae* oblongolanceolatae, longiter subulato-acuminatae, diaphanae, nervo medio viridi, calyce duplo longiores, cum acumine 0,1—0,2 poll. longae; *calyx* 3-phyllus connivens, in anthesi patens; *foliola* ovato-oblonga, longiter subulato-acuminata; bracteis subsimilia, florum ♂ et ♀ aequalia, 0,1 poll. longa; *stamina* 3; *filamenta* erecta, flexuosa, filiformia, flavescenti-viridia, in centro floris inserta, basi ima subconnata; *antherae* oblongae, utrinque bifidae, dein exsertae; *loculi* basi divergentes; *pollen* flavescens globosum; *germen* sessile complanato-subglobosum; *stylus* subglobosus, basi supra germen constrictus; *stigmata* 3 divergentia, subulata, papilloso-pilosa, hyalina; *fructus* calyce et bracteis cinctus et cum iis deciduus, stylo

persistente coronatus, granuloso-tuberculatus, monospermus, medio circumscisse dehiscens; *semen* sessile, subgloboso-lenticulare subcomplanatum, arillo nullo cinctum aut stipitatum, atrum, lucidum; *testa* crustacea, atro-sanguinea; *embryo* annularis albumen cingens; *albumen* farinaceum candidum. — Per totum annum flores fructusque proferentem vidi. — 1846.

323. AMARANTUS (ALBERSIA) POLYSTACHYUS WLD.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 538; affin. *A. rhombeus* R. Br. Prdr. I. 270, qui praeter staminum numerum distinguendus e bractearum et foliolorum calycis longitudine et forma nunc obtusa, nunc acuta, nunc longiter acuminata, tum e glomerulis plerumque axillaribus aut in spicam simplicem aut polystachyam, plus minus densam, aut interruptam tenuem, aut crassam dispositis.

Descrpt. Herbae annuae glaberrimae, in ruderatis, ad vias et in hortis sua sponte et olus cultae prope *Bataviam* et in tota fere *Java occidentali* vulgatissimae; *caulis* ramosus erectus, 1—2 ped. altus et ultra cum ramis, subangulatus e petiolis subdecurrentibus; *ramuli* subpuberuli; *petioli* oppositi erecto-patentes semi-teretes, supra canaliculati, 0,5—2,0 poll. longi, albescenti-virides; *folia* ovato-lanceolata, nunc oblongo-lanceolata, nunc ovata, 1,0—2,5 poll. longa, 0,6—1,5 poll. lata, acuta, in apice retuso mucronata; *flores* staminigeri nonnulli inter pistilligeros plures in glomerulos collecti; *glomeruli* ad basin ramorum axillares, nunc paullo supra basin ramorum inserti solitarii, nunc plerumque in spicas subpaniculatas tenues graciles interruptas, 2—4 poll. longas, dispositi; *bracteae* 3-nae ad basin floris cujusdam in cymae trichotomae axi abbreviata, flexuosa, geniculata persistentes; *intermedia* major, *laterales* minimae, hyalinae, nervo viridi valido percursae, ovatae, acutae, nervo medio excurrente vix mucronulatae; *intermedia* navicularis calyce brevior; *calyx* triphyllus; *foliola* angusta navicularia, erecta, hyalina, nervo medio crasso viridi, bracteis consimilia, sed longiora; *stamina* 3; *filamenta* subulata, erecta, calycis longitudine; *antherae* oblongae, luteae, utrinque bilobae; *pollen* globosum; *germen*

subglobosum; *stylus* brevis conicus; *stigmata* 3—2 brevia, papillosa; *gemmula* solitaria; *fructus* a calyce breviori suffultus et cinctus et cum eo deciduus, granuloso-tuberculatus, stylo coronatus indehiscens monospermus; *semen* lenticulare glaberrimum, nitidum, haud arillatum; *embryo* annularis albumen farinosum albidum cingens. — Per totum annum flores fructusque profert. — 1846.

324. AMARANTUS SPINOSUS L. β. VIRIDICAULIS Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 319. Comm. 232. 29. Endl. Gen. 1972, Sppl. I. 1971/1 et /2, Sppl. III. 1971/2. *Albersia* Knth. haud diversa, vid. adnot. ad *A.* (*Albersiam*) *oleraceum* L. — *Scleropus* Schrad. differt calyce 3-phyllo, staminibus 3, fructu indehiscente, sed irregulariter rumpente, compresso granuloso-tuberculato floribusque ♂ solitariis; — *Menges* Wlp. flore staminigero solitario inter pistilligeros, stamine 1 in axilla squamulae, calyce pistilligero monophyllo, stigmatibus 3, fructu indehiscente; — *Chamissoa* Knth. Endl. Gen. 1973 differt floribus hermaphroditis, staminibus basi in cupulam bidentatam connatis, seminibus arillatis.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 540. Sprg. Syst. Veg. I. 929. Hsskl. Catal. 385.a. 3. B.

Varietas α. *rubricaulis* Hsskl. l. c. Diagn. nov. 79 caule differt nunc procumbente, basi luride viridi, versus apicem et ramis laete purpureis; *Blitum spinosum* Rmph. amb. V. 234 (false a me Catal. l. c. ad priorem varietatem citatum) t. 83 f. 1, icon pessima. — Var. γ. *pygmaeus* Hsskl. l. c. caule humili, ramis brevibus coarctatis, sub-procumbentibus differt. — Nomen sundense: *Séngang mónjet lötik,* i. e. Amar. simiarum minor.

Descrpt. Herbae annuae, in ruderatis totius *Javae occidentalis* haud nimis elatis vilissimae et *Séngang tjútjuk* s. *Bájem dúri*, i. e. Amar. spinosus dictae, glaberrimae; *caulis* erectus, laete viridis robustus, 2—3 poll. altus, ramosissimus; *rami* erecti subteretes ramosi spinosi; *petioli* alterni erecti, semi-teretes supra canaliculati, albidi, 0,5—3,0 poll. longi, versus apicem attenuati et in nervum medium albidum transeuntes, glaberrimi; *folia* ovato-, s. oblongo-lanceolata, ramulorum oblongo-lanceolata, multo minora, acuta, apice subretusa aut emarginata, ibique mucrone instructa, basi acuta aut in petiolum attenuata, margine repanda, subundulata; supra opaca in nervis lateralibus parallelis et nervo medio

leviter sulcata, subtus sublucida, nervis prominulis albidis, 2,5—1,0 poll. longa, 0,6—1,2 poll. lata; *flores* glomerati; *glomeruli* aut in axillis foliorum sessiles, basi bractea spinescenti suffulti, multiflori, aut in spicam simplicem 1,5—3,0 poll. longam, aut ramosam, subpaniculatam, laxam, versus apicem caulis aut ramorum elongatum subnutantem interrupte congesti, oliganthi; *bractea* primo erecta, dein patentissima, in spinam mutata rigidam acutissimam, e basi lata attenuatam viridem, apice diaphanam, 0,4 poll. longam, e glomerulis in axilla foliorum plerumque geminis nunc ternis *bracteae* spinescentes binae aut ternae, in spicis minores et rariores et minus spinescentes; *glomeruli* e cymis abbreviatissimis, dichotomis constantes, inferiores axillares pistilligeri, spicarum superiores staminigeri; *bracteolae* ad basin floris singuli ternae oblongae, hyalinae, nervo firmo viridi percursae, in apicem subuliformem continuo; in ♂ e basi ovata, hyalina, tenerrima, longe rigideque subulatae, 0,1 poll. longae; *flores* ♀: *calyx* 5-phyllus; *foliola* hyalina, nervo viridi percursa, subaequalia, *interiora* paullo minora et angustiora, *externa* lanceolata, nervo supra apicem acutum elongato subulata, *interiora* obovato-cuneata, nervo paullo minus prominulo subulata, ante anthesin conniventia, in et post anthesin erecta; *germen* oblongo-subglobosum sessile uniloculatum, in stylum brevem crassum continuum; *stylus* supra basin bipartitus (aut potius stigmata bina); *laciniae* subulatae versus apicem divergentes, attenuatae et subreflexae, facie interiore stigmatosae, papilloso-pilosae; *gemmula* solitaria sessilis; *flores* ♂: *calyx* 5-partitus; *laciniae* ante anthesin conniventes, in anthesi patentes, ovatae s. ovato-oblongae, acuminatae, hyalinae, glaberrimae, lucidae, nervo crassiori viridi percursae et subulatae; exteriores subcompresso-naviculares majores; *stamina* 5 laciniis calycinis aequilonga; *filamenta* subulata, antheris subaequilonga, laciniis calycinis opposita, basi crassiora, erecta, albida; *antherae* oblongae paullo infra medium insertae erectae, in anthesi exsertae, utrinque bifidae; loculi dein utrinque divergentes, primo paralleli lineares, rima longitudinali de-

hiscentes; *pollen* flavescenti-albidum, globosum; *pistilli* rudimentum nullum; *fructus* monospermus indehiscens scariosus, demum basi circumscissus deciduus; *semen* erectum, lenticulari-orbiculare compressum, nigrum, nitidum; *embryo* annularis, *albumen* farinosum candidum cingens albidus. — Per totum annum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

325. CHAMISSOA (ALLMANNIA) JAVANICA HSSKL.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 319. Comm. 231. 27 et 28. Endl. Gen. 1973 et Sppl. I, ubi *Allmannia* a *Chamissoa* summo jure solis stigmatibus crassioribus haud distincta habetur. *Zollinger* (Natuur. et Geneesk. Archief v. Ned. Ind. I. 599 *) et II. 214) genus novum anonymum ex hac planta constituit et arillum membranaceum subliberum, ad medium seminis tangentem dixit, qui in vivis autem carnosus reperitur et liber, basin tantum seminis cingens. — *Psilotrichum* Bl. sat affine, differt autem foliis oppositis, stylo indiviso, stigmate capitato, et fructu haud circumscisso.

Char. Spec. cf. Zolling. ll. spr. cc.

Descrpt. Herbae annuae, glaberrimae, in ruderatis et ad vias publicas prope *Bidara-tjina* (et *Tangerang* provinc. *Batav.* Zoll. et *Javae orientalis* Zoll.) vulgares, carnosulae; *caulis* procumbens, pariter ac *rami* pallide virides, geniculati, teretes, subangulati, glaberrimi, lucidi; *stipulae* nullae; *folia* alterna carnosula, elliptico-, s. oblongo-lanceolata, aut spathulata, obtusa aut acutiuscula, basi longiter attenuata, fere semiamplexicaulia, 1,5—2,5 poll. longa, 0,5—1,0 poll. lata, utrin-

---

*) „Nov. Gen.? (Tribus *Amarantearum*). Flores hermaphroditi 3-„bracteati; perigonium pentaphyllum, foliolis lanceolatis; stamina 5, ima „basi connata; filamenta filiformia subsubulata; antherae 2-loculares; „staminodia interjecta nulla; ovarium uniloculare 1-ovulatum, stylus sim-„plex; stigma biglobulatum; utriculus evalvis, operculo stylo persistente „coronato, transversim dehiscens 1-locularis, 1-spermus, perigonii foliolis „liberis erectis nudis cinctus; semina atra compressiuscula, ovata, acuta, „testa crustacea tecta, arilla membranacea, sublibera, biloba usque ad „medium cincta, lobis obtusis, latiusculis, subplicatis. — Herba ramosis-„sima geniculata, nodis tumidis; folia alterna lanceolato-spathulata; flo-„res terminales capitati; bracteis scariosis, acuminatissimis suffulti, acu-„mine scabro. — Cresc. in agris apricis prope *Tangerang* prov. *Batavia.* „— Genus inter *Trichinium* et *Ptilotum* R. Br. ponendum ob utriculum „liberum et fabricam seminis arillaeque ab affinibus distinctissimum. Re-„peri etiam et satis frequens ad vias et in arenosis planitiei australis „prov. *Probolingo* et *Besuki* mensibus Januario et Februario 1845."

que glaberrima, dein flaccida, integerrima; *capitula* in prima intentione terminalia, subsessilia, bracteis imbricatis nitidis, flores obtegentibus, dein ramo axillari excrescente lateralia, pedunculata, patentia, hemisphaerica aut ovato-globosa; *pedunculi* in prima juventute una cum summo ramulorum apice pilis et aculeolis minutissimis, antrorsis obsessi, dein glabrati, 0,5—1,5 poll. longi, subangulati virides; *capitula* e cymis subsessilibus trichotomis 5—7-floris composita, ramis brevissimis iterum trichotomis; *bracteae* plurimae ad ramificationem quamque et inde ad florem intermedium quemque solitariae et dein sub flore ultimo quoque binae lateralcs et una intermedia exterior et inde in cyma 7-flora 15 subscariosae ovato-lanceolatae, longiter acuminatae, subulatae, margine tenuissimo albescenti, nitidae, nervo medio viridi percursae, subcarinatae, ad carinam et subulam minutissime antrorsum serrulatae, floribus arcte adpressae, cum subula 0,2 poll. longa, intermedia quaque suis collateralibus paullo latior et robustior; *flores* sessiles; *calyx* 5-phyllus; *foliola* margine tenuissima, membranacea, hyalina, lucida, nervo medio sat crasso viridi percursa, 0,2 poll. longa, 0,05 poll. lata, cum bracteis in anthesi erecto-patentia, ante et post anthesin conniventia persistentia; *stamina* 5 foliolis calycinis opposita eisque vix breviora; *filamenta* albida, lucida, ima basi in cupulam 0,02 poll. altam connata, sinubus obtusis, sterilia nulla, fertilia filiformia, subulata erecta; *antherae* oblongae, kermesinae, introrsae subversatiles supra basin insertae, utrinque leviter bifidae, 2-loculatae; *loculi* contigui paralleli; *pollen* albidum, globosum; *germen* oblongum viride vix complanatum, glabrum, uniloculatum; *gemmula* unica sessilis; *stylus* staminibus paullo brevior albidus persistens; *stigma* capitato-bilobum, lilacinum, lobis obtusiusculis crassis subclavatis, intus papillis, cylindricis, apice subclavatis obsessis; *fructus* calyce persistente immutato, primo conniventi dein patulo cinctus oblongus, stylo toto aut ejusdem rudimento apiculatus, apice subcomplanatus, viridis, glaber, calyce minor, versus basin sub-5-gonus, monospermus, dein supra basin circumscissus, opercu-

latim dehiscens; *semen* atrum, lenticulare, laeve, basi arillo libero albido, dein nigro, carnoso, crasso, sat magno, bilobo basi suffultum, cum hoc 0,1 poll. altum, sessile, operculo demisso persistens; *testa* crustacea fragilis; *embryo* annularis subspiralis, albumen albidum centrale cingens; *radicula* versus basin seminis hilum spectans, curvata, cylindrica; *cotyledones* semi-cylindricae, applanatae, juxta radiculae apicem denuo inflexae. — Mensibus Januario et Februario flores fructusque gerentem reperi 1846.

326. DEERINGIA INDICA Sprg.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1978. Msn. Gen. 319. Comm. 232. 34.
Char. Spec. cf. Sprg. Syst. Veg. I. 816. Roem. et Schlt. V. 535 citat. Retzii.

Descrpt. Frutex erectus, ramosissimus, 5 ped. altus; *rami* profusi penduli, teretes tomentosi; *folia* alterna, ovata, acuminata, integerrima, glabra, nec laevia; *petioli* supra leviter canaliculati, 1,0 poll. longi, patenti-deflexi; *spicae* ad apicem ramorum axillares aut terminales, numerosae; *pedunculi* tomentosi, elongati; *flores* plurimi breviter pedicellati, tribracteati; *calyx* intus corolloideus; foliola 5 concava, patentissima; *stamina* 5; filamenta erecta, basi dilatata in annulum connata, apice filiformi-subulata; *antherae* ovatae, basi subcordatae, supra basin dorso affixae, biloculatae; *germen* conico-oviforme uniloculatum; *gemmulae* 5 receptaculo centrali affixae; *stylus* subnullus; stigmata 3 elongata; *fructus* carnosi, coccinei, siccando nigri, 3—5-spermi. — Nomen sundense hujus ac sequentis speciei: *Tángtang ángin*, i. e. lusus ventorum.

327. DEERINGIA CELOSIOIDES R. Br.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 1978 et Sppl. I.
Char. Spec. cf. R. Br. Prdr. I. 269. Hsskl. Dec. I. 4.

Descrpt. Frutex 5—6 ped. altus, ramosissimus, debilis; *rami* complanati; ramuli teretes, virides, glabri; *folia* alterna petiolata, oblonga, utrinque attenuata, apice acuminata, 7 poll. longa, 2,5—3,0 poll. lata, utrinque glabra, in-

tegerrima, subundulata; *petioli* erecto-patentes, 2 poll. longi, teretes; spicae axillares; *flores* subsessiles, bi—3-bracteolati; *bracteola* intermedia minima; *calyx* 5-phyllus persistens; foliola ovata, intus corolloidea, albescentia, margine nigrescentia, in anthesi erecta, dein conniventia, utriculo adpressa; *stamina* 5 foliolis opposita; *filamenta* in cyathulum 5-dentatum connata, dentes apice antheriferi; *antherae* biloculatae, ovatae, insidentes; *germen* superum, liberum, subglobosum, uniloculatum; *gemmulae* plures; stylus brevis 2—3-fidus; *stigmata* 2—3 plumosa; fructus carnosi, 1-loculati, albido-diaphani, depresso-globosi, polyspermi, calyce patente persistente suffulti; *semina* receptaculis centralibus affixa, nigra, nitida.

PORTULACACEAE JSS.

328. PORTULACA QUADRIFIDA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 5174. Msn. Gen. 130. Comm. 94. 2. Wght. et Arn. Prdr. I. 355. DC. Prdr. III. 353, germen et fructus autem haud subglobosi, sed conici foliaque opposita nec sparsa.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. III. 354. 9. Wght. et Arn. Prdr. I. 356. 1108. Wlp. Rprt. II. 233. 1, sed stylus apice 3-fidus! — cf. *P. australis* F. Bauer Wlp. l. c. 234. 12.

Descrpt. Herbae annuae, in viis hortisque Javae totius vulgatissimae et Bataviae: *Sellang passier*, i. e. *Portulaca arenaria* dictae, humifusae, repentes, ramosissimae, solum longinque totum obtegentes tenerrimae, succulentae, rubentes; *caulis ramique* di-, rarius 3-chotome ramosi, teretes, 3—6 poll. et ultra longi, glaberrimi, subrosei, articulati, nunc subgeniculati; *internodia* 0,1—0,6 poll. longa, ad nodos solum versus fibrillas tenerrimas proferentia; *folia* opposita, cruciata, patentia, plerumque autem in ramis procumbentibus semiflexa, uti superficies supernae omnes coelum spectant, carnosa, *petiolo* tereti, albescenti brevissimo — nunc subnullo — suffulta, oblonga aut ovalia, rarius summa anguste oblonga, utrinque acutiuscula, integerrima, supra convexa, atroviridia (in locis apricis, solis radiis valde expositis, lateritia), punctulis minutis excavatis pulcherrime notata, subtus plana,

pallidiora, utrinque lucida, glaberrima, 0,25—0,10 poll. longa, 0,11—0,05 poll. lata, sat crassa, carnosa; *annulus* pilorum axillarium ad basin internodiorum stipularum loco; *pili* cavi, haud articulati, candidi, erecti, subflexuosi, dein evanescentes; *flores* in ramulis terminales, sessiles, solitarii, foliis 4 subverticillatis suffulti et pilorum annulo longorum sericantium cincti; *calyx* pilis hisce obtectus, membranaceus, tenerrimus; *tubus* basi germini adnatus; *limbus* bipartitus; *laciniae* ovatae, concavae, flavescenti-hyalinae, acutiusculae, petalis adpressae, deciduae; *corolla* lutea, horis meridianis aperta, secunda hora postmeridiana jam clausa, calycem duplum longa, patula, ejusque fauci inserta, 4-petala; *petala* ima basi connata, obovato-oblonga, acutiuscula, 0,15 poll. longa, 0,07 poll. lata, cum calycis limbo decidua; *stamina* 8 cum petalis inserta, iisque ima basi adnata, pistilli longitudine, erecta, conniventia; *filamenta* sulfurea, filiformia, apice subulata, alterna paullo longiora, breviora petalis opposita; *antherae* ovatae, utrinque bilobae, 2-loculatae, incumbentes flavae; *loculi* paralleli, connectivo breviori inaequaliter inserti, rima longitudinali dehiscentes; *pollen* pallide flavescens, globosum, laeve, sat magnum; *germen* ima basi calyci adnatum, vertice conico liberum, glabrum, lucidum, pallide viride, 1-loculatum; *stylus* sat longus, 0,15 poll. longus, cylindricus, versus apicem clavatus, sulfureus, deciduus, apice 3-fidus; *laciniae* 3 reflexae, papillosae, stigmatosae; *gemmulae* plures (9—15) in centro germinis, basi-fixae, funiculo gemmulis subaequilongo, erectae, subreniformi-obovatae; *fructus* rubentes membranacei, conici, ima basi ad verticem liberum circumscissi, 1-loculati, polyspermi; *semina* receptaculo centrali sessili subgloboso minuto inserta; *funiculi* tenues, centrales longiores, 0,1 poll. longi, peripherici breviores, vix 0,05 poll. longi, albidi, decidui; *semina* badia, compressa, orbiculato-subreniformia, pulcherrime tessellato-tuberculata, tuberculis rotundatis, ad hilum strophiola hemisphaerica, munita, subcarnosa, parva; *embryo* periphericus, albumen cingens. — Per totum annum floribus fructibusque abundat. — 1846.

STAPHYLAEACEAE BRTL.

329. DALRYMPLEA JAVANICA Hsskl.

Char. Gen. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 156, qui genus hocce nondum certe distinctum habent a *Turpinia* Vnt. Endl. Gen. 5671. Msn. Gen. 67. Comm. 48, 3, uti et ego nostram speciem a *Turpinia* sejungere haesitavi. *Hasskarlia* Msn. Gen. add. 348. 2/2, solo stylo mihi subtridymo W. et A. in partes 3 separabili opponente!

Char. Spec. *T.? sphaerocarpa* Hsskl. Wlp. Rprt. II. 826. V. 401, cui addenda: foliis nunc crenulato-serratis, nunc serrulatis; fructus violacei diametro 0,5 pollicari. A *D. pomifera* Rxb. (*Turpinia* W. et A. Prdr. I. 156. 491. Wlp. Rprt. I. 529. 1) nostra differt: foliolis plerumque pluribus, latioribus et minus acuminatis, stylis haud distinctis sed coadunatis, gemmulis plerumque plus quam 2—3 in germinis loculo quoque, et fructu multo minore, in *D. nepalensi* pomiformi, in *D. microcarpa* Hsskl. (Turpinia W. et A. l. c.) persicaeformi! — Quid *D. pomifera* Rxb. Cor. III. 279. Lond. Hrt. Britt. No. 25131?

OENOTHEREAE ENDL.

330. JUSSIAEA REPENS L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 120. Comm. 85, 3. Endl. Gen. 6109. Wght. et Arn. Prdr. I. 335, sed flores nostri toti 5-(nec 4—6-)meri; stamina haud cum petalis, sed postea decidua (Wght. et Arn.); stylus filamentis longior, nec brevis. (W. et A., Msn.)

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 335. 1040. Wlp. Rprt. II. 72. 1, qui jure censent *J. fluviatilem* Bl, DC. Prdr. III. 54. 13 haud a *J. repente* L. DC. l. c. 14 sejungi posse; *vesiculas* W. et A. vid. infra radices natatorias.

Descrpt. Herbae perennes in inundatis et lacubus prope Bataviam frequentissimae natantes, in desiccatis ad lacuum margines repentes, a Malaiis *Ga-gabus-an*, i. e. nutrimentum piscis *Gabus* nuncupatae.

Forma fluitans: *Caulis* teres, versus apicem sensim incrassatus, 0,2—0,4 poll. crassus, glaberrimus, nitens, pallide viridis, 4—6 ped. longus et longior, in quaque foliorum axilla ramulum adscendentem, flexuosum, 3—8 poll. longum, glaberrimum, nitidum emittens; *folia* alterna inferiora in petiolum 0,5—1,0 poll. longum, semi-teretem albido-virescentem attenuata, summa et ramea vix petiolata, ovali-oblonga aut

ovalia, ramea etiam obovata, summa (caulis apicis) majora, 2,0—2,5 poll. longa, 1,0—1,2 poll. lata, ramea rosulata 1,2 poll. longa, 0,7 poll. lata, integerrima, glaberrima, nitida, supra atro-viridia, nervis parallelis pallidioribus, margine confluentibus pulchre notata, subtus pallide viridia, nervo medio crasso albido, apice plerumque obtusa aut rotundata, nunc et praeprimis ramea retusa; in praefoliatione involuta, dein patentia et patentissima ad caulis basin persistentia; *stipulae* (nec nullae! Endl. Gen. et Ench. Char. ord.) ad utrumque petioli latus binae minutae, suborbiculares virides nitidae, glanduliformes crassiusculae, in apice subacuto rubentes, 0,07 poll. latae, 0,05 poll. longae, in ramis paullo minores, per longum tempus persistentes; utrinque ad basin petioli infra stipulas progerminant primo tubercula rosea 6—8, quae mox magis excrescunt in radices biformes; *partim* radices hae sunt valde incrassatae, mollissimae, tenerrimae, candidae, utrinque plus minus attenuatae, spongiosae, laevissimae (*vesiculae* W. et A. Prdr. I. 335. 1040) et inde fiunt radices natatoriae, 1,0—2,5 poll. longae, fusiformes, e cellulis constantes stellulatis, canales aëreas amplissimas foventibus, parenchyma spongioforme (Schld. l. c. 232 fig. 35) formantibus; *partim* radices filiformes roseae elongatae, fibrillis patentibus tenuibus ubique tectae, 4—8 poll. longae, — in inferiore caulis parte ad 20 poll. longae, sat crassae et spongiosae, ast quam radices natatoriae firmiores, totae fibrillis iterum et iterum patentissime ramosis obtectae, rubentes; e ramis nunquam radices has progredientes vidi, hinc inde autem et supra-axillares, ramum axillarem et pedunculum cingentes; *pedunculi* axillares solitarii erecti breves, plerumque una cum ramo post anthesin excrescenti, 0,6—1,3 poll. longi, teretes glaberrimi, lucidi, pallide virides, post anthesin et saepe reflexi, sensim in calycem transeuntes; *bracteolae* ad basin calycis binae minutae, suboppositae aut alternae, in alabastro 0,07 poll. longae oppositae, calycis limbum sustinentes, stipulis consimiles, sed paullo magis convexae, protuberantes, virides, persistentes; *calyx* pilis raris patentibus longis ob-

sessus, laete viridis, lucidus; *tubus* subpentagonus (in alabastro 0,07 poll. longo subnullus), 0,6 poll. longus, germini adnatus; *limbus* 5-partitus, in praefloratione valvatus; *laciniae* oblongo-lanceolatae, acuminatae, 0,35 poll. (in alabastro 0,06) longae, post anthesin persistentes patentes; *corolla* 5-petala alba, caduca; *petala* ante anthesin contorta, in alabastro 0,05 poll. longo staminibus dimidio breviora, emarginata, viridiuscula; in alabastro 0,35 poll. longo calycis laciniis 0,2 poll. longis vix breviora contorta, staminibus longiora, albida, dein patentia, calycis laciniis multo majora, 0,6 poll. longa, 0,5 poll. lata, candida, basi laete flava et subunguiculata, obcordata aut obovata, apice retusa, nervis eodem modo ac folia percursa, calycis laciniis alterna toro calycis faucem obtegenti inserta; *stamina* 10 biseriata, seriei exterioris (et in alabastro 0,07 poll. longo) breviora, petalis opposita, interioris longiora, petalis alterna, erecta, toro inserta et inter glandulas 10 per paria angulum formantes tumidas, pilis albis, longis obsessas recepta, decidua — nec autem una cum petalis, sed hisce jam diu delapsis adhuc persistentia et dein decidua; *filamenta* erecta (in alabastro 0,35 poll. longo jam inaequalia albida, subulata; interiora antheris longioribus praedita, antheris multo minora), sulfurea, filiformia, apice subulata stricta, interiora exterioribus cum antheris aequilonga (in alabastro 0,6 poll. longo nondum magis, quam in praecedente evoluta, antheris jam luteis), cum antheris stigma attingentia; *antherae* exteriores paullo minores, caeterum plane conformes, oblongae, apice leviter bilobae, luteae, basi-fixae, erectae, extrorsae, 0,06—0,75 poll. longae, longitudinaliter rima duplici dehiscentes; *pollen* globosum, sulfureum, tubercula 3 ostendens (nec 3-gonum Endl.); *germen* cylindricum, calycis tubo totum adnatum, 5-loculatum (mihi semper, nec unquam 4—6-) apice plano-convexum, glandulis 10 (vid. supra) lanatis obtectum; *gemmulae* angulo centrali insertae, horizontales, plurimae superpositae, pendulae, 1-seriatae; *stylus* sat crassus, cylindricus, versus apicem clavatus, 0,3 poll. longus, stamina longiora vix superans, pallide sulfureus, basi pilis albidis,

patentibus obsessus, deciduus; *stigma* disciforme, glutinosum, orbiculare, obsolete radiatim 5-sulcatum et sub-5-lobum; *fructus* subcylindrici, glabri, calycis limbo coronati, 1 poll. et ultra longi, 0,15 poll. crassi, 5-loculares; *semina* in loculo quoque plurima pendula, superposita, subcylindrica. — Mensibus Januario ad Majum flores fructusque gerentes vidi. — 1846.

RUBIACEAE JSS.*)

331. TESSIERA HISPIDA Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 171. Comm. 119. 209. Endl. Gen. 3130, genus valde affine *Borreriae* Meyer Endl. Gen. 3120, ubi *Endlicher* clbbr., opinionem sequens *Wght. et Arnottii* clbrri Prdr. I. 437, dissepimentum habet liberum nullum, dum Msn. coccum utrumque rima *centrali longitudinali* dehiscentem dicit; nostra coccum utrumque ostendit apice dehiscentem et a dissepimento solutum, genus alterum coccum linea ventrali, alterum verticali juxta dissepimenti insertionem ostendens.

Char. Spec. cf. Inter species Candolleanas (Prdr. IV. 555) *Spermacoce hispida* (23) maxime affinis nostra, solummodo foliis utrinque et margine scabris diversa; pariter accedit et magis forsan *S.? semi-erecta* Rxb. Ind. I. 377. 10. DC. l. c. 556. 29, toto habitu, sed foliis ovatis diversa et antheris haud exsertis; *Bigelowia lasiocarpa* Wght. et Arn. Prdr. I. 437. 1344. Wlp. Rprt. II. 464. 1, ob angulos aculeis parvis, recurvis scabros, foliaque lineari-lanceolata scabra et fructus obovato-globosos, apice hispidos diversa; — *Spermacoce hispida* L. W. et Arn. l. c. 438. 1348. Wlp. Rprt. II. 465. 2, qui et *S. scabram* DC. l. c. 24 continet, vix a nostra diversa et valde variat: β. *rubricaulis* Spanogh. accedit, cui autem stipulae glabrae, dum nostrae lanatae sunt.

Descrpt. Herbae annuae, in hortis et ruderatis prope *Bidara-tjina* prov. *Bataviae* vulgatissimae, erectae, scabrae; *caulis* inferne cruciatim ramosus et *rami* stricti, elongati, erecti, 0,5—2,5 ped. longi, superiores breviores, tetragoni, virides, inferne in latere, solis radiis exposito, sanguinei lucidi, ad angulos retrorsum lanati, dein scabrido-ciliati; *pili* hyalini, basi crassiores, cellulis parvis elevato-circumvallati, ex articulis 5—9 compositi, acutissimi, dein apice emarcidi, basi tuberculata persistente; *internodia* 1,0—3,0 poll. longa, 0,1 poll. crassa, fistulosa; *stipulae* inter se et cum petiolis viridibus

---

*) De Rubiaceis, Lonicereis et Contortis cf. Hsskl. in Flora sive Bot. Zeitung 1845. p. 225, 241, 244, 260.

0,1 poll. longis, 0,06 poll. latis, in vaginam brevem, 0,1 poll. longam, utrinque inter petiolos tenuissimam, membranaceam, albidam, longiter setoso-ciliatam, extus lanatam connatae; *setae* utrinque 6 sat rigidae, lucidae, 0,15—0,25 poll. longae, pilis patentibus raris obsessae, acutissimae, albescentes; *folia* opposita, *inferiora* obovato-oblonga, *superiora* elliptico-oblonga, *summa* anguste oblonga, margine subrecurva, aculeolato-scabriuscula, basi attenuata, apice acuta, 1,0—1,6 poll. longa, 0,3—0,6 poll. lata, utrinque puberula, supra laete viridia, subtus albescentia, nervorum paribus 3—5 erecto-patentibus percursa, nervo medio subtus valde prominulo; *flores* in axillis foliorum sessiles, plerumque 3-ni, nunc 2—1, nunc imo plures 4—6; bracteolis setiformibus rigidis, albidis, quam calyces longioribus interstincti, lateralea bracteis foliaceis 0,3 poll. longis, 0,1 poll. latis, viridibus suffulti; *calyx* viridis, pilis adpressis, antrorsis, densis sericeo-lanatus; *tubus* germini adnatus, turbinatus, 0,07 poll. longus; *limbus* 4-partitus; *laciniae* erectae, lineares, acuminatae, ciliatae, virides, 0,1 poll. longae, persistentes, in fructu immaturo conniventes, dein patentes; *corolla* epigyna exserta infundibuliformis primo albida, deflorata marcescens lilacina, 0,2 poll. longa; *limbus* 4-lobus; *lobi* ovati, acuti, ciliati, patentes; *stamina* corollae tubo ad faucem inserta 4, exserta; *filamenta* erecta, lobos aequantia, iisdem alterna, albida, filiformia; *antherae* albidae, dein uti filamenta lilacinae, ovato-oblongae, introrsae, apice subemarginatae, 2-loculatae; *connectivum* sat latum, apice prominulum *); *loculi* oblongo-lineares, utrinque obtusi, paralleli, nec contigui! — *pollen* albidum, globosum, sat magnum, fovilla copiosa foetum; *germen* calycis tubo adnatum et ejus limbo persistente vegeto coronatum, biloculatum; *gemmula* in loculo quoque solitaria; *stylus* albidus, teres, glaber, versus apicem minutissime tuberculatus; *stigma* albidum, subcapitato-bilobum, lobis planis, ovatis, obtusis;

---

*) Dein in aqua submersum, sub lente visum, post pollinis effoectionem apice poro apertum ibique cristallos tenuissimos (rhaphides) sat copiosos, succedaneos ejaculans.

introrsum papillis obtusis, densis, obsessis; *fructus* calycis limbo persistente coronatus, obovatus, complanatus, basi glabriusculus, supra medium villosus, bilocularis, bivalvis; *septum* tenuissimum, membranaceum, ovale, persistens, valvis parallelum, dein ad medium in laminas binas solutum, margine rigidiore cinctas; *valvae* oblongae, concavae, ultra medium fissae, patentes, basi connatae, persistentes, 3-nerviae, 0,15 poll. longae, coriaceae, dein apice in nervo medio leviter bifidae, laciniis calycis lobo uno terminatis divaricatis; *loculi* monospermi; *semina* badia lucida, 0,12 poll. longa, 0,02 poll. lata, oblonga, semi-teretia, utrinque obtusa, facie interna plana et sulco longitudinali notata, albuminosa; *albumen* copiosum, corneum, rubiginosum, embryonem centralem amplectens; *embryo* tenuis seminis latitudine, valvis parallelus, erectus; cotyledones oblongae, adplicativae; *radicula* minuta. — Mensibus Januario ad Martium flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

332. DENTELLA REPENS Frst.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 160. Comm. 114. 48. Wght. et Arn. Prdr. I. 405. Endl. Gen. 3238; calycis limbus tubulosus 5-fidus, denticulis interjectis parvis; corollae tubus calycis limbo duplo, nec pluries longior, intus totus (nec solummodo versus basin Wght. et Arn. Msn. Endl.) pilis longis sparsis obsitus; bacca? haud calycis lobis, sed ejus limbo tubuloso cum dentibus vegeto coronata.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 405. 1246. Endl. Gen. 3238, sed stipulae haud inciso-serratae; folia basi haud ciliata et pedunculi subnulli! an varietatis typus? — Rmph. amb. VI t. 170 f. 4.

Descrpt. Herbae annuae, repentes, in hortis et ruderatis prope *Bataviam* ad mille ped. supra mare altitudinem vulgares, tenellae; *caulis* dichotome ramosus; *rami* a basi radiatim prorepentes, 3—10 poll. longi, glabri, teretes, sub-4-sulcati, glabri, sublucidi; *internodia* 0,5—1,3 poll. longa; *stipulae* cum petiolorum basibus in vaginulam brevissimam, scarioso-membranaceam, ovato-rotundatam, adpressam, dein emarcido-evanidam connatae; *folia* opposita, spathulato-oblonga, aut oblongo-lanceolata, aut lineari-lanceolata, basi in

petiolum brevem attenuata, apice acuta aut obtusa, integerrima, carnosula, glaberrima, summa in nervo medio subtus hinc pilis raris obsessa, 0,4 — 0,2 poll. cum petiolo longa, 0,06—0,15 poll. lata, patentia, laete viridia, subtus vix pallidiora; *flores* axillares sessiles, erecto-patentes; *calycis tubus* subglobosus, parvus, 0,04 poll. longus, e papillis albidis sat crassis, apice clavatis, minutissime verruculosis incano-tomentosus, germini adnatus; *limbus* tubulosus, tubo multo longior, 0,1 poll. longus, erectus, extus pilis albis, longis, patentissimis, sparsis, apice clavato-incrassatis obsitus, persistens, laete viridis, 5-fidus; *laciniae* crassiusculae, pilis nunc descriptis sat longis ciliatae, angusto-lanceolatae, acuminatae, in limbi tubum decurrentes; *tubus* inter strias latas, virides membranaceus, hyalinus, tenuissimus; sinus inter lacinias plerumque denticulo minuto praediti, acuti; *corolla* albida, gamopetala, exserta, 0,2 poll. longa, infundibuliformis; *tubus* extus viridiusculus, erectus, glaber, sublucidus, versus faucem sensim inflatus, intus pilis longis, basi tenuissimis, sensim in apicem clavatum, obtusum incrassatis, e membrana tenuissime et densissime spiraliter striatis obsitus, striis 15 viridi-flavescentibus, longitudinalibus percursus; *limbus* patens 5-partitus, albidus; *laciniae* ovatae, sub-3-lobae, altero latere profundius incisae, lobo medio triangulari acuto, lateralibus rotundatis plerumque inflexis; *stamina* 5, ima basi corollae inserta, inclusa, brevissima; *filamenta* stricta, tenuissima, capillaria, dein flexuosa, 0,1 poll. longa; *antherae* albidae, introrsae, supra basin leviter bifidam insertae, lineari-oblongae, effoetae, subsagittatae, biloculatae; *loculi* paralleli, lineares, connectivo tenui sejuncti; *pollen* globoso-ovale, albidum, laeve, fovilla copiosa foetum; *germen* subglobosum, calycis tubo adnatum, vertice liberum, disco glanduloso tectum, biloculatum, tenue, utrinque in medio receptaculum (placentam) hemisphaericum, subcarnosum, peltatum gerens; *gemmulae* plurimae receptaculum totum obtegentes, minutae; *stylus* brevis cum stigmatibus 0,7 poll. longus, crassus, versus apicem clavato-incrassatus; *stigmata* bipartita, crassa, semi-

teretia, papillis pilis tubi calycis similibus sed brevioribus tota obsita, stylo longiora; fructus carnosulus indehiscens, siccus, subglobosus, extus pilis papilliformibus (supra descriptis) dense tectus, apice limbo persistente, vegeto, tubuloso coronatus et inde facie externa ovoideus, apice 5-dentatus, dentibus erectis, 2-loculatus; dissepimentum tenue; receptacula crassissima, hemisphaerica, peltata, undique semina gerentia; *semina* plurima sessilia, nigrescentia, angulata, scrobiculata, basi cuneata. — Per totum annum praeprimis autem per tempus pluviosum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

333. HEDYOTIS (OLDENLANDIA) BURMANNIANA R. BR.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 160. Comm. 114. 49. Endl. Gen. 3240. — *Oldenlandia* L. vix fructu apice paulo et serius dehiscente diversa; *Euhedyotis* differt calycis sinubus angustis, corollae fauce pilosa et seminibus paucis; — *Anotis* DC. Arn. differt sinubus calycis acutis, corollae laciniis tubo brevioribus, fructu coriaceo, subcrustaceo, oligospermo; — *Karamyschewia* Fisch. et Mey. Endl. Gen. Sppl. I. 3240/1. Msn. add. 360. 49/1 calycis laciniis denticulis interjectis praeditis, corollae fauce barbata, fructuque indehiscente diversa.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 415. 1270. Wlp. Rprt. II. 499. 66; e pedunculis singulis abbreviatis 2—4-floris transitum format in *H. alsinaefoliam* R. Br. Wlp. l. c. 65. Wght. et Arn. l. c. adnot. ad *H. intermediam* W. et A. 1269.

Descrpt. Herbae annuae profusae, basi saepe repentes, in hortis et ad vias ubique vulgares prope *Batuviam* glaberrimae; *caulis* gracilis articulatus, geniculatus, ramosissimus et *rami* apice adscendenti-erecti, teretes, glabri, laete virides; *internodia* 0,5—1,2 poll. longa, 0,2 poll. crassa; *stipulae* cum petiolis et inter se in vaginam membranaceam connatae 0,07 poll. altam, caulem amplectentem, apice utrinque 1-, plerumque 2-dentatam; *dentes* minuti, subulati, patentes; *folia* opposita cruciatim disposita, patentia, lineari-lanceolata, utrinque acuminata, 0,6—1,2 poll. longa, 0,1—0,2 poll. lata, *infima* subreflexa, obovato-cuneata, acuta, multo minora, *omnia* integerrima, margine minutissime serrato-aculeolata, uninervia, supra atro-viridia, lucidula, subtus pallidiora, nervo paullo prominulo; *pedunculi* axillares solitarii,

plerumque uniflori, rarius umbellatim 3—4-flori aut tum abbreviati, spurie 2—4-ni glomerulati, patentissimi et lateraliter flexi, ita ut interfoliacei videantur; ante anthesin apice cernui, in anthesi apice adscendentes; *fructiferi* patentes stricti graciles, teretes, capillares, folio multo minores 0,1—0,3 poll. longi; *calyx* viridis, 0,07 poll. longus; *tubus* subglobosus, subcompressiusculus et utrinque leviter sulcatus et inde subdidymus lucidulus; *limbus* tubum (in anthesi) longitudine aequans 4-, rarius 5-fidus (in eodem fere semper ramo); *laciniae* ovato-lanceolatae, acuminatae, ante anthesin valvatim conniventes, in anthesi erecto-patentes, angulo acuto dinstinctae, binae suturis oppositae, binae alternae, in 5-fidis ternae iis interpositae, in fructu persistentes, erectae, apice subpatentes, vegetae, sinu obtuso sat lato distinctae, aculeolato-ciliatae; *corolla* gamopetala, exserta, candida, ante anthesin valvata, subtetragona, 0,1 poll. longa, infundibuliformis; *tubus* cylindricus, 0,05 poll. longus, calycis lacinias paullo superans, utrinque glaber; *limbus* 4-partitus (et in floribus calyce 5-fido!); *laciniae* oblongo-lanceolatae, acutae, tubum aequantes, primo conniventes, in anthesi patentes; *stamina* 4 fauci tubi inserta, calycis laciniis opposita, corollae laciniis alterna; *filamenta* brevia filiformia, albida, erecta; *antherae* introrsae, ovato-oblongae, apice connectivo lineari prominulo apiculatae, basi bilobae, supra basin dorso affixae, albidae, biloculatae; loculi paralleli connectivo sejuncti longitudinaliter dehiscentes; *pollen* albidum, globosum, laeve, sat magnum, fovilla copiosa foetum; *germen* calycis tubo toto adnatum, vertice liberum, disco glanduloso tectum; medio transverse sulcatum, sulco septo continuo, biloculatum; *septum* tenue transversum medio utrinque receptaculum hemisphaericum (placentam) peltatum gerens; *gemmulae* plurimae subquadrato-oblongae, receptaculo insertae, sessiles, idque totum obtegentes; *stylus* albus in sulco insertus filiformis, apice clavatus, bifidus; *laciniae* obovato-cuneatae, crassiusculae, extus subsulcatae, apice obtusae, versus apicem stigmatosae, in fauce inter antheras exsertae; *papillae* cylindricae, apice subclavatae,

hyalinae, intus et extus apicem laciniarum stigmatum obtegentes; *fructus* styli rudimento vix apiculatus, subglobosus, subdidymus, transversim latus, 0,09 poll. altus, 0,11 poll. latus, 0,08 poll. crassus, biloculatus, calycis laciniis coronatus, in vertice emarginatus, vix transverse bivalvis; *valvae* septigerae; *receptacula* bina, hemisphaerica, septo tenuissimo interstincta, crassa, tota seminibus plurimis periphericis tecta; *semina* obovato-cuneata, angulata, minuta. — Mense Martio et Aprili flores fructusque gerentes reperi 1846.

334. HEDYOTIS (OLDENLANDIA) RACEMOSA LAM.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 414. 1266. Wlp. Rprt. II. 498. 61, sed differt nostra a descriptione sectionis §. 2 corollae fauce glabro; an *H. biflora* R. Br. Wght. et Arn. l. c. 413. 1265. Wlp. Rprt. l. c. 60 jure sejungenda species? — an non *H. ramosissima* Bl. Bijdr. 972, a clss. DC. Prdr. IV. 427. 30 ad *Oldenlandiam alatam* Koen. ducta, majori jure huc referenda?

Descrpt. Herbae annuae, *juveniles* 3,0 poll. altae, erectae; *seniores* basi procumbentes, in hortis et ruderatis prope *Bataviam* vulgatissimae, glaberrimae, dichotome ramosissimae; rami 6,0 poll. longi, tetragoni, subtorti, rubentes; *internodia* 0,4—1,0 poll. longa; *stipulae* cum petiolorum basi in vaginam latam brevem connatae, apice utrinque bifidam, setis accessoriis 1—2 praeditam; *laciniae* subulatae, subreflexae; *petioli* oppositi breves, vaginis longiores, 0,1—0,3 poll. longi, plani; folia patentia in juvenilibus majora elliptica aut ovato- s. ovali-oblonga, summa ovata, acuta, basi in petiolum plus minus attenuata, subtus nervo medio acuto subcarinata, 1,0—0,8 poll. longa, 0,3—0,5 poll. lata, nervorum lateralium oppositorum paribus 3—4 erecto-patentibus, vix prominulis, subcarnosa, integerrima, margine minutissime aculeolato-ciliato-scabriuscula, laete viridia, supra sublucida, subtus pallidiora; summa et speciminum seniorum plerumque ovata aut subrotundo-attenuata, acuta, nunc obtusa, 0,6—0,3 poll. longa, 0,3—0,2 poll. lata; *pedunculi* axillares aut terminales in juvenilibus 1—2—3-flori, nunc subcymosi 5-flori, in

senioribus dichotome racemosis; *racemi* basi nudi elongati 2—5 poll. longi; flores succedanei fastigiati; *bracteae* ad ramificationes lineari-subulatae, virides adpressae, 0,1 poll. longae, nunc in senioribus inferiores foliaceae persistentes; pedicelli tenues patenti-divergentes, 0,2—0,3 poll. longi tenues, graciles, virides; *calyx* viridis turbinatus, subtetragonus, 0,03 poll. altus; tubus germini adnatus basi attenuatus, limbus 4- (rarius5-)fidus; *laciniae* ovatae, acutae, carinatae, angulo in anthesi acuto distinctae, in fructu persistentes vegetae, sinu obtuso aut rotundato lato distinctae, erectae; *corolla* horis meridianis aperta, rotato-infundibuliformis, albido-lilacina, parva; *tubus* subglobosus fauce paullo constrictus, laciniis calycinis vix longior, fauce nudus; *limbus* 4-partitus patens; *laciniae* ante anthesin valvatim conniventes ovato-oblongae, acutae, subconcavae, basi paullo attenuatae, papillis conicis, densis totae tectae, tubo longiores, cum tubo 0,01 poll. vix longae; *stamina* 4, corollae tubo infra medium inserta inclusa; *filamenta* brevia, tenuissima, filiformia, albida, erecta, apice attenuata, subconniventia; *antherae* introrsae, caesiae, subgloboso-ovatae, basi bilobae, apice connectivo prominulo apiculatae, biloculatae, supra basin dorso insertae; *loculi* oblongi, subcontigui, paralleli, connectivo tenui vix disjuncti; *pollen* albido-flavescens, globosum, sat magnum, laeve, fovilla copiosa foetum; *germen* calycis tubo adnatum, vertice ab eo liberum, disco glanduloso tectum orbiculari, sulco mediano notato, 2-loculatum; *septum* tenue medio utrinque receptaculum (placentam) peltatum, hemisphaericum gerens, tota superficie gemmuliferum; *gemmulae* subquadrato-oblongae, basi paullo attenuate; *stylus* sat crassus, teres, brevis, 0,03 poll. longus, apice paullo incrassatus, bifidus; *laciniae* semi-teretes obtusiusculae, erectae, vix patentes, intus totae stigmatosae; *fructus* membranaceus, turbinatus, vix angulatus, transverse latus, compressus, 0,1 poll. altus, 0,12 poll. latus, 0,06 poll. crassus, in vertice libero exserto, emarginato, sulco septum obtegente et carina, septo transversa, acuta notatus ibique dein loculicide bivalvis, extus utrinque bisulcatus in latere

latiore; *semina* plurima nigrescentia, angulata, scrobiculata, supra receptacula hemisphaerica, dein emarcido-evanida, sessilia. Una cum specie praecedente flores fructusque gerit. 1846.

335. HEDYOTIS (GONOTHECA) ALATA KOEN.

Char. Fam. cf. Msn. Gen. 156, corolla autem in praefloratione valvata, carinato-complicata, nec imbricata, nec stipulae vaginantes adsunt.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 160. Comm. 114. 49.ª Endl. Gen. 3239, *antherae* semper 4 subsessiles; stigmata semi-teretia (nec linearia); — cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 405 et 413. Sct. 5. §. 2. Wlp. Rprt. II. 498. Sct. VII. §. 2, qui genus: *Gonotheca* cum *Hedyotide* conjungunt, calycis autem turbinati 4-alati forma, limbus calycis tubulosus, stamina basi corollae imae inserta, stylus brevissimus, fructus apice haud bivalvis aut 4-valvis diversum forsan characterem praebent, dum W. et A. stylum robustum, stigma stylo haud crassius, et fructum bialatum laudant! — ita ut videatur diversa a nostra species pro *Gonotheca* Bl. sumpta esse ab autoribus clbrr.

Char. Spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 413. 1264. Wlp. l. c. 59, ubi false folia subacuminata loco: subacuta dicuntur; *H. pterida* Bl. Bijdr. 972. *Gonotheca Blumei* DC. Prdr. IV. 429.

Descript. Herbae annuae, prope *Bidara-tjina* in hortis in ruderatis vulgatissimae, glaberrimae, laete virides; *caulis* erectus, strictus, 5—7 poll. altus, a basi ramosissimus 2—3-chotomus; *rami* inferiores basi humifusi, apice adscendentes, 6—9 poll. longi, nunquam ad nodos radicantes, uti et caulis 4-angularis, angulis inferne valde prominulis; *stipulae* ad basin foliorum utrinque binae, inter se ad stipulas profunde bifidas, interfoliaceas collateraliter connatae, minutae, 0,04 poll. longae virides, margine tenuiores et hinc denticulatae aut subciliato-setosae; *folia* opposita rigida; *inferiora* oblongo-lanceolata, acutiuscula, basi attenuata in petiolum brevem (0,5 poll. longum) et inde subspathulata, 1,3—0,8 poll. cum petiolis longa, 0,4—0,3 poll. lata; *superiora* oblonga; *summa* subovata, 0,6—0,8 poll. longa, 0,3 poll. lata, acutiuscula, *omnia* basi in petiolum plus minus longum attenuata, integerrima sub lente tantum minutissime cartilagineo-serrato-aculeolata, utrinque glaberrima, laete viridia, subtus pallidiora; *flores* pedunculis brevibus suffulti, plerumque axillares (in quoque fere axilla) terni aut gemini rarius solitarii,

aut ad apicem ramuli terminalis aut lateralis 3—5, rarius plures sub-umbellatim congesti, succedanei, 4-meri; *pedunculi* vix 0,05 poll. longi, fructiferi vix longiores, ex angulis calycis decurrentibus 4-angulares, patentes, virides, glabri; *calyx* turbinatus, 0,17 poll. altus, 4-alatus, alis subaequalibus, viridis glaber; *tubus* germini adnatus, 0,1 poll. altus; *limbus* cyathimorphus 4-dentatus; *dentes* ovati, acuti, basi lati, carinati, carina in alas tubi continua, patenti-erecti; *sinus* inter dentes acuti, dein obtusi; *corolla* candida, calycis fauci inserta, exserta; *tubus* brevis 0,05 poll. longus et latus, subglobosus, fauce subconstrictus; *limbus* infundibuliformis, in anthesi patens, tubo longior, 0,075 poll. longus, ante anthesin complicatus, valvatus, 4-angularis, 4-fidus, fauce pilis patentibus, subclausus; *laciniae* oblongae, acutae, carinatae, intus canaliculatae; *stamina* 4 minuta, tubi corollae ima basi inserta, corollac lobis alterna; *filamenta* brevissima, antheris breviora, basi latiora, cylindrica, albida, in connectivum sat latum continua apice crassum; *antherae* late ovatae, biloculatae, albido-flavescentes introrsae; loculi connectivo antrorsum et lateraliter adnati paralleli, rima longitudinali dehiscentes; *pollen* albidum, globoso-subtrigonum, poris 3 in triangulum positis dehiscens et fovillam effoetens; *germen* calyci adnatum, verticc liberum et toro placentiformi, medio perforato flavescenti-viridi, obtectum, biloculatum, raro triloculatum, septis 3 a centro radiatim divergentibus, receptaculo minori, tenuiori, conformi; *septum* tenue utrinque receptaculum subhemisphaericum, sat crassum (placentam), viride peltatum gerens; *gemmulae* supra receptaculum plurimae; *stylus* brevissimus, cylindricus, albidus, vix e toro exsertus; *stigma* stylo 4-plo longius et crassius, capitatum subcylindricum, apice obtusum et leviter bilobum, papillosum, pollinis granulis saepe tectum effoetis minoribus, ope sacculi cylindrici unius, rarius binorum spermodalis immersi adhaerentibus; *fructus* calyce vegeto basi adnato et apice producto 4 alati, coronati, subcompressiusculi, alis plerumque aequalibus, nunc una alterave externa majore, membranaceis; vertice oblongo

29*

infundibuliformi excavato et linea mediana cum alis alternante septoque transversa notato et in hac linea dehiscentes, (— in fructibus oblique compressis rima verticalis subtransversa —) 2-loculati; *septum* tenue, apice e fructus dehiscentia semi-lacerum; *semina* plurima receptaculum obtegentia, globoso-subreniformia, badia eleganter scrobiculata. — Mensibus Januario ad Aprilem flores fructusque gerentes vidi. — 1846.

AMPELIDEAE RCH.

336. CISSUS ARACHNOIDEA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4566. Wlp. Rprt. V. 377.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 779. 4. *Cissus Blumeana* Hsskl. Diagn. nov. 158. *Ampelopsis indica* Bl. Bijdr. 193. Wlp. Rprt. I. 441. 46 an *Cissus indica* Rttl. DC. Prdr. I. 628. 6 hujus loci? *Vitis indica* L. DC. Prdr. I. 634. 12 longe diversa videtur et e descriptione *Swartzii* Roem. et Schult. V. 315. Icon Rhedii mal. VII t. 6 quadrat nostram, exceptis caule petiolisque haud hirtis.

Diagnosi ac *descriptioni* Blumeanae l. c. pauca addenda habeo: radix tuberosa; rami, petioli, cirrhi et nervi foliorum pilis purpureis patentibus, strictis hirti, et inter pilos lanugine arachnoideo, plus minus ferrugineo dense vestiti; folia 6 poll. longa et lata, juniora subtus cum apicibus ramulorum inter pilos purpureos albido-tomentosa, seniora pariter subferrugineo-arachnoidea, 5-nervia indivisa aut saepius subtrilobata (sub-tricuspidata ? ? Bl.) serraturis marginis revoluti firmis subcartilagineis. — Nomen sundense: *Bungburútu* s. *Gungurútu*.

337. CISSUS DISCOLOR Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 181. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 43. Wlp. Rprt. I. 437. 3. — *Vitis bracteata* Nor. Verh. Bat. Gen. V. 85.

Descrpt. *Frutex* scandens; *rami* herbacei sexangulares nodosi virides, ad nodos purpurei, glabri, juveniles una cum foliis inevolutis pubescentes; *internodia* plerumque 2—5 poll. longa, torta; *folia* petiolata, supra olivacea velutina, subtus purpurea, nitida, reticulato-venosa; *petioli* torti, 1—2 poll. longi, angulati purpurei, nitidi; *stipulae* oblique subrotundo-cordatae, purpureae, erecto-adpressae, ad insertionem gibbosae; *cirrhi* oppositifolii ad ramorum apices, recti, 7 poll. longi, apice bifidi, persicini, dein plus minus (irregula-

riter) torti. — Nomen sundense: *Büngbúrūman*, i. e. rubicunda.

α. *ovata* Hsskl. De var. cf. Hsskl. Catal. 779. 9. Adnot. ibid. — (false sub 779. 3). Foliis cordato-ovatis acutis subbullatis; — culta cum priori perstat.

β. *concolor* Bl. De var. cf. Bl. Bijdr. 181, foliis concoloribus basi truncatis (a clss. Wlp. praetervis a var.). — Nomen sundense: *B. heedjoh*, i. e. r. viridis.

338. CISSUS THYRSIFLORA Bl.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 187. Sprg. Syst. Veg. cur. post. 44. Wlp. Rprt. I. 438. 14.

Diagn. et descrpt. Blumei clssi. optimae; pauca tantum in nostro specimine diversa: foliorum laciniae versus apicem acute repando-dentatae, in nervis eorumque ramificationibus cum ramulis pedunculis petiolisque rubiginoso-tomentosae (nec subtus dense-tomentosae Bl.!); flores copiosissimi; filamenta filiformia, subulata, basi rubella, apice candida, antherae incumbentes, versatiles ovatae, pollen luteum, germen obsolete 4-lobum, apice subacuta; baccae 1 poll. crassae. — Nomen sundense: *Kisjùch gedè* (magna).

339. LEEA RUBRA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4569. Msn. Gen. 51. Comm. 36. 1.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 197. Sprg. Syst., Veg. cur. post. 70. Wlp. Rprt. I. 445. 5.

Descrpt. *Suffrutex; rami* teretes inermes geniculati, juniores cum petiolis sulcato-angulati, ad genicula et in sulcis una cum petiolo purpurei, ad costas elevatas virides, purpureo-maculati; *stipulae* semi-sagittatae, petiolo totae adnatae, vaginam apertam fingentes; *petioli* patentissimi ad angulos et nervi foliorum subtus minutissime mucronulato-aculeati, indeque asperi; petioli partiales geniculati, articulati; *foliola* ovato-oblonga aut ovato-lanceolata, acuta s. breviter acuminata, juniora ad marginem purpurea, 2,5—4,0 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata; *corymbi* ad apicem ramuli simultanei bini, alter terminalis, alter axillaris, dein e prolongatione rami axillaris folii superioris oppositifolii, foliati, longe pedunculati; *pedunculi* patentissimi, trichotomi; alabastra et dein flores

purpurei minuti; *fructus* pulposo-carnosi, depresso-globosi, coccinei, dein nigricantes; *pulpa* intus viridis, seminibus adhaerens; *semina* triangularia. — Nomen sundense: *Gingìan bǘrrüm* (rubra).

340. LEEA SAMBUCINA Wld.

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. I. 1177. DC. Prdr. I. 635. 1. Blm. Bijdr. 196, cujus diagnosis a Candolleana differt: caule tereti, foliolis oblongis acuminatis, basi rotundatis, grosse serratis, glabris. — *L. Staphylea* Rxb. Wght. et Arn. Prdr. I. 132. 437. Wlp. Rprt. I. 444. 3 forsan huc referenda! Wght. et Arn. *L. sambucinae* foliola basi cordata addicunt et tum nostra certe *L. Staphyleae* adscribenda erit; jure autores celeberrimi censent, pubescentiam pariter ac ramorum angulos praesentes aut deficientes nullius momenti in hoc genere esse ad discriminandas species, et certe diagnoses Blumeanae pariter ac Candolleanae sufficere nequeunt. — Citatum Rmphii apud Wld. l. c. ob folia supra hirta etc. huc referri potest; Burmanni Fl. Ind. 75 t. 24. 2, ab autoribus huc relata, valde diversa videtur ob: „filamenta 5 capillaria, longitudine calycis, ad cujus basin glandulae 2 nectariferae, oblongae protuberantes; antherae hastatae; styli inferne coaliti, stigmata 3 furcata!" — et generi diverso addicendum erit, etsi habitus iconis et descriptionis plantam nostram congruat.

Descrpt. *Caules* s. rami lignosi e trunco subterraneo plurimi, inferne pollicem crassi, stricti, virides, teretes, scabri; superne flexuosi, subsulcati, geniculati, ad genua nodosi, rubentes; *petioli* subteretes aut basi supra canaliculati, patentes; *folia* pinnata, sub-bipinnata aut saepe bipinnata; *foliola* 8—11 oblonga s. elliptico-oblonga, grosse serrata, longiter acuminata, nunc fere rostrata, glabra, supra atro-viridia, lucida, subtus pallidiora, parallele reticulato-venosa, in nervo medio saepe scabriuscula, pariter ramulorum apices ac inflorescentia; *corymbus* divaricatus maximus; flores breviter pedicellati, viridiusculi; *calyx* turbinatus, limbus infundibuliformis 5-fidus; *corolla* 5-petala; petala in praefloratione valvata, in anthesi basi patentia, apice reflexa, pallide viridia, apice candida; *urceolus* staminifer candidus post anthesin flavescens; fructus depresso-globosi sanguinei.

ARALIACEAE JSS.

341. PANAX FRUTICOSUM L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4551. Msn. Gen. 152. Comm. 109. 2.

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. IV. 1127. Bl. Bijdr. 880. DC. Prdr. IV. 254. 25. Wght. et Arn. Prdr. I. 376. 1157. Rmph. amb. IV. 78 t. 33.

Diagn. Blumei optima.

Descrpt. cf. Rmph. l. c. *Flores* in nostris speciminibus plerumque hermaphroditi; *alabastrum* petaloideum, globosum, lucidum; *petala* oblongo-lanceolata, dorso lucida, viridia, nervo medio saturatiore, intus viridi-flavescentia, nervo medio flavo, cum staminibus caduca; *filamenta* erecta, filiformia albida; *antherae* basi ad medium bifidae, laciniis acuminatis parallelis, medio dorso insertae, apice subemarginatae, introrsae, erecto-incumbentes; *germen* generis; styli 2 in anthesi erecti, accumbentes, dein reflexo-patentes; *fructus* compressiusculus (vix baccaceus) lenticularis, stylis persistentibus coronatus.

Obs. In locis uberioribus sape reperiuntur specimina, quae primo adspectu varietatem haberes, ni formae transgressivae reperiri possint. Gaudent enim foliis majoribus et latioribus longioribus et firmioribus lucidissimis, foliolo extremo terminali 4 poll. longo, ad 2 poll. lato; inflorescentia majori, magis patenti, floribus saepe trigynis! et fructu tum trigono, triloculato, tri- aut abortu 1-spermo! — Nomen sundense: *Kadóngdong laut* (littorale).

342. HEDERA NODOSA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4560: calycis limbus brevissimus integer; petala libera (nec connata! Msn. Gen. 152); stamina 5; styli 5 conniventes!

Char. Spec. cf. *Aralia* Bl. Bijdr. 873. *Paratropia* DC. Prdr. IV. 265. Hsskl. Diagn. nov. 125. Hsskl. Adnot. 776. 8. Wght. et Arn. Prdr. I. 377. III. adnot. jure dicunt, hanc speciem a typo naturali generis „*Heptapleurum*" abhorrere! Affin. *Hederae Jackianae* G. Don. Wlp. Rprt. II. 433. 16.

Descrpt. *Petioli* 5—7 ped. longi, a latere compressi, subtus virides convexi, supra acuti, sanguinei, viridi-striati,

articulato-nodosi; articuli subaequales 2,5—3,5 poll. longi, infimi longiorès; *foliola* subsessilia 43, basi inaequalia, subinaequilatera, crenato-serrata, obtuse acuminata, 7—9 poll. longa, 3—4,5 poll. lata, in linea articulationis petioli inserta, una cum petiolo glaberrima; *panicula* 5 pedes longa, ramosissima; *rami* 40—60 patentes racemosi, basi bractea ovata, acuta, adpressa suffulti; *pedunculi* 0,2—0,4 poll. longi, teretes, patentes; flores 8 — 9 umbellati sessiles; *alabastra* globosa, valvata, petaloidea; *calyx* turbinatus aut haemisphaericus, germini totus adnatus, limbus brevissimus, truncatus, pariter ac rami inflorescentiae minutissime farinoso-stellato-tomentosus; *petala* 5 ovato-lanceolata, acuta, reflexo-patentia, viridiuscula ad marginem tori plano-hemisphaerici albescentis inserta; *filamenta* 5 cum petalis inserta, iisque alterna et aequilonga, reflexo-patentia; *antherae* oblongae, utrinque emarginatae, medio affixae, incumbenti-introrsae; *germen* calyci adnatum eumque superans, toro tectum, 5-loculatum; *gemmulae* in loculis solitariae; *styli* 5, erecti, stricti, sibique adpressi, albidi, torum longe excedentes; *stigmata* simplicia terminalia. — Nomen sundense: *Kilánghit* (lignum coeli).

343. HEPTAPLEURUM RIGIDUM Hsskl.

Char. Gen. cf. Grtn. frct. II. 472 t. 178. 1 (in Hsskl. Diagn. nov. 121—124 errore typographico *Heptoneurum* dictum); *Paratropia* DC. Endl. Gen. 4561. Msn. Gen. 152. Comm. 109. 10. *Araliae* subgen. III. Bl. Bijdr. 873.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. IV. 266. (Bl. Bijdr. 874.) *Paratropia Wallichiana* Wght. et Arn. Prdr. I. 377. 1164. Wlp. Rprt. II. 433. 4 huic valde affinis.

Descprt. *Petioli* 20 — 35 poll. longi, teretes utrinque incrassati, basi subvaginantes, *petioluli* ad apicem petioli umbellatim congesti, 3—5 poll. longi, compresso-teretes, utrinque incrassati; *foliola* 6 — 9 oblonga aut obovato-oblonga, apice brevissime acuminata, utrinque glaberrima, integerrima, 6—10—12 poll. longa, 3—5 poll. lata; *racemi* conferti 3—5 ad apicem rami, conferti, 3—6 poll. longi; *ramuli* 0,4—0,7 poll. longi, teretes; *flores* brevi-pedicellati, umbellati 10—15; *pe-*


dicelli teretes, 0,1—0,2 poll. longi; *calyx* obverse oviformis, apice truncatus, farinosus tomento stellato, dein glabriusculus; *petala* carnosa, ovata, acuta, apice incurva, subcohaerentia; ante anthesin valvata, vix sese aperientia, caduca, albida, cum *staminibus* 6—8 ad marginem calycis et tori plani, convexi inserta; *filamenta* primum inflexa, delapsis petalis erecta eisque longiora, filiformia; *antherae* atro-sanguineae, ovatae, biloculatae; loculi rima longitudinali dehiscentes; *germen* subglobosum, apice depressum, toro tectum 6—8-loculatum; *gemmulae* in loculis solitariae; stigmata 6—8, in apice excavato tori recondita; frct. cf. Grtn. l. spr. cit.

β. *incurvum* Hsskl. De var. vid. DC. et Bl. ll. cc. *Foliola* lucida, majora, 8—15 poll. longa, 3,0—6,5 poll. lata, ad nervum medium supra farinoso-stellato-tomentosa; *racemi* ad 30 poll. longi, incurvi, rhachide sanguinea, dense leprosa, floribus in umbella quaque plurimis (20—25). — Nomen sundense: *Sángo buàna.*

344. HEPTAPLEURUM TOMENTOSUM Hsskl.

Char. Gen. cf. l. supr. cit. ad spec. antecedent., ob petala plane libera, stigmataque immersa *Heptapleuro*, nec *Sciodaphyllo* adscribenda spec.
Char. Spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 122. *Sciodaphyllum* Bl. Bijdr. 877. DC. Prdr. IV. 260. 6.

Descrpt. *Frutex* arborescens; *stipulae* intrafoliaceae, lingulam fingentes, acutae, crassae, adpressae; *petioli* 15—20 poll. longi, teretes, utrinque incrassati, basi vaginantes; *folia* digitata; *petioluli* 2—4 poll. longi, utrinque incrassati, a latere compressi, umbellatim dispositi, aut una cum petiolo minute stellato-tomentosi; *foliola* plerumque 8, in foliis minoribus 5—7, rugosa (caet. vid. diagn. cit.), 6—12 poll. longa, 3,0—4,5 poll. lata; *inflorescentia* vid. diagn.; *pedunculi* communes 8—15 poll. longi, atro-sanguinei, farinoso-stellato-tomentosi, basi bractea ovato-lanceolata, acuminata, tomentoso-canescenti, caduca suffulti; *ramuli* breves 0,2—0.4 poll. longi, umbelliferi, 8—10 flori; *pedicelli* 0,1—0,2 poll. longi, teretes, cum *calyce* turbinato, truncato, minutissime



stellato-tomentosi, virides; *petala* calycis margini insidentia, sanguinea, intus dilutioria, ovato-lanceolata, basi truncata, apice subincurvo, valvata in praefloratione, erecta tota libera, caduca; *stamina* 5; filamenta filiformia, apice subulata, petalis alterna; iisdem vix longiora; antherae oblongae, utrinque emarginatae, incumbentes, biloculatae, rima longitudinali dehiscentes, petalis delapsis persistentes, dein deciduae; *germen* calyci ad medium adnatum, supra medium liberum pyramidato-pentagonum, 5-loculatum; *gemmulae* in loculis solitariae; *stigmata* 5 sessilia punctiformia; *fructus* carnosulus a basi ultra medium subglobosus, aurantiacus, apice 5-gonus, pyramidalis, sanguineus, stigmatum 5 rudimentis punctatus, 5-loculatus, indehiscens; semina in loculis solitaria, oblonga, compressa, pendula; integumentum membranaceo-crustaceum; *albumen* magnum aequabile carnosum, albidum; *radicula* in seminis extremitate superiore versus hilum spectans, gracilis, longitudine cotyledones superans. — Nomen sundense: *Sángo buàna* s. *Rámo gùntie.*

β. *farinosum* Hsskl. De var. cf. Hsskl. Diagn. nov. 123. Hsskl. Catal. 777. 3. — *Sciodaphyllum farinosum* Bl. Bijdr. 875. DC. Prdr. IV. 260. 6. β *Actinophyllum* Bl. Cat. 43 — a priori differt: petiolis, petiolulis, foliis subtus et saepius ad nervos supra dense farinoso-tomentosa (magis quam in priori), foliolis ad 15 poll. longis, 3—5 poll. latis, longius acuminatis, racemis ad apicem 3—4, vix 10 poll. longis subpaniculatis (tristachyis Bl. ll. cc.) bracteis latioribus saepe persistentibus; an *Paratropia capitata* Wght. et Arn. Prdr. I. 378. 1165 Wlp. Rprt II. 433. 5 huic affinis habenda? — Nomen sundense: *Pángang tápok.*

345. ARTHROPHYLLUM DIVERSIFOLIUM Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4562 vid. infra albumen.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 879. DC. Prdr, IV. 266. 2.

Descrpt. *Folia* opposita simplicia, ternata, impari-pinnata, imoque basi bipinnata; *foliola* 2,0—3,5 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata, basi obliqua, acuta aut obtusa, supra atro-

viridia, subtus pallidiora, utrinque opaca; *ramuli* floriferi aut axillares, aut ad apicem rami umbellatim 8—12 congesti, foliati (folia florifera ternata aut simplicia), in axillis foliorum umbellas pedunculatas gerentes, aut ad apicem umbelliferi foliis binis quaternisve ad basin *umbellae* 9—12 radiatae, compositae; radii medio articulati umbelliferi; *umbellulae* multiflorae centripetae; *flores* plane virides; *petala* ovata, basi truncata, apice incurvata cum *staminibus*, iisque longitudine aequali; antherae incumbentes oblongae, subcurvatae, deciduae; *germen* turbinatum, apice subtruncatum; *stylus* minutus, conicus; stigma obtusum; gemmula in germine solitaria; *fructus* externe carnosulus, intus crustaceus ovoideus, apice margine calycis truncato-coronatus et stylo nunc magis elongato apiculatus; *semen* unicum; integumentum subcrustaceum; *albumen* maximum subcorneum e processibus integumenti membranae internae ad medium fere lamellato-interceptum; *embryo* minutissimus in extremitate seminis superiore; radicula versus hilum spectans. — Nomen sundense: *Kitjangkòrang*.

UMBELLIFERAE JSS.

346. HYDROCOTYLE ASIATICA L. β. HEBECARPA DC.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 140. Comm. 102. 7. Endl. Gen. 4355. Wght. et Arn. Prdr. I. 366.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. IV. 63. 32 diagnosis nostram exacte congruens; *H. asiatica* L. DC. l. c. 62. 26 villositate tantum differt et foliis aequaliter crenatis, nec specifice ab illa distinguenda cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 366. 1130. Wlp. Rprt. II. 381. 2, e quorum diagnosi nostram a *H. asiatica* distinguere nequeo; pariter *H. inaequipes* DC. l. c. 63. 33 vix diversa habenda et *H. brasiliensis* Schdw. Wlp. Rprt. II. 383. 24 valde, nisi nimis affinis videtur.

Descrpt. Herbae stoloniferae, repentes humiles graveolentes, siccando autem moschum fere redolentes, ad paludum et fossarum margines copiosae, a Malaiis *Antánàn* dictae et olus jucundum adhibitae recens edendum; *caulis* subterraneus horizontalis, 0,1—0,3 poll. crassus, e foliis deciduis dense annulato-cicatrissatus, ramosus, plerumque dichotomus,

deorsum *radices* 2—4 poll. longas, albidas, fibrillis flexuosis obsessas, copiosas emittens et in ramum tenuem procumbentem, primo centralem, dein ramo axillari excrescente lateralem (sarmentum), 3—5-articulatum elongatus; *ramus* hic longe prorepens, internodiis tenuibus elongatis rubentibus glaberrimis, 1,0—4,0 poll. longis, 0,06—0,08 poll. crassis, teretibus, ad articulos deorsum radices et ramum novum abbreviatum, folii- et flori-ferum emittens, qui *rami* internodiis dein rumpentibus aut emarcidis et evanidis novas plantulas sistunt; *cellulae epidermoidales* (stolonum) elongatae, oblique truncatae, densissimae, angustae, margine tenui; *stomata* nulla; *ramorum repentium* gemmae apicales complanatae, ovato-conicae, apice incurvo e *vaginulis* binis oppositis petiolaribus, basi pallide, apice intense viridibus, crassis mucronulatis, mucrone incurvo 0,2 poll. longis, navicularibus 0,1 poll. latis, dein 0,4 poll. longis, apice recurvis, viridibus crassis, sulcatis; *petioli* (quos vulgo dicunt radicales) 2—8 in apice caulis rosulatim congesti, alterni, basi vaginantes amplexicaules; vagina margine tenui hyalina, 0,5 poll. longa, sublinguları, dein teretiusculi, versus apicem antice late sulcati nunc toti sulcati, apice autem profundius, margine valde prominulo, erecti, flexuosi, nunc subtorti, glaberrimi, basi rubentes, caeterum toti laete virides, 0,8—8,0 poll. longi, 0,07—0,10 poll. crassi; *cellulae epidermidis* iis ramorum conformes, sed magis regulariter truncatae; *stomata* rara oblonga, e cellulis lineari-oblongis, curvatis, rimulam angustam cingentibus granulisque minutis foetis; *folia* reniformia, e lobis baseos conniventibus subrotundo-cucullata, subpeltatim inserta horizontalia, radiatim 7—9-nervia, nervis iteratim dichotomis, in rete dissolutis, 1—2 poll. longa, 1,7—3,2 poll. lata, basi acute dentata, apicem versus sensim dentato-crenata, summo apice crenata, e retis venis confluentibus minute glanduloso-apiculata; utrinque glaberrima, supra intense viridia, in nervis eorumque reticulatione sulcata, subtus pallidiora, nervis elevatis; *cellulae epidermidis* latae, a facie visae 5—6-gonae, plus minus irregulares; *stomata* ovalia, caeterum iis petiolorum conformia

sed latiora, in pagina folii inferiore crebra, in superiore rariora; *pedunculi* axillares solitarii aut gemini, rarius terni erecti, 0,2—0,5 poll. longi, teretes, glabri, rubenti-albidi, umbelliferi, fructigeri, dein basi patentes, apice cum fructibus revoluti aut reflexi, paullo incrassati, virides; *involucrum* diphyllum; *foliola* ovata, acuta, apice crassiora, navicularia, compressa, subcarinata, rubescenti-albida, 0,1 poll. longa, 0,07 poll. lata, pilis sparsis tenuibus, hyalinis, longis, flexuosis obsessa, ante anthesin umbellam totam amplectentia, persistentia, vegeta, viridia, glabrata, paullo grossificata, fructus sustinentia; *umbella* simplex 3-flora, *anthesis* centrifugalis; *pedicelli* ante et in anthesi brevissimi, fructigeri brevissimi, teretes, virides, bracteis nullis suffulti; *calyx* fere totus germini adnatus, limbo minutissimo, 5-denticulato, valde compressus, involucri foliolis parallelus, pilis, uti involucri foliola, intricatis subpuberulus, dein glabrescens, basi roseus, versus apicem truncatum virescens, subrotundus, margine crassiusculo, 0,12 poll. latus, 0,1 poll. altus, utrinque linea mediana profunde sulcatus, et juxta sulcum in utroque latere utrinque sulcis 3 minus profundis, a basi radiatim divergentibus et apicem versus percurrentibus et inter se costulas haud valde prominulas producentibus percursus; *petala* 5 ad marginem disci epigyni inserta minuta purpurea, in praefloratione margine se invicem imbricatim tegentia, dorso medio cinerascenti-puberula, margine et intus glabra, patentia, basi longe distantia, ovato-lanceolata, acuta, concava, dein planiuscula, nervo medio basi albescenti, crassiusculo percursa, 0,05 poll. longa, 0,03 poll. lata; *cellulae epidermoidales* valde irregulares sinuato-lobatae; *stamina* 5 erecta, inter petala disci epigyni margini inserta iisque dimidiis aequilonga; *filamenta* flavescenti-albida, stricta, teretia, versus apicem sensim attenuata, glabra; *antherae* terminales versatiles subglobosae, atro-purpureae et inde fere atrae, subdidymae, basi ad medium bifidae; *loculi* semi-orbiculari-oblongi, basi subinquales, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* candidum, copiosum, siccum, oblongum, in aqua emollitum ovale, glabrum, lucidulum, stria

longitudinali pallidiore notatum, fovilla granula pauca (aut minutissima) gerente hyalina foetum; *germen* compressum 2-loculare, fere totum calyci adnatum, vertice tantum liberum et disco glanduloso pulviniformi, linea transversa in diametro brevi profunde 2-, et altera minus profunda cruciata, sub-4-lobo, viridi obtectum; *septum* sat crassum, latitudini germinis contrarium; *loculi* complanati ad septum latiores, versus marginem attenuati; *gemmula* in loculo quoque solitaria ex angulo interno superiore loculi pendula, in funiculo brevi tenui, subrotunda, compressa; *rhaphe* gemmulam fere totam ambiens; *styli* bini a basi divergentes subcurvati, apice conniventes, teretes, virides, breves, antheras subattingentes acutiusculi; *stigmata* haud distinguenda; *fructus* valde complanatus, calyce adnato fere totus tectus, vertice nudus, disco pulviniformi, atro-viridi, bilobo obtectus, stylis binis, fructui parallele divergentibus, subrecurvis, viridibus, margine crassiusculo, utrinque paullo prominulis 6, sulcum medianum, profundum, concentrice cingentibus notatus et in sulco bipartibilis 2-coccus, longius pedicellatus, diametro verticali 0,11, horizontali 0,13 poll. extus herbaceus, viridis e cellulis sat magnis polyedris, globulis chlorophylli viridibus copiosis foetis; *epicarpium* sat crassum, crustaceum, album, fragile, extus juxta sulcum medium elevato-3-nervosum, e cellulis minutis polyedris compositum spongiosum, intus membrana utrinque laevi dura, e cellulis tenuissimis, elongatis, regulariter fenestratis, e stratis 2, cruciatim superpositis composita vestitum; *cocci* indehiscentes, semen arcte cingentes; *semen* pendulum ovato-oblongum, antice planum, a lateribus compressum, 0,09 poll. longum, 0,05 poll. latum, tenue album; *testa* membranacea, tenuissima; *embryo* in apice albuminis receptns (semen haud plane maturum!) inversus; *radicula* versus hilum spectans in seminis extremitate superiore, *cotyledones* ovato-subrotundae, planae accumbentes; *albumen* antice haud excavatum, planum, farinosum, e globulis minutis tincturae Jodii ope primo (immaturum!) aureis, dein (maturum) coeruleis. — Mensibus Martis ad Junium flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

SAPOTACEAE VNT.

347. SAPOTA ACHRAS MLL.

Char. Famil. Inter *Gamopetalas* Msn. Gen. p. 441 *Petalanthis* adjungenda esset nostra, ni germine pluri-loculato et gemmis in loculis solitariis diversa sit; *Styracineae* differunt: staminibus corollae lobis alternis, saepe 2—4-plis, etsi alteris sterilibus; si lacinias internas autem pro staminibus alternis sterilibus sumas, tum huc nostra referrenda erit. — *Sapoteae* Msn. Gen. 249. Comm. 159. DC. Prdr. VIII. 154; sed calyx 6-lobus biseriatus, antherae introrsae, pollen globosum!

Char. Gen. cf. *Achras* Brown. Msn. Gen. 251. Comm. 160. 12. Endl. Gen. 4240. DC. Prdr. VIII. 155 et 173, plane nostram congruens.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VIII. 174. 1. Bl. Bijdr. 674, folia oblongo-lanceolata nec elliptica DC. l. c., an forsan culturae ope mutata!?

Descrpt. *Arbor*, in hortis prope Bataviam, Bogor etc. sub nomine malaico *Saauw manilla* (forsan a voce: *Sapodilla* corrupta) culta, sat humilis pygmaea vix 10 ped. alta, a basi fere vix 2 ped. alta, sat crassa, ramosissima succo albido lacteo foeta; *succus* granula minutissima alba suspensa tenet, sub lente cum aqua fontana mixta, mox ad fila irregulariter flexa et in rete valde irregulare connexa, nodulosa consolidans, granula suspensa tenentia et tali modo quod vulgo dicunt *Cautschuk* formans; *rami* divaricati, teretes, ramosissimi, cinerei, asperuli, summo apice vix virides, glabri, summi 0,2 poll. crassi; *folia* sparsa, ad ramorum apicem rosulatim congesta, patentissima, in *petiolo* patenti teretiusculo supra vix canaliculato, glaberrimo, 0,5—1,0 poll. longo, basi subincrassato, oblongo-lanceolata, utrinque acuta, rarius obtusa aut retusa, 2,0—4,0 poll. longa, 0,6—1,2 poll. lata, coriacea, rigida, canaliculato-complicata, nervo albido, supra tenuissimo, subtus crasso, prominulo, flavescenti percursa, venis transversalibus, parallelis, tenuissimis, haud prominulis, infra marginem confluentibus et recurrentibus, rete tenuissimum inter venas constituentibus, glaberrima, subtus paullo pallidiora; in *gemma* imbricata, tomento rubiginoso tecta, subteretia, falcata, nervo medio praecipue evoluto una cum petiolo, lamina tantum nervi medii margines angustissimos formante;

pedunculi in quaque summorum foliorum axilla solitarii patentes, petiolis longiores 0,8—0,6 poll. longi, teretes, nunc apice incrassato cernui virides, dein fructiferi paullo longiores, sed crassiores, stricti, cinnamomei, verruculosi; *alabastra* subglobosa, tomento rubiginoso tecta, leviter 3-sulcata e calycis foliolis 3-bus, exterioribus; *calyx* profunde 6-partitus, biserialis; *foliola* crassiuscula, ovato-oblonga, acuta, concava, intus glabra, lucidula, extus dense tomentosa, margine subciliata, persistentia, ab apice basin versus marcescentia, basi vegeta, paullo incrassata fructum sustinenti, fructifera patentissima; *exteriora* 3 subviridia, tomento ferrugineo, *interiora* 3, externis alterna, pallidiora, tomento flavescenti-cinereo tecta, erecta conniventia (an semper?), corollae arcte adpressa, 0,3 poll. longa, 0,1 poll. lata; *corolla* gamopetala, campanulata, hypogyna, decidua; tubus latus cylyndricus, calycis fere longitudine, diametro transversali 0,17 poll. longa; *limbus* tubum longitudine aequans 12-partitus; *laciniae* biseriatae, externae verae, internae alternae stamina abortiva, minores, priores ovato-lanceolatae, apice subrecurvae, basi angustatae, internae paullo minores et angustiores oblongo-lanceolatae, omnes margine subciliatae, conniventes (aut per tempus breve patulae?); *stamina* 6 laciniis corollinis externis opposita; *filamenta* brevissima inter lacinias internas inserta, e basi lata, subulata, erecta; *antherae* 0,05 poll. longae, ovatae, introrsae, basi subcordatae, apice acutae, apiculatae biloculatae, dein effoetae, subsagittatae; *loculi* longitudinaliter rima dehiscentes; *pollen* globosum sat magnum, fovilla copiosa foetum; *germen* ovoideum, diametro 0,1 poll., disco sat crasso, cylindrico semi-immersum, pilis incarnatis, dein cinnamomeis, dense tectum, hisce hyalinis haud articulatis subpeltatim infra medium insertis, utrinque fusiformi-attenuatis, 11-, rarius 10—12-loculatum; *gemmulae* in loculo quoque solitariae; *stylus* sat crassus, viridis, fusiformis, apice attenuatus, 0,25 poll. longus, glaber, longe persistens et corollam emarcidam cum staminibus quasi vaginam gerens, dein emarcidus et deciduus, ima basi persistente apiculum exca-

vatum in fructu juvenili mammaeformem, dein vix elevatum fructus formante; *stigma* terminale exsertum apiculatum, minutissime 6-fidum, laciniis conniventibus; *fructus immaturi* depresso-globosi, styli basi persistente mammaeformi, excavata terminati, basi calyce emarcido, patentissimo suffulti, *maturi* edules ovato-globosi, 1,5—2,0 poll. alti, 1,0—1,5 poll. crassi, apice vix apiculati, asperuli cinnamomei, 11-loculati, indehiscentes; *epicarpium* carnosum, carne albida, dein fuscescente dulci amoena; *loculi* plurimi steriles, 1—2, rarius plures fertiles; *semina* in loculis solitaria, verticalia, receptaculo centrali inserta, erecta, raphe longa curvata, sessilia, compressa, obovata, basi acuta, nigra, lucida, 0,75 poll. longa, 0,4 poll. lata, 0,2 poll. crassa, umbilico laterali a basi supra medium extenso sulcato, angusto, albido, 0,6 poll. longo, 0,05 poll. lato; *testa* ossea, intus membrana (endopleura) rufa, elevato-nernova vestita; *albumen* copiosum, periphericum, carnosum, album, bipartibile embryoncm totum fovens eique arcte adpressum; *radicula* in seminis extremitate infera hilo aversa, 0,1 poll. longa, cylindrica acuta, suboblique cotyledonibus inserta, intra albuminis cavitatem recepta; *cotyledones* albidae, colore vix ab albumine diversae adplicatae, ovali-oblongae, 0,5 poll. longae, 0,3 poll. latae, ratione albuminis tenues, umbilico contrariae, in nervo medio utrinque canaliculatae, margine albumini adglutinatae; *plumula* minutissima, conica, vix conspicua. — Mense Februario et Martio flores, fructusque maturos et immaturos gerentem vidi. — 1846.

348. MIMUSOPS ELENGI L.

Char. Gen. cf. DC. Prdr. VIII. 201.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VIII. 202. 1 cum cit. Rheed. et Rmph. — Bl. Cat. 64. Hsskl. Cat. et Adn. 753. 2. *M. obtusifolia* Bl. Bijdr. 672, nec Lam.

Descrpt. Arbor mediocris; *truncus* erectus, crassus angulosus, juniorum teres; cortex crassus, durus, rugosus, fissus; *folia* densa, ovato-oblonga, 4 poll. longa, 2 poll. lata, firma, splendentia, venulis transversalibus copiosis pertexta,

marginata, subundulata; *flores* bini, rarius 3—4-ni, axillares; *alabastra* globoso-conica, incano-flavescentia, tomentosa (nec crocea Rmph. l. c.); *corolla* albida, matutino tempore flavescens, decidua; *staminum* fertilium filamenta brevissima, antherae erectae; sterilia incrassata, squamaeformia, ovato-lanceolata, apice setoso-acuminatissima; *germen* subglobosum; *fructus* indehiscens carnosus, calyce marcescenti suffultus, aurantiacus, dein rutilans igneus; *caro* aurea sicca dulcis, paullo adstringens edulis; *semen* compressum, obovatum, integumentum lapideum (nec coriaceum DC.), nigro-fuscum. — Nomen malaicum ac sundense: *Tánjong* s. *Tánjung* (i. e. cuspis).

349. IMBRICARIA CORIACEA DC.

Char. Gen. cf. DC. Prdr. VIII. 199.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VIII. 200. 3. *Mimusops Imbricaria* Bl. Bijdr. 673. *I. maxima* Hsskl. Cat. 754. 1, nec Poir.

Descrpt. *Folia* breviter petiolata, ovalia, obtusa imoque retusa, 6 poll. longa, 4 poll. lata, crassa, coriacea, margine subrecurva; *flores* axillares terni; *pedunculi* 2,0—2,5 poll. longi; *calycis* laciniae extus cinamomeo-tomentosae; *corollae* series laciniarum externa viridiuscula, interna albida; laciniae internae basi attenuatae, marginibus inflexae; *staminum* fertilium filamenta basi dilatata, apice subulata; *filamenta* sterilia lanceolata, extus villosa, seriem internam formantia; *germen* conicum, aureo-adpresse-villosum, intus roseum; *fructus* indehiscens carnosus, globosus, apice stylo emarcido, saepe persistente mucronulatus, vineus, glaberrimus, punctulatus (nec scabratus), abortu nunc 2-loculatus; integumentum validum, carnem croceo-gilvam, farinosam obtegens; *semina* badia, glaberrima, *nitida* (quod negat DC. l. c. 200!) laevissima, diametro verticali 0,7 poll., transversali 0,4 poll. longa. — Nomen malaicum: *Njámplong sabràng*, i. e. Calophyllum Inophyllum exoticum.

EBENACEAE VNT.

350. DIOSPYROS (EUDIOSPYROS) FRUTESCENS Bl.

Char. Gen. DC. Prdr. VIII. 222.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VIII. 230. 38, affinis videtur *D. lucida* Wll. DC. l. c. 233. 52.

Descrpt. *Frutex* ramosus; rami nigricantes, juniores virides glabri; *petiolus* 0,2—0,4 poll. longus, crassiusculus semi-teres; *folia* elliptica, aut oblonga, acuminata, basi plus minus acuta, 7,0—9,5 poll. longa, 2,5—3,5 poll. lata, utrinque glaberrima, supra nitida, subtus reticulata; *racemi* florum staminiferorum ad apices ramorum axillares, 3—5-flori; *flores* cernui pedunculati; *pedunculi* 0,3—0,8 poll. longi nutantes; *calyx* 4-partitus, plicato-connivens, persistens; laciniae virides intus linea media nigrescenti velutina notatae; *corolla* urceolata, tetragona, extus nigrescenti-velutina, intus straminea; limbus 4-partitus, reflexus; laciniae ovatae, obtusiusculae, lateraliter tortae; *stamina* 16, corollae basi inserta; *filamenta* 8 brevissima, 0,05 longa; *antherae* in singulo filamento binae, basi-fixae erectae; germinis rudimentum minutum.

351. DIOSPYROS (EUDIOSPYROS) CAULIFLORA Hsslt.

Char. Spec. cf. Mss. et ic. ined., an Bl.? DC. Prdr. VIII. 238. 81? Affinis *D. ramiflorae* Rxb. DC. Prdr. VIII. 233. 57; — minor affinitas ad *D. lanceaefoliam* Rxb. DC. l. c. 232. 46 et *D. lucidam* Wll. DC. l. c. 233. 52 adparet. Divus *van Hasselt* hanc speciem reperit prope Tjeriengien, provinciae Bantam Javae occidentalis, mense Majo floriferam et fructiferam altitudine 500 ped. supra mare.

Descrpt. *Arbor* alta dioica; *folia* elliptica, utrinque attenuata, 7—9 poll. longa, 2,5—3,7 poll. lata, nitida, glabra; *flores* pistilligeri laterales racemosi, *racemi* 3—5-flori, ad ramificationes bracteolati; *pedunculi* pollicem fere longi, apice incrassati, nigrescentes; *calyx* profunde 4—5-partitus; laciniae basi margine sinuato reflexae nigrescentes; *corolla* urceolata; tubus tetragonus, pilis nigris, praesertim ad angulos tectus; limbus gilvus, 4-fidus, horizontalis, fauce valde constrictus; *fructus* carnosi, globosi, glabri edules! diametro

pollicari, 8-loculati virides, carne pallide flavescente pleni; *semina* in loculis solitaria, nonnulla effoeta; integumentum fuscum; *albumen* albidum, radiatim striatum; *embryo* flavescens.

352. DIOSPYROS (EUDIOSPYROS) PENDULA Hsslt.

Char. Spec. cf. Hsslt. Mss. et ic. ined., speciei praecedenti affinis videtur!

Descrpt. *Arbor* dioica alta; *folia* oblongo-lanceolata, utrinque acuminata, 2,5—3,5 poll. longa, 1,0—2,5 poll. lata, breviter petiolata, glabra; *flores* staminigeri solitarii, pistilligeri solitarii, bini aut in parvis racemis collecti, penduli; *calyx* 4-fidus, laete viridis, nigro-pilosus; corollae pallide flavae lobi revoluti; *filamenta* 8 brevia villosa, antheras adnatas 2—3 gerentia; *germen* ovoideum, 4—8-loculatum; *stylus* unicus crassus, apice attenuatus (aut 2—4 connati!); *stigmata* 4 emarginata; *fructus* carnosi, juniores pilosi, 4—8-loculati, loculis 1-spermis. — Divus van Hasselt reperit hancce in monte Pulassarie, *Bantam* provinciae, mense Junio inter altitudinem 4000 pedum supra mare et craterem, sat raram.

Obs. speciei utrique accedit: *Diospyros* (*Eudiospyros*) *maritima* Bl. (DC. Prdr. VIII. 234. 62. *Cargillia* Hsskl. Catal. 756. 1), cui: *folia* nunc ovata s. oblonga, supra atroviridia, subtus pallidiora; *petiolus* supra canaliculatus; *corolla* pallide flavescens; *fructus* carnosi 6—8-, aut abortu pauciloculati, cerini, intus pulpa viridi, succosa foeti; *dissepimenta* alterna columnam centralem saepe haud attingentia; *semina* in loculo quoque solitaria; *embryo* subcurvatus; *radicula* cylindrica, apice incrassata. — Nomen sundense hujus arboris mediocris: *Kíkelèr.*

353. MABA EBENUS Sprg.

Char. Gen. cf. DC. Prdr. VIII. 240.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VIII. 242. 17. *Diospyros hexasperma* van Hasselt Mss. et Ic. ined. — Rmph. amb. III. 1 t. 1.

Descrpt. *Arbor* mediocris glabra; *folia* alterna breviter petiolata elliptica aut oblonga, utrinque acuta, aut apice

acuminata, sublucida; *flores* oppositifolii, laterales aggregati, breviter pedunculati; *fructus* carnosi, breviter pedunculati, conferti, capitati, calyce persistente tripartito, apice subreflexo suffulti, ovoidei aut oblongi, virides glabri, 3-lolulati; loculi dispermi, dissepimentis flavescentibus sejuncti et alteris columnam centralem haud attingentibus subdivisi! — *pericarpium* intus carnosum molle flavescens, paullo fibrosum; *semina* triangularia, altero latere convexa; *albumen* durum; *plumula* embryonis indistincta. — Nomen sundense arboris, a divo van Hasselt prope Sudi maniek, Bantam provinciae, mense Augusto fructiferae repertae: *Kiharùpat.*

ERICACEAE R. BR.

354. AMPHICALYX LATIFOLIUS Bl.

Char. Gen. cf. Bl. Jav. Praef. VII., *Diplycosia* Bl. Bijdr. 858., DC. Prdr. VII. 591. Msn. Gen. 247. Comm. 154. 55. — *Gautiera* Endl. Gen. 4323?[b.] Hsskl. Catal. 763.

Char. Spec. cf. DC. Bl. et Hsskl. ll. cc.

Descrpt. *Fruticulus* nunc frutex glaberrimus; *folia* elliptica, ovata s. ovato-lanceolata, rarius oblongo-lanceolata, acuta aut acuminata, basi obtusiuscula aut acuta (in eodem saepe ramo!), coriacea rigida, 1—3 poll. longa, 1,0—1,7 poll. lata, utrinque glaberrima, supra atro-viridia, sublucida, subtus subglaucescentia, pallida, opaca, punctata; *flores* axillares aggregati 8—5; *pedunculi* filiformes, 0,2 poll. longi, petiolum aequantes, graciles, fructiferi nutantes; *calyx* basi bracteolis minutis, connatis, ovatis, acutis suffultus; dein fructifer carnosus, albidus, laciniis acutis, conniventibus; *fructus* stylo persistente, iis sublongiore, coronati, albidi, subcarnosi (inde affinitas ad *Pernettyam* Gaud. a Meisn. l. s. c. Comm. — cf. Endl. Gen. 4324. Msn. Gen. 247 —!), semi-5-loculati, 5-valves e septis columnam centralem haud attingentibus; *semina* plurima minuta, scrobuliformia, rosea, receptaculo carnosulo columnae, centralis inserta horizontalia. — Nomen hujus et sequentium specierum sundense: *Tjantìgi*, nomen

plurimis Ericaceis imoque arboribus summa montium cacumina habitantibus commune!

Obs. Ab hac specie differt: *Amphicalyx heterophyllus* Bl. DC. Msn. et Endl. ll. spr. citat. (quam olim varietatem: *angustifoliam* habui antecedentis). *Caule* humiliori, *foliis* oblongis s. oblongo-lanceolatis, basi acutis, apice acuminatis, 1—2 poll. longis, 0,5—1,0 poll. latis, erectis. — *Corolla* intus et in margine laciniarum sordide purpureo-colorata, extus viridiuscula, nutans; *stamina* imae corollae basi inserta (nec disco Bl. DC.), filamenta complanata, albida, apice vix attenuata, subemarginata; antherae supra basin affixae conniventes aurantiacae; loculi apice liberi, introrsum poro longiusculo s. lineola minuta dehiscentes; pollen luteum; *germen* subdepresso-globosum, semi-decem-loculatum; stylus filiformis; *fructus* et semina speciei antecedentis.

355. AGAPETES FLORIBUNDA G. Don.

Char. Gen. cf. DC. Prdr. VII. 553. Msn. Gen. Comm. 151. 7.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VII. 555. 11. *Thibaudia* Bl. 859. Hsskl. Cat. 766. 1. *Junghuhnius* (Nuturh. Reisen p. 451, Flora 1847 p. 523) speciem *hancce*, *A. cuneifoliam* et *myrtoideam* cum *A. varingiaefolia* in unum conjunxit ob foliorum (sua opinione) formam maxime variabilem, nempe foliis ovalibus, ellipticis, lanceolatis, oblongo-lanceolatis, ovato-lanceolatis, obovato-lanceolatis, cuneiformibus! — Mihi tam magna differentia foliorum in eodem frutice nunquam obviam venit. Quid Junghuhn l. c. sub *Thibaudia rosea* habet: foliis magnis lucidis, floribus abbreviatis roseis? — nescio! — cf. Flora Bot. Zeitg. 1847 p. 524.

Descrpt. *Frutex* ramosa; *rami* teretes, crassiusculi, *ramuli* angulati cum petiolis brevibus (0,15 poll. longis) complanatis et foliorum nervo medio saepe sanguinei; *folia* elliptica, acuta, aut elliptico-oblonga, acuminata, 1,5 poll. longa, 0,4—1,0 poll. lata, coriacea, glaberrima, subtus punctulata, margine diaphana; *fructus* carnosi indehiscentes aut singuli axillares aut racemosi, racemis vagis raris, pisiformes atroviolacei, semi-10-loculati; septa alterna completa, alterna incompleta, columnam centralem haud attingentia; receptaculum carnosum, columnae centrali adnatum; semina centrifuga, horizontalia, compressa, cuneiformia; cicatrix carpica a den-

tibus calycinis vegetis conniventibus tecta, depresso-hemisphaerica, quasi calloso-annulata; cicatrix stylaris excavata (e disco persistente!) maxima.

Obs. Ab hac specie differt: *Agapetes coriacea* G. Don. (DC. Prdr. VII. 555. 15. *Thibaudia* Bl. Bijdr. 860. Hsskl. Cat. 766. 3): *foliis* revolutis; petiolis et pedunculis sanguineis, racemis axillaribus 7—10-floris, floribus secundis; *calyce* roseo, fructifero viridi, in maturitate rubenti; *corolla* maxima urceolata, globoso-conica, albido-rosea; *antheris* longissimis, apice ciliatis; fructibus 10-loculatis grandibus; *seminibus* in loculis plurimis.

356. AGAPETES LUCIDA G. Don.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VII. 555. 14. *Thibaudia* Bl. Bijdr. 860. Hsskl. Cat. 766. 8.

Descrpt. *Frutex* ramosus; *rami* graciles; *ramuli* subangulati, puberuli, una cum petiolis semi-teretibus, 0,2 poll. longis, sanguinei; *folia* obovata, 0,4—0,7 poll. longa, obtusa, nunc retusa aut acutiuscula, glaberrima, supra convexa, lucida, subtus concava, opaca punctata; juvenilia laetissime sanguinea, colorata; *racemi* terminales bracteati secundi 7-flori; *bracteolae* ovatae, pallide virides, sanguineo-marginatae; *pedunculi* 0,4 — 0,5 poll. longi et tubus calycis subglobosus puberuli; *limbus* calycinus 5-fidus, patens; laciniae lanceolatae, acutae; *corolla* urceolata, ovoideo-conica, sanguinea, glabra, sub lente pulcherrime punctulato-reticulata; limbus patens subreflexus, opacus, 5-fidus; laciniae ovatae, minutae; *stamina* 10; filamenta pentadynama, e basi lata subulata, villosa; antherae erectae, dorso ad basin affixae oblongae, apice truncatae, biporosae; *germen* calycis tubo adnatum sub-10-loculatum; gemmulae in loculo quoque plurimae; *stylus* rectus, teres, roseus, apice albidus; *stigma* depressum; racemi fructigeri rari; *fructus* atro-violacei, magnitudine pisi minoris, semi-10-loculati indehiscentes, limbo calycis vegeto coronati; laciniae obtusiusculae conniventes; cicatrix carpica, disco persistente cincta, hemisphaerica; cicatrix stylaris profunda minuta; septa alterna completa, alterna colymnae cen-

tralis receptaculum haud attingentia; *semina* in loculo quoque 4—6, verticaliter sibi superposita, cuneiformi-compressa.

LABIATAE JSS.

357. OCIMUM (OCIMODON) BASILICUM L. ϑ. PURPURASCENS BNTH.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 282. Comm. 191. 1. Endl. Gen. 3569. a., filamenta inferiora vix longiora, sed altius inserta et inde superiora superantia; *subgen.* cf. Endl. l. c. a. Wlp. Rprt. III. 483. I.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 484. 2, folia autem haud subdentata, sed minute repando-serrulata (cf. Bl. Bijdr. 832. a.), calycis dens supremus subrotundo-ovatus vix apiculatus, nec ovatus brevissime acuminatus; *folia* nec subtus tantum, sed et supra exsculpto-punctata, punctis diaphanis (quod vulgo dicunt perforata folia!), labium corollae inferius haud dilatatum, sed concavum obtusum. *Basilicum indicum nigrum* Rmph. amb. V. 263 a *Batavia* in *Amboinam* introductum dicitur, cujus rami in sepulcra nova ponuntur ab incolis; tab. 92 f. 1 forsan huc referenda, sed mala, an jure a Wlp. l. c. *α.* ad variet. *pilosam* reducta? *Char. variet.* ϑ. *purpurascens* Bnth. differt a nostra: calycibus breviter et foliis floralibus longiter ciliatis; *γ. glabratum* Bnth. vix a nostra diversa varietas.

Descrpt. Herbae annuae, basi fruticulosae, fastigiatae fragrantes, in hortis circa incolarum domos et praeprimis circa templa, vulgo *Masiegiet* dicta, frequenter cultae, an etiam indigenae? saepe quoque in cultis in pagorum vicinitate sua sponte obviae; *caulis* erectus strictus, 2,0—4,5 ped. altus ramosissimus, excepta inflorescentia totus glaberrimus, robustus carnosulus, intense viridis, foliosus, basi saepe lignescens, obsolete tetragonus, glaucescenti-viridis, 0,2 poll. crassus, glaberrimus, lucidus; internodia recta, rarius paullo flexuosa, 2—3 poll. longa, ad nodos paullo incrassata; *rami* ex omnibus fere foliorum axillis oppositi, brachiati, erecti, fastigiati, superiores sensim majores, pari modo fastigiato-ramosi, tetragoni, nunc in lateribus ab axillis leviter adscendenti-canaliculati, intense virides, plerumque plus minus purpureo-tincti, glaberrimi, lucidi; *internodia* 1—2 poll. longa, summa *pilis* obsita minutis patentibus *curvatis* semi-annularibus aut potius falciformibus, basi valde crassis ibique cellulis minutis, elevatis circumvallatis, versus apicem sensim atte-

nuatis, acutissimis, 2—4-articulatis, minute verruculosis, mox deciduis et singulis rarioribus *stellatis* e 8 radialibus, horizontalibus, inaequalibus centrali erecto, verticillatim insertis, unicellulosis, acuminatis, globulis hyalinis, inaequalibus, sat magnis obsitis; *cellulae epidermoidales* longitudinaliter seriatae rectangulares, utrinque nunc, sed rarius, truncatae, altero et saepe utroque fine plus minus oblique terminatae, inaequilongae, succo kermesino foetae, stomatibus paucis interstinctae, margine integerrimae, dein exsuccae, hyalinae; *stomata* primo e glandulis binis globosis, sese margine interiore obtegentibus (cf. Schld. l. c. I. p. 264 f. 77.) conformata, in inferiore ramorum parte inter cellulas epidermoidales abbreviatas, subquadratas, irregulares plurimas, hisce minora, ovalia, e cellulis oblongis, curvatis, granulis minutis foetis, flavescentibus, rimam lineari-oblongam, utrinque attenuatam ostendentia (cf. Schld. l. c. I. 262 f. 82 ad [a]); *glandulae* oleo aetherico foetae, viridiflavescentes inter pilos et stomata sat copiosae, plerumque ad nodos quadrato-subglobosae, stomatibus multo majores, medio circulum centricum (nucleum) ostendentes, qui nucleus, si glandulam removeas, nil nisi olei aetherei flavescentis guttula, facillime etiam pressu excentrica, dum glandula ipsa hyalina cellulam simplicem globosam refert (nec e cellulis plurimis compositam glandulam cf. *Geubel* Physiol. Chem. p. 210. 9); *stipularum* loco pili nonnulli albidi, basi crassi, sensim attenuati, 6—7-articulati, acuminatissimi, erecti, stricti, verruculosi; *petioli* oppositi semi-teretes, supra plani, marginati, albescenti-virides, glaberrimi, lucidi, supra pilis minutis, rectis, ad margines subcurvatis et singulis raris verticillatis conspersi, primo erecti, dein patentes, 1,0—0,5 poll. longi; *folia* plana, oblongo-lanceolata, utrinque attenuata, supra basin integerrimam obtuse serrulata, 2 poll. longa, 0,9—1,2 poll. lata, ramulorum tertiam partem aut dimidio minora, eleganter adscendenti-, parallele nervosa, nervis intra marginem confluentibus, carnosula utrinque glabra, juvenilia adpresse puberula, glabrata, in nervo medio tantum et margine minutissime strigulosa, supra atro-viridia, subtus subglaucescentia, utrinque

pulcherrime intensius punctulata, *punctulis* diaphanis globosis, e cellula solitaria oleum aethereum gerenti conformatis; *cellulae epidermoidales* paginae utriusque valde undulato-sinuatae (cf. Schld. l. c. p. 260 fig. 73), stomatibus elliptico-oblongis, copiosis interspersae; *cellulae stomatis* binae, lineares curvatae, rimam angustam cingentes; flores in apice ramorum in foliorum floralium axibus terni, pseudo-verticillos 0,5—0,9 poll. remotos, rarius densiores, 6-floros formantes, in *racemum* erectum, strictum, apice sub-comosum, in juvenilibus 3—5, in adultioribus 10 poll. longum dispositi; in adultioribus basi ramosum sub-paniculatum; *axis* racemi in junioribus viridi-purpurascens, in senioribus atro-purpurea, lucida, retrorsum puberula tetragona et 4-sulcata, ad nodos haud incrassata, cellulis globosis, oleiferis plurimis epidermidi immersis; *folia floralia inferiora* (1—2-paria) foliis reliquis conformia, sed minora, pseudo-verticillum longe superantia; *superiora* omnia ad *bracteas* reducta, obovato-cuneatas, concavas, acuminatas, summas ovatas, acuminatas, minutissime adpresse serrulatas et aculeolato-ciliolatas, versus basin pilis longis, albidis, 6—7 articulatis, acutissimis, verruculatis ciliatas, omnia pellucido-punctata, inferiora viridia, 0,4 poll. longa, 0,15 poll. lata, superiora subsessilia, basi pupurascentia, in senioribus intense purpurea, 0,2 poll. longa, 0,1 poll. lata, primo erecta, dein patentia, in anthesi subreflexa, persistentia; *bracteolae* nullae; *pedunculi* erecti, apice nutantes, teretes, 0,1 poll. longi, pilis minutis, 2—3-articulatis, verruculosis, acutis puberuli; *calyx* 0,25 poll. longus, horizontalis, dein reflexus, viridis aut viridi-purpurascens, in senioribus purpureus, bilabiatus, pedunculo longior, basi gibbus et pilis 2—4 patentibus, albidis quasi barbatus, totus minute glanduloso-puberulus, dorso subpruinosus, marginibus longiter ciliatus; *cellulae epidermoidales* medium tenent inter eas ramorum foliorumque; *tubus* intus dense albido-pubescens, campanulatus, nervis vix elevatis notatus, basi attenuatus, fauce apertus; *limbus* ante et post anthesin connivens, faucem subclaudens; *labium superius* suborbiculatum, diametro 0,18 poll. vix longo,

apiculatum, externe concavum, basi subcordatum, ante anthesin planum, labium inferius obtegens, ad basin fere calycis decurrens, viride, dorso ante et in anthesi plus minus purpurascens; *labium inferius* naviculare, superiori paullo longius, 4-fidum; *laciniae* laterales verticales breviores subrotundo-ovatae, acutae, subulatae; *inferiores* longiores adscendentes lanceolatae, acuminatae, subulatae; *corolla* calycem duplum longa, bilabiata; *tubus* albidus, basi dorso subgibbosus, a latere compressus, glaberrimus, lucidus, infundibuliformis, ad faucem inflatus, intus glaber; *limbus* bilabiatus patens; *labium* superius patens, basi cucullato-concavum, apice verticale, 0,15 poll. longum, 0,2 poll. latum, 4-fidum, lobis subrotundo-ovatis, lateralibus paullo majoribus, dorso pilis albidis patentibus puberulo-conspersum, et pariter cellulas globosas, oleiferas gerens, cellulis epidermoidalibus minus profunde inciso-undulatis; *labium inferius* cymbiforme subhorizontale sulfureum, extus puberulum, intus glabrum, integrum obtusum, margine versus apicem crispato-serrulatum, superiore paullo longius, 0,2 poll. longum, 0,1 poll. latum, genitalia fovens; *stamina* 4, didynama corollae tubo inserta declinata, in labio inferiore recepta; bina *superiora* tubi dorso infra medium inserta, bina *inferiora* fauci inserta, interlabialia paullo longius producta; *filamenta* bina *superiora* basi adscendentia, dein geniculato-declinata ad genu calcarata, barbata, genu alterius filamenti adhaerentia, paullo supra genu subtus denuo, sed minus longe barbata, pilis hyalinis, cylindricis, apice acutatis, patentibus, caeterum glabra, primo declinata, dein adscendenti-curvata, teretia, apice subulata; bina *inferiora* tota glabra, primo declinata, dein adscendenti-curvata, superioribus parallela et subsimilia, eaque paullo superantia, 0,20 poll. longa, post pollinis effoetionem apice circinatim reflexa; *antherae* a latere compressae, deltoideo-cordatae, albidae, acutae, 2-loculatae, jam in corolla inaperta dehiscentes conformes; *connectivum* crassiusculum, ovatum, acutum, a latere compressum; *loculi* margini connectivi adnati, eoque longiores, teretiusculi apice continui, basi primo inflexi, con-

tigui, dein divergentes longitudinaliter dehiscentes confluentes et connectivo emarcido loculum unicum reniformem constituentes, ratione filamentorum parvum; *pollen* globosum sat magnum glabrum, fovilla copiosa foetum; *germen* disco carnoso flavescenti viridi crasso germine ipso 2-plo alto suffultum 4-lobo, lobis inaequalibus, uno brevissimo et uno germinis fere longitudine, acutiusculis, erectis, 4-lobum, flavescenti-albidum, glabrum; *lobi* ovati, acutiusculi, conniventes, stylum centralem cingentes; *stylus* primo basi horizontalis, teres, lilacinus, dein adscendens, sub angulo recto verticalis et apice denuo flexus, horizontalis, bilabiatus, dein post fecundationem totus strictus, flexuosus, 0,3 poll. longus, stamina et corollam superans; *labia* apicis inaeaqualia primo parallela, dein divergentia tactu sensibilia, postremo subaequalia, subrevoluta, semi-teretia, in pagina interna minute papulosa, *superius* acuminatum, primo dimidium, inferius obtusiusculum, longum; *gemmula* in loculo quoque germinis solitaria, erecta; fructus 4-lobi; *lobi* plerumque bini, nunc superiores, nunc inferiores, nunc collaterales rite evoluti, disco carnoso, luteo, 4-lobo, lobis subaequalibus centro pyramidato, acuto, 4-gono suffulti; calyce vegeto paullo grossificato viridi, aperto, vix laciniis labii inferioribus subclauso inclusi primo cerini, dein nigri, ovato-oblongi, obtusi, dorso convexi, antice leviter carinati, compressi; *epicarpium* papillosum e cellulis 5-gonis (a facie visis uti fig. 79. A. p. 265 in Schld. l. c.) medio elevatis, in aqua solutum mox ebulliens et zonam radiatam, albidam, crassam, circa semen formans, dein totum in massam amorpham, gelatinosam solutum, globulos minutissimos, hyalinos, hinc coacervatos aut sub-concatenatos praebens (e papilla ortos? in aqua soluta, globosa, hyalina, an gelatinam veram gerente?); *semina* lobis fructus conformia 0,1 poll. longa, ovato-oblonga, obtusa, basi attenuata, erecta; *testa* membranacea, tenuis reticulata; *embryo* erectus, albidus; *cotyledones* plano-convexae, oblongae; radicula infera conica prominula. — Per totum annum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

358. OCIMUM (GYMNOCIMUM) BRACHIATUM BL.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 282. Comm. 191. 1. Endl. Gen. 3569.c.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 488. 16, sed erroneë sectioni: *Ocimodon* adscripta et inter *O. micranthum* Wld. et *O. campechianum* Mill. (Wlp. l. c. 490. 24. 25) ponenda species. *O. sanctum* L. Wlp. l. c. 488. 18 (Bl. Bijdr. 831, qui folia habet utrinque acuta, bracteasque subcordatas!) valde affine, sed differt: filamentis superioribus basi pilorum fasciculo appendiculatis, dum in nostro filamenta omnia basi pilis nunc valde abbreviatis patentibus raris obsessa reperiuntur! — an species utraque conjungenda?

Descrpt. Herbae fragrantes, in hortis prope *Batavium* ubique frequentissimae, annuae; *caulis* erectus, basi nunc suffruticosus persistens, 2—3 ped. altus, fastigiato-ramosus et *rami* molliter patenti-, dein obverse pubescentes, laete virides, inferni sub-tetragoni; *internodia* 1,0—2,0 poll. longa, summorum ramulorum leviter sulcata; *rami* superiores longiores, omnes erecto-patentes oppositi, cruciatim dispositi; *stipularum* loco annulus pilorum albidorum densus confertorum; *folia* opposita in *petiolum* 0,5—1,5 poll. longum, albido-virescentem, patenti-pilosum, semi-teretem, plus minus attenuata, oblonga aut oblongo-ovalia, basi acuta, aequalia aut inaequalia, nunc breviter attenuata, nunc obtusa, apice acuta, serrato-dentata, juniora undulata, versus basin integerrima, 0,8—2,5 poll. longa, 0,5—1,3 poll. lata, utrinque glabra et (e pilis deciduis?) exsculpto-punctata, subtus uninervia, depresso-puberula, margine minute adpresseque antrorsum ciliata, nervo medio cum lateribus suboppositis, 5-jugis, dichotomis, adscendenti-erectis, supra excavato, subtus prominulo; *racemi* terminales plerumque sub-paniculati, 2,0—3,5 poll. alti, erecti, stricti, in prima evolutione spicam fingentes solitariam aut accedentibus binis basalibus lateralibus ternam, 0,15 poll. longam, 0,06 poll. latam, tetragonam, e bracteis adpressis, erectis 4-fariam, imbricatam, hisce medio et apice subrecurvo viridibus, margine albido-lanatis, inde ad angulos viridem et inter hos albidam; *bracteae* primo (in racemis magis evolutis) erectae, 3-florae, florum alabastra foventes, concavae, basi inferiores breviter petiolatae subrotundo-ovatae,

basi subcordatae, abruptim acuminatae, virides trinerviae, prima juventute extus puberulae, dein exsculpto-punctatae, longiter ciliatae, diametro 0,1 poll., in anthesi reflexae, rhachi parallele adpressae; *flores* in axilla quaque bracteae terni, oppositi, patentissimi, lateraliter divergentes et inde loco semi-verticillorum binorum, oppositorum, 3-flororum, verticillum totum, 6-florum formantes; *verticilli* remoti, summi saepe per paria valde adproximati et inde verticillos 10—12 floros formantes; *pedunculi* teretes, apice subcernui, 0,1 poll. longi, cum calyce pallide virides patenti-puberuli; *calyx* obovato-turbinatus, 0,15 poll. longus, bilabiatus persistens, fructifer paullo auctus; *tubus* dorso planus, ventre convexus, subcymbiformis, 4-striatus, fauce nudus; *labium superius* subrotundum, 3-nervium, apiculatum suberectum, basi decurrens in calycis tubum, dorso concavum; *inferius* 4-dentatum; *dentes* subulati bini intermedii (carinales) adscendenti-horizontales, subaristati, paullo longiores; *corolla* gamopetala, bilabiata, obversa, exserta; *tubus* basi subglobosus, albus, *superius* calycis labio superiori oppositum (an non potius inferius?), 4-lobum, 0,1 poll. transverse latum; *lobi* patentes subrotundi, subaequales, interiores 2 basi paullo attenuati; *labium inferius* (superius?) inter calycis lacinias longiores infimas receptum kermesinum, oblongum, obtusum, patentissimum, subrevolutum, superiore paullo longius et multo angustius, 0,1 poll. longum, 0,03 poll. latum; *stamina* exserta didynama, deflexa, labio inferiori incumbentia, basi tubi constrictae inserta, inferiora longiora, ante anthesin involuta, labio corollae inferiore incumbente superioreque obtecta; *filamenta* filiformia, albida, vix incarnata, basi pilis minutis patentibus, summis paullo longioribus hyalinis, acutissimis, nunc flexuosis subbarbata, apice spiraliter revoluta, labium inferius plus minus involventia, 0,20—0,25 poll. longa, glaberrima, aut hinc mucrone lato paullo elevato, hyalino, obsessa, summo apice subulata; *antherae* minutae, terminales versatiles, rubiginosae, subrotundo-ovatae, apice obtusae, basi profunde cordatae biloculatae; *loculi* apice confluentes, basi subdivergentes, longitudinaliter

dehiscentes et inde antheram uniloculatam, reniformem, dehiscentem fingentes; *pollen* citrinum, dein cerinum, sat magnum depresso-globosum, a vertice striis 6 radiatis, albidis notatum, minute celluloso-reticulatum, fovillam copiosam fovens, hancque e fissuris, in striis positis, tanto impetu emittens, ut ipsum motu proprio praeditum videatur; *germen* minutum, 4-lobum, laeve flavescens, lobis subglobosis; *stylus* inter germinis lobos insertus, filiformis, 0,24 poll. longus, primo geniculato-flexuosus, dein strictus, labio inferiori corollae incumbens, albidus glaber, apice bifidus, laciniae semi-teretes, acutae, intus stigmatosae papillosae, papillis vix elevatis, primo vix divergentes, dein patentes et patentissimae, postremo apice revolutae, prima juventute tactu sensibiles; fructus in 4 indehiscentes monospermos, oblongos secedens glabros, calyce multo minores et ab eo inclusos flavescentes (immaturos?). — Per totum annum flores fructusque gerit. — 1846.

359. HYPTIS (MESOSPHAERIA) SUAVEOLENS Poit.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 283. Comm. 191. 14. Endl. Gen. 3583. Sppl. III. p. 77, mea opinione autem *Marsypianthus* Mrt. Endl. Gen. 3582 a *Hyptide* haud sejungendum genus; corollae enim descriptio, etsi in utroque genere diversa, ad eandem formam reduci potest, si eadem ratione inspicias corollam! — Reliqua distinctionis signa haud sufficiunt, nec constantia habenda, nostra enim calycis tubum, filamenta, stylum *Marsypianthi*, calycis limbum, lobum intermedium lobi inferioris et fructus *Hyptidis* ostendit. — An (corolla inversa) *Prasiis*, equidem *Gomphostemati* Wll. (Endl. Gen. 3673. Msn. Gen. 289) forsan magis affine genus?

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 557. 159. Hsskl. Catal. 605. 1, sed diagnosis et descriptio ibidem differt a nostris speciminibus: foliis sinuato-serratis, nunc incisis, superioribus, basi saepe longiter angustatis cuneatisve, racemis paniculatis. — *H. graveolens* Slzm. Wlp. l. c. 558. 160 differt prae caeteris: caule pilosiusculo, angulis laevibus, foliis utrinque viscoso-pubescentibus, pedunculis fasciculo pluries longioribus; quo signo ulteriori, pedunculis nempe plus minus elongatis species omnes fere affines pari modo sunt distinguendae. — *Bysteropogon graveolens* Bl. Bijdr. 824. *Schaueria* Hsskl. Diagn. nov. 103. Endl. Gen. Sppl. III. 3583.a.

Descrpt. Herbae perennes, aromatice graveolentes hirtae, erectae, ramosissimae, in apricis pratisque totius fere

Javae occidentalis, haud nimis elatae, frequentissimae et *Babádottan* dictae (a voce *bauw*, i. e. odor), 2—6 ped. altae; *caulis* ima basi subteres, crassiusculus, diametro 0,3 poll., supra et *rami* tetragoni; *internodia* in caule 1,5—2,5 poll. longa, in ramis tenuioribus ad 3 poll. longa, ibique 0,1 poll. crassa; *nodi* annulo pilorum horizontalium, dense seriatim congestorum cincti; *petioli* oppositi, patentissimi, subtetragoni, pariter ac *rami* hirtissimi, caulis 2,0—2,5 poll. longi, superiores ac *ramorum* 12—18 poll. longorum, erecto-patentium, 0,7—0,4 poll. longi; *folia inferiora* cordato-ovata, acuta, duplicato-dentata, 3—4 poll. longa, 2,5—3,2 poll. lata, supra puberulo-hirsuta, subtus glaucescentia et praeprimis in nervis prominulis hirto-aspera, in nervo medio tuberculata, *superiora* et ramorum basi vix cordata, subaequalia, *summa* subrotundo-ovata, serrato-dentata, basi saepe valde inaequalia et integra 1,4—0,7 poll. longa, 1,0—0,6 poll. lata, pubescentia; *verticillastra* oligantha (1—4-flora) axillaria, una cum ramulo infra-pedunculari folioso, plus minus evoluto in foliorum axillis pedunculos 1- (rarius 2-)floros gerenti; pedunculi erecti, stricti, teretes, 0,4 poll. longi; *flores* in apice pedunculi umbellatim congesti, superior maximus, laterales bini minores, inferiore majores, pilis patentibus molliter puberuli; *bracteolae* ad basin calycis lineares minutae; *calyx* tubuloso-campanulatus; *tubus* basi angustus, 10-nervius, a dorso compressus, inde transverse latus; *faux* obliqua; *limbus* profunde 5-fidus, ante anthesin connivens, in anthesi patens; post eam *laciniae* ut tubus, valde auctae, subulatae, rigidae, 0,12 poll. longae, omnes assurgentes, ternae superiores, binae inferiores subbilabiatae; *sinus* inter lacinias semi-lunati, longe ciliati, inflexi et inde faucem claudentes; *corolla* lilacina; *tubus* calycem cum dentibus subaequans, 0,25 poll. longus, ejusdem tubo plus duplo longior; *faux* subconstricta; *limbus* bilabiatus patens, diametro transversali 0,3 poll., margine ciliatus; *labium superius* dentibus calycis 3 superioribus oppositum, profunde bilobum, planum, lobis oblongis, obtusis subreflexum, basi albidum et striis binis, violaceis et accessoriis minimis nonnullis

notatum; *inferius* patens 3-lobum, *lobis lateralibus* lineari-oblongis, subfalcatis, obtusis, *intermedio* minimo, obtuso, cucullato, e lateribus compressis, basi bigibboso, dein elastice resiliente; *stamina* 4 didynama, 2 *longiora* inter lobum intermedium et laterales labii inferioris exserta, 2 *breviora* inter labium utrumque exserta; *filamenta* corollae tubo inserta eique adnata, ad faucem tantum libera lilacina, pilis albidis, longis barbata, reflexa; *antherae* reniformes in dorso medio insertae brunneae, transverse dehiscentes, uniloculares (aut potius 2-loculares, loculis apice contiguis, basi divergentibus, utraque rima longitudinali in unicam confluenti dehiscente et inde antheram unilocularem fingentibus); *pollen* lutescens elliptico-subglobosum zonatum(?); *germen* 4-lobum; *stylus* longus filiformis, basi albidus, apice lilacinus, in fauce corollae exsertus, bilobus, lobis brevibus ovatis, obtusis, complanatis, interne stigmatosis, subreflexis; *fructus* in binos subquadrato-oblongos, apice emarginatos, basi acutos, complanatos, 0,17 poll. longos, 0,14 poll. latos, 0,02 poll. crassos lilacinos, sub lente sanguineë-punctulatos, monospermos secedentes; *epicarpium* recens juvenile crassiusculum e cellulis octaëdris, totis muco plenis; fructus *partes singulae* e calyce deciduae et ope muci soluti, ipsas cingentis lactei, foliis et herbae partibus aliis adhaerentes; *tela cellulola* epicarpii dein plane evanida, muco solo glutinoso absque ulla structura conspiciendo; semen partibus fructuum conforme; *cotyledones* orbiculatae applanatae. — Per totum fere annum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

360. SALVIA (CALOSPHACE) COCCINEA L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 284. Comm. 192. 30. Endl. Gen. 3597.h. Wlp. Rprt. III. 628. VIII.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 661. 241, sed differt nostra: foliis vix basi cordatis, floralibus ovato-lanceolatis persistentibus, nec ovatis deciduis, corollis haud glabris, sed dense puberulis et labio corollae superiore haud integro, sed brevissime emarginato; hisque differentiis valde accedit nostra ad *S. pseudococcineam* Jcq. Wlp. l. c. 244, quae autem differt: pilis patentibus hispidis, foliis floralibus ovatis, acuminatis, deciduis majoribus, connectivis antherarum sub inser-

tione breviter dentatis! — An species utraque jure sejungenda? — Vahlii descriptio (Dtr. I. 294. 84) valde accedens, dum ex eodem (l. c. 275. 34.) *S. pseudococcinea* differt: foliis multo majoribus, 4 poll. longis et 3—4 poll. latis, corollae labio superiore rotundato, nec lineari-lanceolato et lacinia media labii inferioris rotundata, crenata, nec obcordata.

Descrpt. Fruticulus 2—3 ped. altus, exoticus in *Europaeorum* hortis *Bataviae* frequens cultus, elegans ramosissimus; *rami* cruciati, erecto-patentes, tetragoni, angulis obtusis, inter angulos leviter canaliculati, dein aequales virides, pilis retrorsis, adpressis, praeprimis inter angulos canescentes; *pili* hyalini, acutissimi, basi erecti, dein reflexi, 3—6-articulati, ad articulos nodulosi, minutissime verruculati, basi crassiores acutissimi; *ramuli* 4-angulares, angulis acutis, pleramque violaceo-purpurei, nunc toti purpurei, incano- et dense retrorsum pilosi; *internodia* 1—3 poll. longa, 0,15—0,03 poll. crassa, ad nodos incrassata; *petioli* oppositi, primo erecti, dein patentissimi, semi-teretes, supra canaliculati virides, ad margines canaliculati, supra ciliati et saepe purpureo-colorati, 0,5—1,3 poll. longi, 0,02—0,04 poll. crassi, pilis jam supra descriptis consimilibus sed minoribus, patentibus aut antrorsis puberuli; *folia* inferiora ovato-oblonga, *superiora* ovata aut subrotundo-ovata, 1,5—0,8 poll. longa, 1,1—0,7 poll. lata, acuta, crenulato-dentata, dentibus rotundatis, obliquis, apice mucrone glanduliformi terminatis, basi truncata, nec subinaequaliter attenuata, nunc subcordata, 3—5-plinervia, tactu mollia, supra atro-viridia, minutissime velutina, subtus glaucescentia, reticulata et inter rete punctulata, minute puberula, pilis patentibus, brevissimis, 2—3-articulatis, conicis, acutissimis; *flores* in ramulorum apicibus in pseudo-verticillos 10-floros, 1,3—0,3 poll. distantes, 4 completos dispositi, succedanei, primo intermedii, cujusve semiverticilli, oppositi, dein bini exteriores et postremo bini inter utrosque positi evoluti et inde rectius racemum, valde abbreviatum, sessilem sistentes; *folia floralia* (bracteae autor.) foliis reliquis similia viridia, ovato-lanceolata, acuminata, sessilia, 3-nervia, apice subrevoluta, 0,25—0,20 poll. longa,

0,10—0,08 poll. lata, subtus minute reticulata, puberula, persistentia, vegeta; *bracteae* (bracteolae autor.) subnullae, evanidae aut minutissimae, flavescentes obovatae, basi attenuatae, crassiusculae, punctiformes; *pedunculi* teretes, ante anthesin erecti, atro-purpurei, pilis patenti-retrorsis, minutis, jam descriptis consimilibus, 3—4-articulatis subincani, 0,13 poll. longi, in anthesi patentes erecti, apice cernui, fructiferi virides, 0,15—0,20 poll. longi patentes; *calyx* paullo ante anthesin tubuloso-turbinatus, basi angustatus, 0,25 poll. longus longitudinaliter 14-costatus, antice viridis, dorso atro-purpureus; *costae* intensius coloratae, 7 dorsales, apice confluentes in dentem subrotundum, planum, mucronulatum, atro-purpureum, inferiores 6 per 3 et 3 in lacinias binas dentis inferioris bifidi, superiore majoris, sed conformis viridis excurrentes, 7-ma intermedia incissurum attingens; *calyx* in anthesi basi tubulosus aequalis, dorso atro-purpureus, antice viridis, in costis valde prominulis minute puberulus, intus glaberrimus, lucidulus, dilatatus, bilabiatus; *labium* superius integrum, planum, horizontale, mucronulatum; inferius horizontale bilobum, lobis acutis, mucronulatis; post anthesin *calyx* vegetus 0,3 poll. longus persistens, basi paullo inflatus, ad faucem a latere compressus et personatus; *labia* a latere compressa, divergentia, marginibus labii cujusdam contiguis et inde faucem constringentibus et claudentibus; *fructifer* calyx emarcidus a ventre et dorso compressus, scariosus, flavo-fuscus, fauce apertus, bilabiatus, labiis horizontaliter planis, subadscendentibus; *corolla* coccinea elegans, intus tota pilis tenuissimis, brevibus acutissimis, 3—4-articulatis, coccineis, minute velutina, longe exserta, 0,7 poll. longa, bilabiata; *tubus* a latere compressus, supra basin albidam paullo constrictus, dein sensim infundibuliformi-inflatus, 0,5—0,6 poll. longus, 0,05—0,15 poll. latus, utrinque coccineus, intus glaber; *limbus* bilabiatus; *labium superius* lineare lanceolatum, subfornicatum, apice truncatum, obsolete bilobum, 0,14 poll. longum, 0,06 poll. latum, genitalia fovens; *inferius* multo majus trilobum, 0,3 poll. longum, apice transverse 0,2 poll. latum; *lobi* late-

rales labio superiore breviores erecti, verticales rotundati; intermedius lateralibus major latissimus, basi attenuatus, horizontalis, obcordatus, undulatus; *stamina* 2, tubo ad faucem inserta, in labio inferiore adscendentia et sub labio superiore recepta; *filamenta* brevia, filiformia, sigmoideo-flexuosa, teretia, basi coccinea, versus apicem albida, 0,1 poll. longa, nuda; *connectiva* articulatim infra medium inserta, filamentis multo longiora, 0,45 poll. longa, subteretia, coccinea, lucidula, infra medium pilis minutis, crassis, obtusiusculis, hyalinis aut plerumque coccineis, unicellulosis, verruculatis obsessa et eorum ope plus minus intricato-cohaerentia, ima basi et supra medium divergentia, versus apicem adscendentia, parallela, sub corollae labio superiore recepta, et exserta ibique (antice) antherae loculum unicum gerentia, postice loculo nullo praedita, acuta; *antherae loculus* linearis primo rectus, dein recurvatus, paullo supra basin insertus, in eadem cum connectivo planitie, dorso atro-purpureus et dein transverse rugosus, antice candidus et ibidem linea longitudinali dehiscens, linearis 0,07 poll. longus; *pollen* albidum, lucidum, globosum, minutum; *germen* disco glanduloso, carnoso, crasso, viridi-albido, 4-lobato suffultum, lobis acutiusculis, binis oppositis lateralibus minutis, tertio paullo majore dorsali, 4-to inferiore conico acuto germinis lobis paullo longiore, eosque resemplante, disco paullo longius 4-lobum; *lobi* oblongo-oviformes flavescentes nitidi glabri conniventes; *stylus* inter lobos germinis insertus, centralis, erectus, adscendens, inter connectiva antherarum receptus, antherarum loculos attingens, filiformis 0,9 poll. longus; albidus, versus apicem kermesinus, pilis patentibus raris, 3—4-articulatis, hyalinis obsessus; *stigma* bifidum, extus hinc pilis patentibus, minutis obsessum; *laciniae* semi-teretes, acuminatae, intus planae nec papillosae, primo erectae, subparallelae, dein divergentes et postremo nunc una, nunc utraque lacinia revoluta; *fructus* in fundo calycis (vid. spr.) inclusi in partes 4- aut abortu 2-secedentes, quarum quaeque oblonga, subcomplanata, obtusiuscula, glaberrima, flavo-fusca, maculis nebulosis, brunneis notata,

0,08 poll. longa, 0,03 poll. lata sessilis, basi puncto albido, minuto praedita, coriacea; *semen* conforme, fructus lobum quemque implens, albido-flavum, glabrum conforme; *testa* tenuis membranacea; *albumen* tenue periphericum carnosum, e granulis globosis, magnitudine valde diversis, hyalinis, ope tincturae Jodii lilacinis constans; *embryo* centralis carnosus, complanatus, albidus, lucidus; *cotyledones* ovato-oblongae, obtusae, plano-convexae, applicativae, radicula cylindrica, apice acuta. — Mensibus Januario ad Junium flores fructusque proferentes vidi fruticulos. — 1846.

361. ANISOMELES MALABARICA R. BR. β. ALBIFLORA.

Quoad Affin. cf. Msn. Gen. 282, ubi nostra species e staminibus superioribus longioribus *Nepeteis* potius adscribenda erit (cf Endl. Gen. p. 622. VIII, ubi erroneë *infe-* pro *supe*-riora dicitur et 623. IX), quam *Stachydeis*.

Char. Gen. cf. R.Br. Prdr. I. (503.) 359. Msn. Gen. 287. Comm. 195. 83. Endl. Gen. 3649; filamenta inferiora haud longiora, sed *breviora!* — omnia inter se cohaerentia barbata; corollae color albus! et calyces haud glandulosi.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 815. 8. Bl. Bijdr. 823 (sub *Nepeta*) accedit ad *A. salviaefoliam* R.Br. Prdr. I. 359. 3. Wlp. l. c. 4; ob folia mollia crenata potius ad *A. ovatam* R.Br. ducenda, — ob verticillos completos ad *A. malabaricam* pertinere videtur et inde summo jure ad *A. intermediam* Wght. Wlp. l. c. 7 vindicanda, verosimiliter, uti et clbrr. Bentham putat, hybrida e specie utraque!

Descrpt. Herbae perennes, erectae, canescenti-lanatae, in apricis et ad vias prope *Weltevreden* communes, 2—3 ped. altae, graveolentes, aut potius foetentes; *caulis* tetragonus, superne 4-angularis, inter angulos excavatus, cum ramis ramulisque retrorsum puber; *rami* patentes cruciati, alter ejusdem nodi longior magis evolutus; *internodia* supra basin paullo incrassata, 1—3 poll. longa; *petioli* oppositi, longi, patentes 1,0—2,5 poll. longi, subtetragoni, antrorsum puberuli; *folia* late ovata, acuta, basi subtruncata, integerrima, grosse crenato-dentata, 3,0—2,0 poll. longa, 3,0—1,5 poll. lata, utrinque mollissime pubescentia, subtus glauca; *verticillastra* in apicibus ramorum axillaria

spicam 6—12 poll. longam, strictam, crassiusculam, foliatam, densam formantia, e racemis binis, abbreviatis, 9—11-floris, dichotomis, bracteatis conformata; *bracteae* ad florem singulum binae, inferiores spathulatae, 0,5 poll. longae, superiores lineares breviores 0,2 poll. longae, omnes basi longiter attenuatae, acutae, persistentes, uti et calyx puberulae; *flores* sessiles; *calyx* campanulatus, obsolete pentagonus, 5-fidus, 0,4 poll. longus, 0,2 poll. crassus; *laciniae* conniventes in fructu tandem patulae, lanceolatae, acuminatae, 0,15 poll. longae, subcarinatae, fauce glabrae; *corolla* albida, 2-labiata; *tubus* calycis longitudine, infra faucem et staminum insertionem annulo membranaceo, tenuissimo clausus; *faux* dilatata a latere compressa; *labium superius* erectum, inferiore brevius, 0,3 poll. longum, ovato-oblongum, subfornicatum, marginibus dein reflexis interiore multo-angustius, 0,2 poll. latum, staminibus incumbens, versus apicem acutum, vix bidenticulatum flavescens; *inferius* multo longius, 0,5 poll. longum, 0,2 poll. latum, 3-fidum, subtus concavum, supra convexum, dense pilosum, lobis binis lateralibus, brevibus, obtusis, reflexis, lobo medio maximo candido, bilobo, lobis rotundatis, a latere inferiore contigue complicatis; *stamina* 4 didynama, adscendentia; *filamenta* ultra medium conglutinata, nutantia, dein per paria divergentia, inferiora paullo breviora, medio in pagina interiore (curvatura) et supra versus apicem longe denseque albido-barbata; *antherae* inferiorum biloculatae, breves terminales; *loculi* paralleli lateraliter dehiscentes, superiorum uniloculares transverse dehiscentes dimidiatae; *germen* 4-lobum, lobis complanatis, laevissimis, nitidis albidis; *stylus* albidus capillaris tenuissimus, apice bifidus; *laciniae* reflexae subaequales; *calyx* fructifer paullo auctus, basi angustatus, fauce et limbo patentibus; *fructus* in 4 lobos, dein liberos, nigros, nitidissimos, compressiusculos, subrotundos sejuncti.

VERBENACEAE JSS.

362. LIPPIA (ZAPPANIA) NODIFLORA Rch.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3684. Msn. Gen. 290. Comm. 199. 15.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 821, folia autem glaberrima; Wlp. Rprt. IV. 49. 30. Varietati a Walpers clss. propositae α accedit, sed folia multidentata!

Descrpt. Herbae perennes, in graminosis ad vias et in stagnantibus prope *Batavium* frequentissimae, repentes glaberrimae, pingues sapore amaro; (forma hoc loco descripta e stagnantibus sumpta!) *caulis* basi nunc procumbens geniculatus ramosus, ad genicula radicans, teres, nunc leviter bisulcatus; *internodia* 1,0—3,5 poll. longa, juvenilia vix evoluta, pilis minutissimis, adpressis, albidis canescentia, dein glaberrima; *rami* erecti, stricti; *stipulae* nullae; *folia* opposita, obovato-cuneata s. cuneata, basi longiter attenuata, canaliculata, integerrima et ad insertionem semi-amplexicaulia, apice lata, rotundata aut subtruncata, dentibus argutis 9—11 cartilagineis, acutis praedita, 0,7—1,5 poll. longa, 0,35—0,8 poll. lata, sat rigida, laete viridia, glaberrima, crassiuscula, opaca, in praefoliatione complicata; *pedunculi* axillares solitarii, plerumque e nodo caulis quoque bini oppositi, rarius ex axilla utraque bini progredientes, erecti, stricti, folium longitudine subaequantes 0,5—1,5 poll. longi, tetragoni, basi saepe ramulo succedaneo suffulti; *flores* in pedunculorum apice in *capitulum* breve subglobosum, sensim elongatum, spicaeforme congesti sessiles, bracteis imbricatis suffulti; *bracteae* floribus paullo breviores ovatae, acuminatae, carinatae, *externae* virides, margine tenuiore purpureo, 0,1 poll. longae et basi latae, *internae* basi virides, apice haud a bracteis inferioribus tecto purpureae, persistentes vegetae; *calyx* basi tubulosus, albidus, membranaceus, profunde 2-fidus; *laciniae* oblongae, acutae, carinatae, concavae, versus apicem paullo purpureo-tinctae, persistentes vegetae, dein virides; *corolla* exserta albida; *tubus* calyce quartam partem longior 0,08 poll. longus, albus, strictus; *limbus* 5-partitus, valde

inaequalis hypocraterimorphus albus; *laciniae* binae *superiores* (internae s. centripetae) minimae oblongae, subreflexae, *laterales* binae, ovatae, acutiusculae, plus duplo majores, *infima* 5-ta (externa s. centrifuga s. radii quasi Compositarum) maxima, orbiculata, basi subattenuata et ad faucem macula lutea notata; *stamina* 4 didynama, 2 *longiora* inferiora, in fauce conspicua subexserta, inter lacinias corollae laterales et inferiorem; 2 *breviora* inter lacinias laterales et superiores corollae fauci inserta; *filamenta* brevissima; *antherae* luteae, ovato-subglobosae, 2-loculatae; *loculi* rima longitudinali lateraliter dehiscentes; *pollen* luteum ovale, fovilla sat copiosa foetum; *germen* in fundo calycis minimum, albidum, lucidum, subglobosum, apice conicum, biloculatum; *gemmulae* in loculo quoque solitariae; *stylus* brevis, cylindricus albus; *stigma* peltato-capitatum sat crassum viridiusculum papillosum; *capitulum fructiferum* 0,4 poll. longum, cylindrico-oviforme 0,22 poll. crassum, bracteis vegetis imbricatum, purpureo-violaceum; *fructus* calyce vegeto inclusi et corolla emarcida persistente coronati, lenticulari-subcompressi, orbiculares, diametro 0,05 poll., sicci albescentes, linea mediana viridi notati, ibique in partes 2 secedentes; *septum* 2-lamellato-fissum, ita, ut potius dicas fructum dicoccum; *semen* in loculo quoque unicum, uno latere planum, altero convexum oblongum. — Mensibus Martio ad Majum praeprimis flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

363. CLERODENDRON PANICULATUM L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3708. Msn. Gen. 291. Comm. 200. 34.

Char. Spec. cf. L. Cod. Richt. 4636. Wld. Sp. pl. III. 388. 8. Bl. Bijdr. 811. Wlp. Rprt. IV. 102. 3.

Descrpt. Apex *ramorum* paniculatus, aut panicula maxima pyramidalis foliata, sensim subaphylla; *folia* caulina, 5—7-loba, aut deficientibus lobis intermediis hastato-triloba, diametro transversali et longitudinali, 10 poll. et ultra, obsolete dentata, dentibus vix prominulis punctiformibus; floralia cordata, triloba, biloba, summa cordato-ovata integra, margine

obsolete denticulata; supra atro-viridia, glabriuscula, subtus glaucescentia, squamulis scutellato-peltatis obsessa; *petioli* supra canaliculati, inferiores 6—8 poll. longi, superiores 3—2 poll. longi; *ramuli* floriferi oppositi, basi linea densissime lanato-pilosa cincti, et bracteolae lineari-subulatae, deciduae, calycesque coccinei, dichotomi, multiflori; *calyx* campanulatus, 5-fidus; *corolla* fere miniata (nec aurantiaca), limbus parvus; tubus longiusculus, curvatus; *filamenta* longissima, coccinea, stylo breviora. — Huic speciei valde habitu accedit: *Clerodendrum squamatum* Vhl. Wlp. Rprt. IV. 107. 38. *Cl. Kaempferi* Sbld. Verh. Bat. Gen. XII. 31. No. 187. — *Volkameria Kaempferi* Wld. Sp. pl. III. 385) cui: *folia* orbiculata, basi profunde cordata, lobis baseos imbricatis, dentata, supra glaberrima, nitida, subtus pallescentia, glaucescentia, squamulis scutellato-peltatis, densissimis obsessa, diametro 8—12 poll., *panicula* tota cum ramis, bracteis, pedunculis, calycibus, corolla et genitalibus coccinea, subpuberula; *calycis* tubus globoso-connivens, vesicarius, laciniae acutissimae; *corollae* tubus calyce duplo longior, limbus tubum dimidium aequans, *genitalia* longissima.

364. CYCLONEMA SERRATUM Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. Suppl. III. 3708/1. Msn. Gen. add. 367. 33/1.

Char. Spec. cf. *Clerodendrum* Sprg. Bl. Bijdr. 810. Hsskl. Catal. 630. 2. Wlp. Rprt. IV. 106. 31. *Volkameria* L. Wld. Sp. pl. III. 384. 5. *Caprifolium ovatum* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 71. — Rheed. mal. IV. t. 29.

Descrpt. *Folia* 8—10 poll. longa, 4 poll. lata; *bracteae* pallidiores ovato-lanceolatae, acuminatae, integerrimae, ramorum florentium lineares acuminatae patentes; *pedunculi* floriferi purpurascentes, fructiferi flavescentes; *calyx* pallide virens; *corollae* tubus calyce vix duplo longior; *limbus* connivens, dein subpatens, lilacinus; lacinia inferior scyphimorpha, laterales et superiores pallidiores subplanae; *genitalia* dein inter lacinias superiores longe exserta curvata, lilacina; *fructus* carnosus, 1—4-loculatus, depresso-tetragonus, leviter 4-sulcatus, loculi distincti, crustacei, monospermi; *albumen*

nullum, *embryo* rectus altero latere convexus, altero concavus. — Nomen sundense: *Singûgu*.

365. CYCLONEMA (?) TRICHOTOMUM Hsskl.

Char. Spec. cf. *Clerodendrum* Thnb. Wld. Sp. pl. III. 387. Wlp. Rprt. IV. 102. 2.

Descrpt. *Frutex* 4—6 ped. altus; *rami* teretes; *ramuli* obsolete tetragoni; *stipulae* subnullae; *folia* opposita, ovata, acuminata, basi obtusa s. obsolete cordata, crenulata; *petioli* dimidio folio longiores, subteretes et nervi foliorum puberuli; *inflorescentiae* axillares ad apicem ramulorum dichotome cymosae, subdistichae; *flores* pedunculati; *calyx* prismaticus quinquangularis 5-fidus ruber, persistens vegetus; laciniae lanceolatae conniventes; calyx fructifer coriaceus, 5-partitus, patentissimus, supra atro-sanguineus, lucidus, laciniae ovatae, obtusiusculae; *corolla* hypocraterimorpha; tubus ante anthesin calycem aequans in anthesi longe exsertus ruber, basi albidus; limbus 5-partitus, albidus; laciniae oblongae, obtusae, margine reflexae; *stamina* subdidynama; *filamenta* a fauce tubi libera filiformia, apice subulata, flexuosa, ante anthesin spiraliter involuta; *antherae* dorso medio affixae incumbentes oblongae, castaneae, loculi paralleli, basi divaricati; *germen* minutum, obsolete tetragonum, apice rotundatum; *stylus* longissimus, albidus, apice viridiusculus.

Adnot. Inormalem reperi florem unicum calyce patentissimo, 5-fido, laciniis ovato-lanceolatis extus rubris, intus luteis, apice rubentibus; corolla irregulari, limbo bilabiato, 3-partito, laciniis basi longiter attenuatis, orbiculatis, concavis, complicatis; binis inferioribus, basi connatis, filamentis 3-bus, caeterum normalem!

366. CALLICARPA OBLONGIFOLIA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3712. Msn. Gen. 292. Comm. 200. 42.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 632. 3. *C. acuminata* Rxb. Wlp. Rprt. IV. 128. 18, nec H. B. K. l. c. 126. 7; — *C. longifolia* Bl. Bijdr. 817, nec Lam. Wlp. Rprt. IV. 128. 15. *Hedyotis arborescens* Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 77. — *C. longifolia* Lam. differt ramis et foliis glaberrimis, panicula subvillosa calyceque truncato; *C. Heynei* Rth. Wlp. l. c. 17, foliis ovatis subtus albidis.

Descript. *Caulis* fruticosus, *rami* subteretes s. obsolete tetragoni, dense ferrugineo-tomentosi; *petioli* breves 1,5 poll. longi, semi-teretes; *folia* oblongo-lanceolata, utrinque acuminata, margine crenulato-serrata, supra glabra, subtus stellato-tomentosula; *cymae* divaricatae; *calyx* obsolete 4-dentatus, subtruncatus, cyathimorphus, minutus; *corolla* lilacina infundibuliformis; laciniae ovatae, obtusae; *filamenta* filiformia, fauci inserta lilacina; *antherae* cordato-ovatae, dorso supra basin affixae, erectae; *pollen* luteum; *germen* subglobosum; *stylus* longe exsertus, filamentis multo longior, lilacinus; *stigma* truncatum, subbilobum lilacinum; *fructus* carnosi, depresso-globosi, candidi. — Nom. sund. totius generis: *Katúmpang*.

367. CALLICARPA CUSPIDATA Rxb.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. IV. 128. 19. *C. oblongifolia* Hsskl. β. *acuminatissima* Hsskl. Catal. 632. 3. *C. longifolia* Bl. *var.* Bl. Bijdr, 818. — Ab *antecedente* hisce diversa: *rami* teretes, *ramuli* fusco-, aut albido-farinosi, farina e pilis peltatis minutissimis aspera et in petiolo, nervis eorumque ramificationibus in foliorum pagina inferiore; *folia* plerumque opposita, longiter et acutissime acuminata; *petioli* 0,75 — 0,50 poll. longi, saepe sanguineo-rubentes; *pedunculi* petiolo longiores multiflori, flores odorati et cymicini; *pedicelli* teretes graciles, 0,1 poll. longi, terni in ramulo saturatius viridi articulati; *calycis* limbus hyalinus, striis 4 viridibus crassioribus dentes indicantibus; *corolla* persicina, 0,1 poll. longa, calycem longe excedens; limbi laciniae erectae; *filamenta* basi corollae inserta, corollam aequantia, rosea; *antherae* oblongae, apice rotundatae, basi subsagittatae, loculi appositi, infra medium divaricati; *germen* subglobosum, quadrisulcatum; *stylus* flexuosus, albidus; stigma subpeltatum.

ASPERIFOLIAE L.

368. TOURNEFORTIA TETRANDRA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3747 sed flores 4-narii! Msn. Gen. 279. Comm. 186. 8.

Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 845. Hsskl. Cat. 637. 3. Diagn. nov. 108.

Descrpt. *Frutex* scandens; *rami* fragiles; *ramuli* saepe angulati; *petioli* 0,2—7,0 poll. longi, supra canaliculati, dein reflexi; *folia* ovata s. oblongo-ovata, acuta, rarius acuminata, basi cordata aut rotundata, carnosula, juniora pillis raris ad-

pressis, seniora nuda, subtus hinc scabriuscula, glaucescentia, margine saepe undulata, 2—4 poll. longa, 1—2 poll. lata; inflorescentia terminalis, ramo axillari dein lateralis oppositifolia; *flores* biseriati, in rhachi reflexa; *corolla* viridi-flavescens; tubus 0,2 poll. longus, tetragonus, basi globosus; limbus vix 4-dentatus, subtruncatus; *antherae* supra tubi partem dilatatam subsessiles; *germen* globoso-conicum; *stigma* sessile bifidum; *fructus* carnosi, pisiformes albidi, glabri laeves, punctulo nigro in vertice.

β. *longiflora* Hsskl. Catal. 637. 3; foliis saepe suboppositis plerumque latioribus, ad 2,5 poll. longis, magis divaricatis, corolla et antheris duplo longioribus, drupis vix minoribus.

γ. *glabra* Hsskl. Diagn. nov. 108. Catal. l. c. — foliis utrinque glabris, subtus reticulatis, corolla campanulato-tubulosa, subtetragona. — Nom. sund. et mal.: *Kembàng sísir*, i. e. flos pectinatus.

SCROPHULARINEAE R. BR.

369. RUSSELIA EQUISETIFORMIS Cham. et Schlcht.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 308. Comm. 219. 61. Endl. Gen. 3910, calycis lobi autem haud attenuato-subulati; sed subrotundo-ovati, uti recte habet Bentham clss. in DC. Prdr. X. 331, corollae faux imberbis nec barbata.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 253. 10. DC. Prdr. II. 332. 2; signa distinctionis a genere jam supra laudata, in descriptione speciei quadrant; folia autem in nostris majora, haud elliptica et corolla longior, indeque *R. junceae* Zcc. DC. l. c. 1 valde accedens, quae calycis laciniis acuminatis et foliis parvis tantum differre videtur.

Descrpt. Herbae spartiformes suffrutescentes — incolae mexicanae e Zeylonia introductae, in Europaeorum hortis *Bataviae* saepe cultae ob habitum floresque pulcherrimos elegantes; — 2—8 ped. altae; *caulis* erectus, debilis; caules uberiores erecti, substricti, ad basin 0,3 poll. crassi rubentes, supra laete virides, nodosi; *internodia* 2—4 poll. longa, petiolorum juvenilium pressu 5-, rarius 6-sulcata, sulcis sat latis; *rami* verticillati, axillares quini, rarius 6—7-ni, saepe abortu

3—2-ni, erecti, pariter laete virides, summi *ramuli* saepe subtetragoni, aut 3—5-goni; *stipulae* nullae; *folia* verticillata 5, rarius 6—7. saepe in ramulis 4—3, aut in summis imoque bina opposita, in *petiolo* brevi, 0,15—0,20 poll. longo, plano, basi latiore, erecto, cauli ramisque arcte adpresso, ad apicem patenti, glaberrimo viridi, *juvenili* basi sanguineo patentia, infima minora irregulariter evoluta, summa ante ramificationem maxima, sat viridia, ovata, acuta, grosse serrata, margine et saepe apice revoluta, basi nunc inaequaliter attenuata aut obtusa, 0,9 — 0,4 poll. longa, 0,6 — 0,3 poll. lata, utrinque glabra, supra punctulis albidis, supra convexis, subtus bullato-concavis notata; ramulorum in *petiolo* 0,07 poll. longo, minora abortiva, aut in ramulis floriferis squamaeformia, minutissima, lineari-lanceolata, acuminata, apice reflexa, 0,1 poll. longa; *ramuli* summi floriferi nutantes cernui aut imo penduli tenuissimi, angulati, glaberrimi; *pedunculi* solitarii aut verticillatim 2—4-ni patentes, supra medium articulati 1-, rarius 2-flori, *pars* eorum *inferior* tetragona, glabra, 0,6—1,0 poll. longa, apice 2-bracteolata; *bracteolae* minutae, foliis summis abortivis conformes; *pars* pedunculorum *superior* (pedicellus) patens, curvatus adscendens aut pendulus teres, glaberrimus, lucidus, rubens, versus apicem paullo incrassatus; *calyx* gamophyllus brevis, 0,1 poll. longus, 5-partitus, lucidus, rubens; *laciniae* ovatae, acutae, in praefloratione imbricativae, in anthesi erectae, tubo corollae adpressae, dein conniventes, germen fructumque arcte includentes; *corolla* coccinea, tubulosa; *tubus* ad basin paullo attenuatus, vix curvatus 0,9 poll. longus, 0,2 poll. crassus, intus flevescens; limbus 5-lobus patens, 0,35—0,45 poll. diametro transversali; *lobi* bini superiores angustiores, altius connati, reliqui bini laterales cum infimo majores et latiores oblongae, apice subrotundae vix apiculatae; *stamina* 4 didynama adscendentia; *filamenta* tubi basi inserta, ima basi descendenti-curvata, dein sensim adscendentia, lobis 2 superioribus substrata, filiformia flavescentia, inferiora paullo majora 0,7 poll. longa, apice paullo attenuata; *antherae* ovatae introrsae, sub apice

insertae, in fauce corollae conspicuae, pendulae, 2-loculatae; *loculi* primo paralleli, dein divaricati, longitudinaliter dehiscentes et inde antheras transversim dehiscentes simulantes; *pollen* albidum, globosum sat magnum; *germen* annulo glanduloso, lucido, luteo-viridi, bilobo, lobis acutis, insertum ovatum, basi subtetragonum, biloculatum, apice attenuatum in *stylum* 0,7 poll. longum, teretem, sensim tenuiorem, apice hamatum; *stigma* vix capitatum subincrassatum, levissime subbilobum; *septum* germinis tenuissimum; *receptacula* (placentae) crassa, semi-teretia, gemina, septo vix sejuncta, connata, margine tantum libera obtusa; germen totum fere implentia, tota gemmulis plurimis obtecta; *fructus* styli persistentis rudimento mucronatus, ovato-conicus, acutus, bivalvis, 2-loculatus; *valvae* ovatae, acutae, concavae, septo transversae, dein totae bifidae, lacinia quadam styli basi 4-fida, apice saepe cohaerentis mucronata; *receptaculum* crassum, conicum, septo tenuissimo adnatum persistens; *semina* plurima minuta. — Mensibus Septembri ad Junium et forsan per totum annum flores fructusque plurimos gerit. — 1846.

370. BONNAYA VERONICAEFOLIA Sprg.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 310. Comm. 221. 92. Endl. Gen. 3948. Bnth. in DC. Prdr. X. 344 et 420, calyx autem 5-fidus, nec (in anthesi) 5-partitus; corollae limbus vix 5-fidus sed potius 4-fidus, lacinia summa vix 2-dentata; fructus cylindricus; — Dtr. Sp. I. 555 erroneë stamina sterilia nulla dicit! — *Ilysanthes* Raf. Msn. l. c. et Comm. 221. 94, a clss. Endl. Sppl. II. p. 61. 3946 dubiose ad *Gratiolam* ducta, (an vere 1-loculata? Msn. Comm.) forsan hujus generis? e clss. Bentham (DC. l. c. 418) solo filamentorum anticorum ramulo glabro (interdum minuto) fructibusque brevibus diversa. — *Gratiola* R. Br. Endl. Gen. 3946. Msn. l. c. differt: valvis fructus bifidis, septo e marginibus introflexis soluto, calyce 2-bracteolato, 5-partito, e Benth. l. c. et insertione staminum, fructuque globoso diversa; — *Torenia* L. valde affinis, praeprimis si cum *Vandellia* summo jure conjungas, solummodo defecto staminum anticorum et fructu quam calyx breviore diversa; hanc a *B. veronicaefolia* inflorescentia et fructu breviore differre dicit, prior autem in juvenilibus speciminibus *axillaris*, in senilibus *racemosa* evadit et inde secundum Bntham l. c. 413. Vandellia a Torenia solo calyce brevi subaequali differt.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 288. 3. Rxb. Ind. I. 137. 8 sub *Gratiola* cum citt. et *B. grandiflora* Sprg. Wlp. l. c. 6. Bnth. DC. Prdr. X.

421. 5. — Rmph. amb. V. 460 t. 170. 2, icon optima! pariter racemos haud ostendens. An *B. reptans* Sprg. Wlp. l. c. 2. DC. l. c. 2 a nostra sufficienter distincta? — annón utraque formae diversae unius speciei, e soli et localitatis indole ortae? — Filamenta sterilia hamata a Clss. Bnth. laudata mihi non visa!

Descrpt. Herbae procumbentes, repentes, in argillosis ruderatis et in graminosis vilissimae in tota *Java occidentali* et forsan *orientali*, locis nimis elatis tantum exceptis, glaberrimae, sat pingues, virides, versus apicem ramorum luride-purpureo-tinctae; *rami* geniculati, tetragoni, plerumque dichotomi, apice adscendentes 5—8 poll. longi; *folia* opposita decussata, spathulata s. obovato-oblonga, basi attenuata, integerrima, semi-amplexicaulia, supra medium acute serrata, apice acuta aut obtusa, subtus glaucescentia, 1,2—0,7 poll. longa, 0,4—0,3 poll. lata, patentia; *pedunculi* solitarii, axillares plerumque oppositi, tetragoni, in anthesi calyce duplo longiores 0,3 poll. longi, suberecti, fructiferi, patentes crassiores 0,5 poll. longi; *calyx* fuscus pentagonus, angulis paullo prominulis in dentes longos, lineari-subulatos, subaequales progredientibus; *dentes* 3 superiores paullo longiores, omnes longitudine tubum superantes erecti, tubo corollae adpressi; *corolla* pallide lilacina personata, 0,4 poll. longa; *tubus* infundibuliformis, calyce vix longior; *limbus* 2-labiatus; *labium superius* concavum, inferiore paullo brevius, sed angustius, ovato-oblongum, acutum, summo apice vix bidenticulatum; *inferius* latum 3-lobum; *lobi* subrotundi, subaequales, intermedius in fauce intruso-2-plicatus, albidus; *stamina* 4, quorum 2 *antica* sterilia, filiformia, apice subclavata, laete lutea, juxta plicas lobi intermedii inserta, fissuris labii inferioris opposita, 0,05 poll. longa, 2 postica superiora fertilia; *filamenta* arcuata, adscendentia, apice in *connectivum* securiforme dilatata; *antherae* albidae, loculis divaricatissimis connexae, loculo antherae unius cum illo alterius conniventes et sutura communi dehiscentes, dein *loculi* crutiatim connexi; *pollen* albidum, globosum; *germen* ovato-oblongum, acutum, laete viride, lucidum, 0,05 poll. longum, 2-loculatum; *dissepimentum* tenue, fere totum receptaculis binis, subcylindricis,

adnatis obtectum; *gemmulae* supra receptaculum sessiles, plurimae, tessellatae, ad hilum breviter attenuatae; *stylus* brevis adscendens albidus, 0,16 poll. longus, apice paullo dilatatus; *stigma* bilamellatum, album, valdē irritabile, supra antheras exsertum; *fructus* calycem vegetum, profunde 5-fidum, dein 5-partitum, viridem 0,25 poll. longum plus duplo superans, 0,7 poll. longus teres, apice attenuatus, bivalvis; *valvae* dissepimento tenuissimo et receptaculo huic adnato crasso, tereti, longo parallelae, dein deciduae; *semina* plurima receptaculum obtegentia, verruculata; *albumen* cartilagineum; *embryo* intra albumen axillaris curvatus cylindricus. — Mensibus Januario ad Aprilem et forsan per totum annum flores fructusque gerit. — 1846.

371. TORENIA CRUSTACEA Cham. et Schlchtd.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3953. Msn. Gen. 311. Comm. 222. 119. DC. Prdr. X. 409, calycis limbus subaequalis 5-dentatus; — a *Mimulo* L. Endl. 3935. Msn. l. c. DC. Prdr. X. 341 et 368 insertione staminum, fructus valvis septo parallelis nec septiferis, seminibus haud utrinque subulatis et filamentis antice basi appendice auctis; — a *Vandellia* L. vix nisi calycis tubo angulato diversa! — cf. DC. l. c. 410. 10. *T. hirsuta* Lam., cui pariter est calyx florifer costis vix conspicuis. Annon forsan majore jure genus utrumque conjungendum? cf. nota ad finem Char. generis *Vandelliae* DC. l. c. p. 413, nam in hac specie calyx pariter est aequalis, nec oblique dentatus, nec bilabiatus!

Char. Spec. cf. *Vandellia* Bnth. Wlp. Rprt. III. 292. 4. DC. l. c. 413. 3. *Mimulus javanicus* Bl. Bijdr. 755, qui jam valvas fructus haud contrarias sed septo parallelas dixit, Wlp. Rprt. III. 277. 26. DC. l. c. 373. 31. Hsskl. Decad. 7. Cat. 672. 1. — *Carnasci minus* Rmph. amb. V. 461 t. 170. 3 juxta *Toreniam asiaticam* L. Wlp. Rprt. III. 294. 3. ponenda species. — *Gratiola lucida* Rxb. Ind. I. 138. 7.

Descrpt. Herbae pusillae in argillosis et graminosis prope *Bataviam*, *Bogor* et forsan totius *Javae occidentalis* haud nimis elatae, repentes, laete virides, glaberrimae; *caulis* subnullus, brevissimus, a basi ramosus; *rami* dichotomi, divaricati, quadrangulares, nunc angulis magis prominulis 4-sulcati, glabri, laete virides, radiatim dispositi, 4—8 poll. longi, summo apice adscendentes; *folia* opposita, inferiora ovata, ovato-lanceolata s. ovato-subrotunda, basi ± abruptim

in *petiolum* marginatum, canaliculatum, 0,2—0,3 poll. longum attenuata, nunc integerrima, obtusa aut obsolete repando-dentata, acuta, superiora petiolo 0,15—0,05 poll. longo suffulta, ovata aut subcordato-ovata, acuta, acute serrato-dentata, 0,6—0,3 poll. longa, 0,50—0,25 poll. lata, margine minutissime aculeolato-ciliata; *pedunculi* in ramorum apicibus axillares solitarii, ante et in anthesi apice cernui, 0,4—0,6 poll. longi, post anthesin elongati, 1,0 poll. longi, stricti, erecto-patentes 4-angulares, angulis acutis, rubenti-virides; *calyx* basi attenuatus, 5-angularis, angulis valde prominulis, in dentes totidem triangulares acutos, tubo 3-plo minores, erectos, carinatos transeuntibus, tubuloso-infundibuliformis, 0,2 poll. longus, viridis, persistens, vegetus, in fructu ad basin aut lateraliter fissus, spathaceus, aut regulariter 5-partitus, laciniis lineari-lanceolatis, carinatis, fructui adpressus, 0,15 poll. longus, viridis; *corolla* subpersonata irregularis decidua, longe exserta 0,35 poll. longa, apice subcurvata; *tubus* infundibuliformis, basi viridis, supra basin subtus lilacinus, stria mediana alba, intus lutea, supra lilacino-violaceus, a dorso compressiusculus; *faux* inflata; *limbus* bilabiatus, diametro transversali 0,3 poll., verticali 0,2 poll.; *labium superius* in eadem cum dorso planitie, horizontale, in praefloratione inferius imbricatim obtegens, dein adscendenti-erectum, late ovatum, acutum, breviter bilobum, lilacinum; *inferius* duplo fere majus, 3-lobum patens subreflexum, in praefloratione lobus medius a facie inflexus, lobi laterales a latere inflexi, intermedium obtegentes, omnes dein verticales subquadrati subaequales, margine laete cyanei, medio albidi, intermedius ad basin maculis binis atro-coeruleis notatus, infra maculas albidus et linea mediana tenuissima, coerulea notatus; *stamina* 4 didynama; *filamenta* corollae tubo ad faucem inserta, infra labium superius conniventia, *inferiora* longiora, supra basin bifida; *lacinia* altera tereti intensius colorata, erecta, altera longiore tereti, filamentis superioribus conformi, per paria arcum duplicem, faucem defendentem formantia, teretia, lilacina, lucida; *antherae* 2-loculatae, loculis

divaricatissimis, in lineam rectam subconfluentibus, dein diversorum staminum per paria connatae, lilacinae; dehiscentia rimae transversali, floris axi parallela, simul apertae (quasi antheram unicam formantes, linea verticali apertam); *pollen* globosum, album; loculis demum divaricatis, oblongo-ovatis, acutis, cruciatim divaricatis; *pistillum* basi annulo brevi lutescenti glanduloso suffultum; *germen* ovato-oblongum, angulis 2—4 prominulis, viride lucidum, 0,06 poll. longum, biloculatum; *dissepimentum* tenuissimum; *receptaculum* (placenta) centrale crassum, semi-cylindricum, geminum, utrique dissepimenti faciei adnatum, *gemmulis* globoso-ovatis, apiculatis, muricatis, totum obtectum; *stylus* longus, filiformis, albidus, adscendens, versus apicem curvatus et paullo incrassatus, 0,16 poll. longus; *stigma* bilamellatum, valde irritabile, candidum, papillosum, intra antheras inferiores et superiores in fauce exsertum; *lamella* superior minor semi-orbicularis, inferior major sub-orbicularis, utraque primo horizontalis, superior dein adscendens, inferior paullo post, sed celerius deflexa, patens; utraque postremo revoluta, tactu mechanico celerrime evoluta connivens; *fructus* 2-valvis, calyce vegeto cinctus eoque brevior, membranaceus, tenuis, obovato-oblongus, acutiusculus, viridi-fuscus; *valvae* septo parallelae, oblongae, concavae patentes, dein deciduae; *septum* tenuissimum *receptaculum* gerens (aut potius bina semi-cylindrica adnata), cylindrico-conicum, margine crassiore cinctum, persistens, diaphanum; *semina* plurima receptaculum ubique obtegentia minuta, gilva irregulariter verruculosa subrotunda, lucidula, funiculo umbilicali brevi, cylindrico basali suffulta; *embryo* in albumine copioso, cartilagineo cylindricus curvatus (?) axilis.

Obs. Adest forma in eisdem cum hac descripta locis habitans β. *pusilla* Bl. omnibus partibus minoribus; ramis vix 2—3 poll. longis, foliis 0,3—0,4 poll. longis et basi supra totidem latis; pedunculis fructiferis 0,4 poll. longis, floribus paullo minoribus, diametro corollae limbi transversali 0,2 poll., verticali 0,15 poll., filamentorum anticorum appen-

dicibus paullo minoribus lilacinis. — An *T. minuta* Bl. DC. l. c. 412. 20 huc referenda? — Per totum annum flores fructusque praebent. — 1846. — Altera quoque forma in horto bogoriensi culta et solis radiis valde exposita, habitu robustiori et partibus intensius rubro-coloratis distincta est; *petioli* rubescentes 2,0—2,5 poll. longi; *folia* scabriuscula, margine et apice rubra, 1,0 poll. longa, 0,6 poll. lata; *corolla* violacea, ejus *tubus* atro-violaceus, nervoso-striatus, *germen* rubrum, *stylusque* rubescens. An haec forma ad *T. asiaticam* L. DC. l. c. 410. 9 referenda? — Nomen sundense: *Djúkut máta köjüp.*

ACANTHACEAE R. BR.

372. HEXACENTRIS (?) PENDULA Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4029. Msn. Gen. 293. Comm. 202. 5.

Char. Spec. cf. *Thunbergia?* Hsskl. Catal. 687. 2.

Descrpt. *Frutex* scandens; *rami* teretes, debiles, *ramuli* penduli; *folia* ovato-oblonga, 3—5-nervia, rostrata, basi plus minus cordata s. truncata, inaequaliter angulato-dentata, margine et in nervis subtus scabriuscula; *petioli* basi geniculati, foliis multo breviores; *spica* racemosa, longissima, pendula, foliaceo-bracteata; *bracteae* subsessiles lanceolatae, acuminatae; *flores* 4—6 in axilla bracteae singulae 1-seriatim petiolo bracteae cristato-insidentes; *pedunculi* bracteae fere longitudinis (an longiores?), apice bibracteolati; *bracteolae* postice connatae; *calyx* cupuliformis, crenatus, postice dente unico subuliformi; *corolla* (inevoluta) stamen unicum sterile gerens; *anthera* apice apiculata, basi 1—2-setosa; *germen* subglobosum; *stylus* curvatus, apice incrassatus. — Flores (per 6-annos) nunquam (maximos pollicis dimidii longitudine) evolutos vidi, plurimi vix 3 lin. long.; spica gemmis floriferis semper ante evolutionem deciduis maxime abundans.

Obs. 1. In horto bot. Berolinensi vidi (Decbr. 1846) specimina nomine *Th. coccineae* Wll., habitu toto huic speciei conformia, pariter e verbis horti Inspectoris racemis longe pendulis (floribus pulchris coccineis praedita) ornata an eadem?,

Obs. 2. Ab hac specie habitu toto diversa est: *Thunbergia javanica* Grtn. fil. (fruct. III. 22. — Bl. Bijdr. 806), cui: *caulis* herbaceus annuus volubilis tortus, ad latus utrumque alatus, canaliculatus; *petioli* 0,5—0,75 poll. longi, canaliculati; *folia* trinervia, uti tota planta scabra; *semina* subglobosa; *annulus* (cf. Endl. Gen. 4027) striato-sulcatus, pallide rufus; *integumentum* membranaceum, tombacinum, punctulato-asperulum; *embryo* concavo-convexus, seminis cavitatem orbicularem, membrana fusca vestitatam, ad tres quartas partes cingens; *cotyledones* cornosae lutescentes sibi accumbentes, una alteram involvens. — Nomen sundense: *Aroy pátuk mánuk*, i. e. rostrum avium scandens.

373. NOMAPHILA CORYMBOSA Bl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4040. Msn. Gen. 296. Comm. 204. 54.
Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 804.

Descrpt. Perennis; *caulis* tetragonus, ad articulos nodosus; *petioli* 0,5—1,5 poll. longi, supra plani, marginati; *folia* ovato-lanceolata, acuminata, basi saepe inaequali in petiolum attenuata, 0,5—2,7 poll. longa; *corymbi* divaricati, multiflori; *bracteae* lineares; *calyx* 0,3—0,5 poll. longus; laciniae lineares, dorsalis sublongior, crassior; *corollae* tubus subcylindricus, a latere complanatus, lengitudine calycis albidus; limbus lilacino-violaceus; labium superius ovatum, convexiusculum, apice subreflexum, erectum; inferius supra convexum, faucem claudens, subtus concavum, plicatum; plicae e nervo medio pinnatim progredientes pilis singulis sparsis obsessae; *filamenta* majora, curvato-conniventia, minora erecta; bina basi inter se connata (majus utrinque lateris cum suo minore); *germen* teres; *stylus* longus, filiformis, albidus; *semina* in loculo quoque 14. — Nomen sundense totius fere ordinis: *Djárung* (acus).

374. DIPTERACANTHUS LANCEOLATUS Nees.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4043 et Sppl. II. 4043/1. Msn. Gen. 294. Comm. 203. 21. 22, stigmatis lamella altera brevior, filamenta per paria uti in *Disygandra* Msn. in lingulam, tubo corollae adnatam connata.

Char. Spec. cf. Steud. Nomclt, ed. II. Hsskl. Catal. 604. 2. *Ruellia repens* L. Bl. Bijdr. 794; — an haec forsan majori jure ad *Ruelliam australem* R. Br. Prdr. I. 335. 1 ducenda?"

Descrpt. Herbae procumbentes, 12—18 poll. longae, basi nunc repentes, in graminosis ad vias prope *Bataviam* frequentes, ramosae; rami adscendenti-erecti, nodosi, geniculati, subtetragoni, bisulcati, 8—24 poll. longi, pilis singulis patentibus, praeprimis apicem versus obsessi; *internodia* basi subincrassata, 1—3 poll. longa, viridia, nunc lucido-violacea prope basin; *stipularum* loco margo ciliatus, ciliis albidis, deciduis; *petioli* oppositi, patentes, semi-teretes, 0,3—0,5 poll. longi, luride atro-virides, pilis adpressis, albidis strigulosi, dein glabrati; *folia* oblongo-, s. ovato-lanceolata, acuminata, basi acuta aut obtusa, subconcava, 1,5—2,0 poll. longa, 0,7—1,0 poll. lata, *ima* ovata, obtusa aut subrotunda, 1,0 poll. longa, 0,8 poll. lata, rigida, pilis adpressis scabro-hirta, dein subglabrata, margine integra, setulis antrorsum adpressis scabro-ciliata; *flores* axillares solitarii, rarius gemini subsessiles, sat magni matutini, folio breviores, basi bracteis binis foliaceis ovatis s. obovatis, basi in petiolum attenuatis, 0,5 poll. longis, 0,2 poll. latis persistentibus, in fructu excescentibus 0,8 poll. longis, 0,3 poll. latis suffulti; *calyx* pilis adpressis, albidis strigosus, 5-partitus, sub-5-gonus, 5-carinatus; *laciniae* lineari-subulatae, nervo medio ex angulis pedunculi brevissimi, crassi, angulati, viridis progredienti, margine tenerrimae, membranaceae, albido-ciliatae conniventes, 0,3 poll. longae, persistentes, fructus stipiti, basi attenuato, arcte adpressae, vegetae; *ciliae* sunt pili acutissimi, basi crassiusculi, plerumque e cellulis 3—4 compositi, basi cellulis pluribus minoribus elevatis circumvallati (ad instar fig. 87 in Schld. l. c. I. p. 268); *corolla* infundibuliformis caduca; *tubus* albidus calycis longitudine, a latere compressus, antice 0,2, postice 0,3 poll. longus, 0,1 poll. latus, lucidus, intus glaber; *limbus* inflatus, tubo plus duplo longior, 0,8 poll. longus, diametro transversali apice 0,8 poll., lilacinus infundibuliformis, subaequalis, 5-fidus, a ventre et dorso subcompressus, 5-, sub-10-

costatus; *laciniae* oblongae, obtusae, superiores binae paullo angustiores, 0,4 poll. longae, 0,25 poll. latae, patentes; *stamina* 4 didynama, 5-to rudimentario nullo, tubo corollae inserta; *filamenta* complanata, per paria (longius cum breviore) in lingulam tenuissimam, uno latere fere totam corollae tubo adnatam, antice et apice in fauce liberam bifidam connata, bina inferiora longiora, recta, adscendentia, dorso corollae limbi adpressa, apice filiformia, albida, lucida, 0,2 et 0,3 poll. longa; *antherae* albidae, oblongae, erectae, supra basin bifidam insertae, laciniis basi obtusis, subacutis, apice connectivo prominulo obtuse umbonatae, biloculatae; *loculi* paralleli, connectivo latiusculo disjuncti; *pollen* sat magnum album globosum, fovillam jam in aqua fontana emittens; *membrana* externa tessellata e cellulis, 8-ëdris; *germen* basi disco glanduloso pallide luteo, glabro, nectarino, integro brevissimo suffultum, oblongo-tetragonum, acuminatum, 0,1 poll. longum, densissime sericeum, e pilis basi articulatis diaphanis, albidis, in basi germinis retrorsis, in ejus apice antrorsis, subpatentibus, biloculatum; *dissepimentum* crassiusculum; *gemmulae* in loculo quoque octo adscendentes biseriales, retinaculis, dissepimento utrinque adnatis suffultae; *stylus* longus filiformis, 0,6 poll. longus, albidus, pilis antrorsis sub-adpressis, albidis strigosus; *stigma* bilamellatum; *lamella* altera abortiva, multo minor vix patens, altera multo major subrotunda, 0,03 poll. diametr., albida, intus papillosa, obsolete repanda; *papillae* subcylindricae, apice obtusiusculae; *fructus* subclavatus, obcompressus, lanceolatus, acutus, basi attenuatus, minute puberulus, semi-2-loculatus, loculicide 2-valvis; *septum* spurium e receptaculis parietalibus, ad medium contiguis et retinacula gerentibus, supra vix carinam valvarum sistentibus constans (cf. *axin in medio quandoque apertam* R. Br. Prdr. I. 329!); *valvae* septo contrariae, extus stria mediana intensius colorata notatae, naviculares, 0,7 poll. longae, 0,15 poll. latae, septum ad axin bipartibile dimidium gerentes, aut potius e valvarum binarum medio fissarum et ad suturam connatarum partibus collateralibus diversis con-

natae; retinacula in dissepimento hamato-uncinata, angusta, apice praemorsa, alternatim dextrorsum aut sinistrorsum patentia, septo parallela, persistentia; *semina* in loculo quoque 7—8, septo parallela, imbricatim sese tegentia, orbiculata, 0,1 poll. diametr., margine tumida, densissime verticaliter ciliato-barbata; *ciliae* albidae, basi conglutinatae, membranam tenuissimam, albidam, fimbriato-laceram fingentes, teretes, apice subulato-attenuatae, flexuosae, e cellula unica cylindrica, tenuissima consistentes, glutine tenaci cinctae et inter se primo cohaerentes, prima juventute (e fructibus 0,3 poll. longis) papillaeformes, dein (e fructibus 0,6 poll. longis subevolutis) longae, basi ad apicem fere arcte sibi adpressae, apice curvato, acuto liberae, totae hyalinae et globulos minutissimos, pallidissime flavescentes (*endochromatis* Algolorum cf. Endl. Gen. Sppl. III p. 10. Schld. l. c. §. 39) inordinatos foventes, postremo fibram spiralem (cf. Schld. l. c. §. 38) tenuissimam continentes (cf. Schld. l. c. p. 224 fig. 31.[c] et [d]), admissa aqua celerrime hygrometrice sese evolventem (Schld. l. c. §. 42) et cellulam totam suo motu ad motum quasi peristalticum cogentem; *embryo* intra *albumen* tenue complanatum, dein tenuissimum, membranaceum, axillaris, compressus; *radicula* globoso-conica, versus basin seminis spectans; *cotyledones* semi-orbiculares.

Forma: β. *erectus* Hsskl.

Forma haec in hortis inter sepes in eisdem cum praecedente locis saepe obvia; *herbae* erectae, 3—4 ped. altae, debiles; *caulis* viridis teres, apice sub-quadrangularis; *internodia* basi tumida, subviolacea, 1,0—8,0 poll. longa, 0,05—0,13 poll. crassa, pilis sparsis longis obsessa, dein glabrata; *petioli* 0,3—1,0 poll. longi virides, inferiores subviolacei; *folia* caulina, oblonga aut ovato-oblonga, acuminata, basi nunc acutiuscula, nunc subrotunda, 2,0—3,5 poll. longa, 1,2—1,7 poll. lata, *ramea* et *summa* ovata aut ovato-lanceolata, 1,0—1,5 poll. longa, 0,5—0,7 poll. lata, *omnia* supra atro-viridia, lucida, pilis raris hirta, subtus pallidiora; *flores* plerumque solitarii,

nunc 3-ni et caeterae partes omnes iis speciei plane congruae. — Per totum annum formam utramque flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

375. DIPTERACANTHUS ANGUSTIFOLIUS Hsskl.

Char. Gen. cf. adnot. ad speciem antecedentem.

Char. Spec. An jure species nova!? liberis autem de *Acanthacearum* speciebus tractantibus mihi pro tempore deficientibus, hanc *interdum* novam habeam, usque cum confinibus comparare mihi liceat; — a *D. lanceolato* Nees. sat differt habitu, germine glabro, gemmulis seminibusque paucioribus. — Si antecedentem autem pro *D. australi* sumeres, hanc potius *D. lanceolatum* haberes.

Descprt. Herbae procumbentes repentes, in hortorum viis prope *Bidara-tjina* et *Bataviam* una cum praecedente vulgatissimae, primo adspectu foliis angustioribus acuminatis, corollis minoribus, intensius coloratis et ad lobum limbi inferiorem striis tribus purpureis notatis ab illa distinguendae; rami a basi caulis radiatim progredientes, apice adscendentes, dichotome ramosi, 5—7 poll. longi, geniculati, nodosi virides, pilis raris patentibus sparsis nunc puberuli, seniores saepe glabrati; *internodia* tetragona, versus basin nodoso-incrassata, 0,5—2,0 poll. longa, 0,05 poll. crassa; *folia* opposita in petiolum brevem 0,2 poll. longum, supra planum, subtus concavum, semi-amplexicaulem attenuata, *inferiora* et *floralia* (bracteae foliaceae) minora ovata, nunc obovata, imoque subrotunda, nunc oblonga, plerumque acuta, nunc obtusa, imoque rotundata, basi nunc leviter, nunc magis attenuata, 0,3—0,8 poll. longa, 0,2—0,55 poll. lata, rarius 1,7 poll. longa, 1,0 poll. lata, utrinque cum ramulis puberula, *superiora* (plurima) lineari-, aut anguste oblongo-lanceolata, basi acuta, apice longiter acuminata, 0,7—2,0 poll. longa, 0,15—0,5 poll. lata, *omnia* patentissima, margine elevato supra subconcava et asperulo-ciliolata, supra pistacina, *juvenilia* pilis albidis, anticis, sparsis hirsutula, dein glabrata, subtus glaucescentia, glabra; *flores* axillares solitarii subsessiles, basi bracteis binis foliaceis (vid. supr.) inclusi, erecti; *calyx* 5-partitus; *laciniae* lineari-lanceolatae, subulato-acuminatae, conniventes, concavae, mar-

gine antrorsum ciliatae, 0,15 poll. longae, virides, vegetae persistentes; *corolla* gamopetala exserta, infundibuliformis, tota speciei antecedentis, sed *tubus* antice 0,15, postice 0,20 poll. longus, 0,07 poll. latus; *limbus* 0,6 poll. longus, diametro transversali apice 0,55 poll. kermesino-lilacinus, lobo inferiore striis tribus apice et basi convergentibus, purpureis, longitudinalibus notato; *laciniae* obovato-oblongae, obliquae, inaequilaterae, apice rotundatae, 0,2 poll. longae, 0,15 poll. latae; *stamina* eadem ac praecedentis; *filamentorum* pars libera 0,2—0,1 poll. longa; *pistillum* idem; *germen* 0,06 poll. longum, glabrum; *gemmulae* in loculis plerumque 4—6; *stylus* 0,4 poll. longus; *fructus* apice magis incrassati, 0,5 poll. longi, 0,15 poll. lati, plerumque 8—10-spermi; *semina* eadem cum antecedente specie magnitudine, forma et fabrica. — Per totum annum flores fructusque gerit.

376. STROBILANTHES DISPAR Hsskl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4053. Msn. Gen. 295. Comm. 203. 33.

Char. Spec. cf. *Apolepsis* Hsskl. Diagn. nov. 111. Catal. 700. 1.

Diagn. Caule herbaceo basi suffruticoso, erecto, articulato, nodoso; foliis oppositis inaequalibus, altero quadruplo minore, ellipticis utrinque acuminatis, margine crispato-serratis, supra asperis subtus glabris viridibus, spicis paniculatis axillaribus subtetragono-ovatis bracteosis.

Descrpt. *Caulis* 6—7 ped. altus; *rami* tetragoni, articulato-nodosi, glabri, sanguinei; *ramuli* atro-virides; *folia* utrinque reticulata, supra tuberculoso-aspera; *petioli* oppositi aequales 0,5 poll. longi, semi-teretes, subemarginati, glabri; *spicae* dein lapsu foliorum laterales, erectae; rami patentes, nunc iterum subramosi; *bracteae* ovato-acuminatae, basi bullatae, albidae, apice virides glaberrimae; bracteolae ternae, inferior maxima subrotunda, concavo-bullata, albida, viridis, marginata, glandulis stipitatis, hyalinis, globosis, ciliata, dense imbricata, laterales binae lineares obtusae, albidae, apice virides, calycem aequantes; *sepala* angusto-linearia, albida, apice viridia, obtusiuscula; *corollae* tubus exsertus cylindricus, subcurvatus; faux pilis glanduliferis subclausa; limbi lobi aequales et tubus candidi, diaphani; *filamenta* fauci inserta,

filiformia, albida, adscendentia; *germen* oviforme, stipite subgloboso suffultum, albidum, laeve sublucidum, subdidymum; *stylus* filiformis longissimus, corollam duplo superans, primo erectus, dein spiraliter curvatus, albidus; *stigma* hamatum; *fructus* dehiscentes oviformes compressi, albidi; valvae medio septiferae; dissepimentum crassiusculum, contrarium; retinacula falciformia.

377. BARLERIA CRISTATA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4061. Msn. Gen. 295. Comm. 204. 44.

Char. Spec. cf. Wld. Sp. pl. III. 378. *B. bituminosa* (loco: *bispinosa*) Noronh. Verh. Bat. Gen. V. 70.

Descrpt. Herba, basi suffruticosa, erecta, 5—7 ped. alta, ramosa; *rami* obsolete quadrangulares articulati; articuli basi incrassati; parce adpresse pilosi; *petioli* semi-teretes, 0,2 poll. longi, oppositi; *folia* oblonga s. oblongo-lanceolata, elliptica s. obovata, basi attenuata, 2,5 poll. longa, 1 poll. lata, apice acuminata s. rotundata, integerrima, margine setis singulis ciliata, supra viridia, subtus glaucescentia, utrinque pilis adpressis, setosis, raris obsita; *flores* axillares gemini aut solitarii, rarius terni, 2—3-bracteati; *bracteae* 0,5 poll. longae, lineari-subulatae, erectae, calyce adpressae; *sepala* glabra, bina, externa maxima, subaequalia, ovato-lanceolata, 0,8 poll. longa, 0,4 poll. lata, striato-nervosa, setoso-ciliata, anticum apice saepe bidentatum; interna alterna lineari-subulata, erecta, 0,5 poll. longa, corollae tubo et postea germini arcte adpressa; *corolla* speciosa, lilacino-violacea; tubus 1,5 poll. longus et ultra, basi albidus; limbus bilabiatus; labium inferius 4-lobum, lobus profundiori et paullo latior; omnes elliptici; *stamina* 2 fertilia; *filamenta* corollae tubo adnata, a medio libera exserta, 1,2 poll. longa, filiformia, lilacina, apice albida; *antherae* oblongae; loculi basi divaricati; stamina 2 sterilia, abortiva; filamenta tenerrima, 0,3 poll. longa, antherae bipartitae; stamen 5-tum minimum, filamentum 0,1—0,2 poll. longum, capillare anantherum; *germen* obsolete tetragonum, oviforme glaberrimum laeve; *stylus* longissimus,

filiformis, lilacinus; *stigma* saturatius coloratum. — Nomen sundense: *Djárung wùngu* s. *Dj. bulaù*, i. e. acus lurida s. coerulea.

378. BARLERIA MULTIFLORA Hsskl.

Char. Spec cf. Hsskl. Catal. 698. 3.

Descrpt. ab antecedente spec. differt haecce: *foliis* oblongo-, elliptico- imoque ovato-lanceolatis, basi longiter attenuatis, apice acutis s. plerumque acuminatis, margine adpresse setosis, in nervis strigoso-puberis, 1,5—5,0 poll. longis, 1,0—2,5 poll. latis; *petiolis* semi-teretibus, 0,2—2,0 poll. longis; *cymis* solitariis aut geminis, trichotomis, abbreviatis, pseudo-verticillum formantibus, foliatis; *foliis floralibus* acutis, ovatis; *bracteis* plurimis, lineari-lanceolatis aut lineari-oblongis, apice spinosis, margine pilis glanduliferis ciliatis; *sepalis* externis inaequalibus, supremo tertia parte majori; *corolla* candida, subnivea, tubo faucem versus inflato; limbi lobis obovatis, rotundatis; *antheris* 2 subexsertis, *genitalibus* omnibus albidis; *filamento* 3-to, sterilibus binis vix breviori; *stigmate* sub-bilamellato, candido. — Nomen sundense: *Djárung bóddas*, i. e. acus alba.

BIGNONIACEAE R. BR.

379. DIPTEROSPERMA PERSONATUM Hsskl.

Char. Gen. cf. Hsskl. Diagn. nov. 112. Cat. 727. Wlp. Rprt. VI. 514. Endl. Gen. Sppl. III. 4118.*, valde accedit ad *Stereospermum* Cham. Endl. Ench. 4118/2. Gen. 4131. Msn. Gen. 300. Comm. 209. 37.

Char. Spec. cf. ll. spr. cc. Wlp. l. c. 515. 1. DC. Prdr. IX. 239.

Descrpt. Arbor excelsa fastigiata; *rami* teretes erecti, *ramuli* sub-complanati; *petioli* supra canaliculati, subtus obtusi, basi et articulationes incrassati, 4—6 poll. longi; *petioluli* 0,5 poll. longi, rubentes, canaliculati; *foliola* basi altero latere subrotunda, altero acuta, saepe obliqua, acutissime rostrata, 3—6 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata, subtus reticulata; rami *paniculae* saepe dichotomi patentes; *pedunculi* brevissimi, 0,1 poll. longi; *alabastrum* ovoideum, apice acu-

tum, anthracinum; *flos* patentissimus; *calyx* extus atro-sanguineus, glaber; dentes ovati, acuti, labii superioris latiores, corollae adpressi; *corollae* tubus suberectus, cylindricus brevis; faux supra convexa, sanguinea, glaberrima, subtus subplana et plicata, plicis 2 intus elevatis (a facie inferiore visis concavis), una cum limbo ochrocea pilosa; laciniae labii superioris rotundatae, erectae, inferioris obovatae, media lateralibus superposita easque subimbricatim tegens (e plicatura faucis linguae instar ex ore propendens); omnes margine crispatulae, lacerulatae, medio striis sanguineis, e fauce clausa barbata; *germen* basi annulo glabro integro cinctum, tetragonum; *stylus* basi curvatus, adscendenti-erectus (aut potius basi erectus, dein patens); *fructus* tetragoni aut potius 4-angulares (immaturi violacei, carnosi, dein) emarcidi, membranacei, pallescentes, 5 poll. longi, 0,2 poll. crassi, saepe torti bivalves; dissepimentum compresso-teres. — Nom. sundense: *Kilángir.*

380. SPATHODEA GIGANTEA BL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 4118, sed fructus teretiusculi, haud falcati!
Char. Spec. cf. Bl. Bijdr. 761.

Descrpt. Arbor mediocris sparse ramosa, cortice albido; *rami* erecto-patentes; *folia* ternato-bipinnata; *petioli* articulati; *foliola* oblonga s. elliptica, utrinque acuminata, glaberrima, lucida, 3—4 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata; *panicula* terminalis glabriuscula, nunc squamulis minutis asperula, trichotoma; *pedunculi* 0,5 poll. longi, teretes; *calyx* tubuloso-campanulatus, basi conico-attenuatus; limbus coloratus spathaceus, 3—2-dentatus, bilabiatus, persistens, dein basi circumscissus, emarcidus persistens, 0,7 poll. longus; *corollae* tubus brevis, 0,4—0,5 poll. longus; limbus extus roseus, intus aurantiacus, croceo-maculatus; laciniae roseae, subbilabiatae, tres supernae, subrotundae, crispatulae, ciliolatae; *filamenta* tubi fauci inserta, basi villosissima, glandulosa, filiformia, subarcuata, 0,7—1,0 poll. longa, 5-tum sterile vix 0,2 poll. longum; *germen* cylindricum subulatum; *stylus* 1 poll. longus;

fructus 42—24 poll. longi, 2,0—2,5 poll. lati, 0,1—0,2 poll. crassi, torti; valvae lineares, membranaceae, extus cinereae, intus argenteae, persistentes, dissepimentum deciduum. — Nomen sundense: *Kipadáli*.

GESNERACEAE ENDL.

381. LIEBIGIA SPECIOSA ENDL.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. Sppl. I. 4136. Msn. Gen. add. 367. 1. *Tromsdorffia* Bl. Endl. Gen. 4136. Msn. Gen. 302. Comm. 211. 1, nec Mrt. *Morstdorffia* Steud. Nomenclt. ed. II. t. II. 161.

Char. Spec. cf. ll. cc.

Descrpt. *Caulis* suffruticosus, 5—6 ped. altus; *rami* erecti, *ramuli* carnosi, hirsuto-asperi, articulato-nodosi; *folia* ovato-oblonga, acuminata, carnosa; *pedunculi* axillares bini, nunc solitarii, ramo abbreviato dichotomo impositi, apice bibracteati; *bracteae* subrotundae, basi subattenuatae cum pedunculo sanguineae, biflorae; *pedicelli* 0,25 poll. longi, teretes, apice incrassati et *calyx* campanulatus colorati; calycis tubus 0,2—0,5 poll. longus, colorato-nervosus; *corolla* 1,0—1,2 poll. longa; tubus brevissimus, 0,2 poll. longus, intra calycem reconditus; faux campanulata, violacea; limbus subaequalis; lobi rotundati, bini superiores paullo breviores, laterales cum inferiore paullo producti, ad faucem sulfurei, caeterum candidi, papilloso nitiduli; *filamenta fertilia* tubo corollae in parte dilatata, inferne inserta, basi complanata, dein supra medium incrassata, apice incurvata, attenuata, albida; *antherae* basi capillaceo-rufo-villosae ibique poro aut potius linea cruciata, capillitio occultato dehiscentes; *sterilia* 3—2 paullo altius inserta, fertilibus dimidio breviora, 0,3 poll. longa, candida, adscendentia, apice capitato, capillacea, fuscescentia; quintum minimum rudimentarium, saepe deficiens, lineare, apice didymo-capitatum, bi-aristatum, violaceum; *germen* basi urceolo cinctum, 0,1 poll. longum, 2-loculatum; *gemmulae* plurimae, 4-seriatae, centripetae, horizontales; *stylus* longissimus, teres, subcurvatus, sulphureo-coloratus, puberulus, longitudine antheras vix excedens; *fructus* stipite suffulti, 3

poll, longi, acuminati, 0,1 poll. crassi. — Nomen sundense: *Tjótjok búwu.*

SOLANACEAE BRTL.

382. PHYSALIS ANGULATA L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 277. Comm. 184. 23. Endl. Gen. 3851, sed stigma vix incrassatum et receptacula (placentae) bifida, utrinque revoluta carnosa nec subglobosa; an *Magaranthus* Schlchtd. Endl. Gen. Sppl. I. p. 1404. 3851/1. Msn. I. c. sat diversum genus: corolla subglobosa, stylo corollam aequante, bacca oligosperma?

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 25. 14, diagnosis differt: foliis acutis nec acuminatis, antheris pallide coerulescentibus, nec albis, laciniis calycinis subulatis nec acutis; — *Helicacabus indicus major* Rmph. amb. VI. 60 plane quadrat, nullo modo autem icon tab. 26 f. 1; — an *Ph. indica* Lam. Wlp. l. c. 15 cum citatis jure ab hac specie sejungenda?

Descrpt. Herbae annuae, in ruderatis prope *Bataviam* frequentes, glaberrimae foetentes, 2,0—2,5 ped. altae, ramosissimae; *rami* sat crassi, geniculati, dichotomi, patentes aut patenti-erecti, teretes, subangulati, 1,5—3,0 poll. longi, pallide virides, ad nodos incrassatos plus minusve rubro-tincti; *folia* alterna, caulina longe-, summa breviter petiolata ovato-oblonga s. ovata, basi inaequalia, caulina subattenuata, summa subcordata, apice acuminata, nunc acuta, margine repando aut sinuato, imoque serrato-dentata, nunc summa subintegerrima aut subrepanda, juvenilia undulata, dein explanata ad margines paullo elata, et inde subconcava, utrinque glaberrima, solummodo ad nervum medium supra et ejus ramos subtus una cum petiolo juvenili minutissime puberula; caulina 2,0—3,5 poll. longa, 1,7—2,2 poll. lata, *petiolo* subtereti, supra leviter angulato, 1,5—2,5 poll. longo, patenti, pallide viridi, glabriusculo suffulta, summa 1,5—1,0 poll. longa, 0,7—0,5 poll. lata, *petiolo* 0,5—0,2 poll. longo suffulta; *pedunculi* in dichotomiae axi terminales solitarii, ante anthesin erecto-patentes subcernui, tenues cylindrici, in anthesi patentissimi, 0,2 poll. longi, filiformes pallide virescentes, cum calyce minute adpresse puberuli, dein elongati, gracillimi, 1,0—1,3 poll. longi, penduli, fructiferi; *calyx* in alabastro ovatus, basi trun-

catus, 0,06 poll. longus, 5-valvis, 10-costatus, in anthesi patenti-erectus, campanulatus, 0,1 poll. longus, basi atro-viridis, caeterum viridis, 5-fidus; *tubus* vix costatus; *limbi laciniae* 3-angulari-lanceolatae, acutae, 1-nerviae, tubo paullo longiores; *corolla* campanulato-subrotata, ante anthesin plicata viridi-alba, extus minute puberula, calycem duplo superans, 0,2 poll. longa, vix 5-denticulata, intus basi viridiuscula, sublucida, limbo albido; *stamina* 5, denticulis corollae alterna, ima corollae basi inserta, 0,1 poll. longa, erecta, conniventia; *filamenta* filiformia, summo apice attenuata, albida, parce patentim pilosa; *antherae* terminales, filamentis 4-plo minores ovatae, albidae, 2-loculatae, loculis basi divaricatis, apice convergentibus acutae, longitudinaliter rima duplici dehiscentes subextrorsae; *pollen* albidum, globosum; *germen* basi annulo glanduloso tenuissimo viridi, lutescenti adnatum, ovatum, sub-5-gonum, apice subtruncatum glaberrimum, viride lucidum, biloculatum; *septum* tenue; septum *alterum* incompletum, apice incrassatum et bifidum, lobis subrevolutis, indeque (placentam) receptaculum, sectione transversali semiorbiculare, undique gemmulas horizontales gerens formantibus; *stylus* cylindricus albus, germine longior, 0,1 poll. longus, post anthesin deciduus; *stigma* subincrassatum, vix capitatum, obsolete bilobum; *calyx* post anthesin grossificatus vegetus, tubus primo elongatus, 0,5 poll. longus, 0,2 poll. latus, laciniis 0,1 poll. longis, conniventibus terminatus, glaberrimus viridis, angulis 5, in laciniarum nervos transeuntibus, valde prominulis, acutis, dein inflatus, subgloboso-pyramidalis, 5-gonus, 1,0 poll. longus, 0,7 poll. crassus, laciniis conniventibus, acutus, flavescenti-viridis, glaber, membranaceus, basi 5-angularis impressus, angulis 5 prominulis acutis, costis alabastri lacinias alternantibus, nunc vix elevatis, ad medium calycem tantum procurrentibus et in venas dissolutis; *fructus* pisiformes glaberrimi, lucidi, primo virides, dein flavescentes indehiscentes baccati, dein epicarpio membranaceo, fragili, tenui tecti, basi stipite brevi e fundo calycis retracto 5-angulari suffulti, diametro 0,3 poll., biloculati; *sep-*

tum tenuissimum; *receptaculum* utrinque (vid. spr. germ.) carnoso-incrassatum (nec subglobosum Msn.), seminibus totum obtectum; *semina* lenticularia, albida, basi subreniformia, intra pulpam viridiusculam, succosam recepta. — Mensibus Januario ad Majum flores fructusque gerit. — 1846.

Adnot. Specimina saepe obviam veniunt prioribus (jam descriptis) intermixta, multo minora, floribus autem fructibusque sat magnis haud diversa; caules et rami 6—9 poll. longi, glaberrimi, sed striis purpureis, crebris luride tincti; folia minora subintegerrima, 1,5—0,5 poll. longa, 0,5—0,3 poll. lata, subundulata! — An varietatis distinctae typus? mihi valde dubium est.

383. CAPSICUM LONGUM L.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 277. Comm. 184. 21. Endl. Gen. 3854, sed stylus vix clavatus stigmate subtruncato, calycis laciniae 5 minutae, majoribus totidem alternae; fructus viridis dein coccineus.

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 35. 17, sed calyce 10-sulcato, foliis ovato- s. oblongo-lanceolatis et inde certe haud diversa species a *C. bicolori* β. *incurvo* Bl. Bijdr. 705, quod dicitur fruticosum divaricatum, ramulis flexuosis angulatis puberulis, foliis ovato-lanceolatis petiolisque glabris, acuminatis, incurvis, pendulis; — species Blumeana a Wlp. l. c. omissa!

Descript. *Suffrutices* 4—6 ped. alti, ramosissimi; *rami ramulique* divaricati, geniculati, dichotomi, juniores angulati, hispiduli; *folia* alterna petiolata, inferiora elliptico-, s. oblongo-lanceolata, acuminata, basi attenuata in petiolum 1,0—1,5 poll. longum, glabra, 2—3 poll. longa, 0,7—1,0 poll. lata, *superiora* ovato-, s. oblongo-lanceolata, acuminata, basi plus minus oblique attenuata in petiolum, 0,3—0,5 poll. longum, 1,0—1,5 poll. longa, 0,5 poll. lata; *flores* terminales solitarii, dein ramis accessoriis laterales simulantes; *pedunculi* 0,4 poll. longi, ante anthesin erecti, apice cernui, fructiferi toti penduli, 1,0 poll. longi, incrassati; *calyx* brevis viridis, subtruncatus, 5-dentatus, dentibus erectis, acutis, 10—12-sulcatus, vix 0,1 poll. altus, denticulis accessoriis inter dentes primarios 5—7, fructiger vegetus, grossificatus, fructui adpressus, subtruncatus, 0,15 poll. altus, diametro transversali 0,3 poll.; *corolla* albida, 5-fida, pentagono-plicata; *filamenta* corollae fauci inserta erecta, brevia albida; *antherae*

infra medium insertae, sagittatae, viridi-badiae, ab apice basin versus dehiscentes, lobis baseos obtusiusculis, apice acuminato; *pollen* albidum, oblongum; *germen* ovale obtusiusculum, glabrum; *stylus* albus, cylindricus, paullo curvatus, apice vix incrassatus, truncatus (nec 2—3-lobus); *fructus* primò succulentus viridis, dein exsuccus inflatus, coccineus, indehiscens, pendulus, glaberrimus lucidus, 1,5—2,0 poll. longus, basi 0,4—0,5 poll. crassus, bilocularis, cylindrico-conicus, acuminatus, sub-incurvus; *dissepimenta* crassiuscula; *semina* reniformia plurima. — Sub nomine malaico: *Tjábeh ídju*, s. Capsicum viride, et sundensi: *Tjábeh gedèh*, i. e. C. magnum s. *Tj. hédjoh*, i. e. C. viride, ubique in Java occidentali ad 3 mille pedum supra mare altit. colitur ad contimentum Oryzae coctae et per totum annum flores fructusque praebet; fructibus maturis ad contimentum minus frequenter utitur et inde nomen vernaculum.

384. SOLANUM NIGRUM L. γ. MELANOCERASUM DUN.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 277. Comm. 184. 17. Endl. Gen. 3855; antherae autem liberae haud biporosae, uti auctores omnes dicunt, sed intus rimis binis longitudinalibus, basi convoluto-clausis, a medio ad apicem apertis instructae! — corollae limbus haud plicatus! — semina obovata nec reniformia, embryo semi-cyclicus nec spiralis. — Ex antherarum et corollae structura *Witheringiae* Her., Endl. Gen. 3853, tantopere affine genus nostrum, ut vix utrumque distinguere possimus, praeeuntibus *Cavanille*, *Ruitz* et *Pavon*. cf. *Witheringiam umbellatam* Dun. Wlp. Rprt. III. 32. 18. — E fructus septo subevanido valde ad *Sarracham* Rtz. et Pav. (Msn. l. c. Endl. Gen. 3852) accedit, cf. *S. umbellatum* DC. Wlp. l. c. 28, 2. — An genera haecce 3 jure distinguenda? an pars *Solanorum* ad unum alterumve distribuenda?!

Char. Spec. cf. Wlp. Rprt. III. 48. 75. γ. *S. nigrum* L. B. Bl. Bijdr. 694, an etiam *S. judaicum* Bl. l. c., nec Schlt. (Wlp. l. c. 49. 83)? *S. pterocaulon* Dun. Wlp. l. c. 82 an sufficienter a nostra diversa sit habenda species et jure a *S. nigro* sejungenda?

Descrpt. Herbae annuae, prope (Bataviam, Bogor etc.) vicos totius Javae ubique ab incolis cultae et a Malaiis et Sundensibus *Léntja* dictae, qui folia, ramos juniores et fructus ipsos maturos cum immaturis lubenter crudos come-

dunt —, 3—4 ped. altae, ramosissimae; *caulis* et *rami* virides teretes, haud fistulosi, lineis elevatis, e basi foliorum decurrentibus muricatis 3—5 notati, minute puberuli, 2-, rarius 3-chotomi; *rami* divaricati; *murices* angulorum nil, nisi tubercula sat crassa viridia, persistentia, pilum antrorsum deciduum sustinentia; *pili* ipsi e cellulis 3—5 compositi antrorsum curvati, acutissimi, minutissime verruculati, elongati; *cellulae* inferiores majores crassiores, superiores sensim angustiores; *cellulae* (muricis) *baseos* elevatae, subglobosae, parvae, dodecaëdrae, copiosae; *pili pubis* eadem, sed minori fabrica et bulbo persistenti nullo aut perparvo tantum suffulti; *folia* alterna in petiolum plus minus longum, nunc subnullum attenuata aut potius sessilia, basi longe attenuata, ovato-elliptica, aut oblonga, imoque lanceolata, nunc quoque ovata, basi abruptim attenuata, apice acuminata, aut acuta, margine undulata, nunc leviter sinuata, aut repando-dentata; *ramea* plerumque integerrima, inferiora 4—5 poll. cum petiolo longa, 2,0—1,6 poll. lata, ramea 1,0—2,5 poll. longa, 0,5—1,5 poll. lata, juvenilia in gemma pilis supra descriptis adpressis strictis tota tecta et inde incana, seniora vix puberula aut antrorsum scabriuscula, senilia glabrata, in nervo medio tantum supra puberulo-scabra, subtus muriculata; *pedunculi* in prima intentione terminales, uti in summis gemmis juxta folium 0,2 poll. longum evidenter sunt conspiciendi, e ramo axillari autem, una cum folii inferioris basi, excrescenti dein infra-foliares aut laterales, ita ut folium, quod antea inferius fuerat, nunc in anthesi 0,5—1,2 poll. supra pedunculum sit elevatum et plerumque opposito rami latere; *pedunculi* patentes, teretes, graciles, 0,4—0,7 poll. longi, fructiferi patentissimi aut divaricati; plerumque umbellulam gerentes 3—6-floram, rarius racemos breves 11-floros, ramis binis 3-, tertio 5-floris; *pedicelli* teretes apice paullo incrassati inaequales (ejusdem umbellae) 0,1—0,2 poll. longi, erecti, apice cernui, in anthesi nunc erecti, stricti, post anthesin denuo cernui, fructiferi iterum stricti, divaricati, omnes uti et calyces puberuli; *flores* in nostro omnes 5-meri parvi; *calyx*

parvus viridis 5-fidus, in alabastro 0,02 poll. longo petala vix obtegens; *laciniae* oblongae, obtusiusculae, subconcavae, erectae, in anthesi corollae tubum subaequantes et sustinentes, tubo per-brevi crassiores et longiores, cum tubo 0,05 poll. longae, in praefloratione valvatae; *corolla* in praefloratione simpliciter valvata, extus pilis albidis, 1—3-cellulosis, obtusiusculis, adpressis obtecta, rotata, fundo calycis inserta, cum staminibus decidua; *tubus* cylindricus calyce inclusus 0,04 poll. longus, sulfureus; *limbus* 5-partitus, patentissimus, candidus, nunc subreflexus; *laciniae* oblongo-lanceolatae, acutae, intus glaberrimae, papillosae, 0,1 poll. longae, 0,04 poll. latae, ima basi viridiusculae; *stamina* 5 erecta, in flore vix aperto quam pistillum breviora, corollae fauci inserta, laciniis corollinis alterna, in anthesi harum tertia parte breviora; *filamenta* viridi-flavescentia, e basi lata subcylindrico-attenuata, apice subulata, antheris aequilonga, glabra; *antherae* erectae, conniventes luteae, oblongae, basi bifidae, supra hanc insertae, laciniis acutis, apice obtusae, emarginato-bilobae, introrsae, liberae, biloculatae; *loculi* rima longitudinali ab apice ad basin dehiscentes, valvulis loculi, basi convolutis et inde rima ab apice ad mediam tantum conspicienda, a vertice visa porum tantum simulans; *pollen* albidum, globosum, *pistillum* ante anthesin staminibus longius, in anthesi aequilongum; *germen* pallide viride, subgloboso-oviforme, glabrum, biloculatum; *dissepimentum* utrinque *receptaculum* (placentam) haemisphaericum sat crassum, totum gemmulis tectum gerens; *gemmulae* plurimae horizontales, sessiles, obovatae; *stylus* germine longior, longitudine fere triplo, cylindricus supra basin nudam ad medium pilis hyalinis sat longis, patentissimis, acutissimis et inde strumam styli simulantibus dense obtectus, viridis, ad apicem nudus, vix incrassatus, post anthesin deciduus; *stigma* terminale haemisphaericum, papillosum; — *fructus* calyce vegeto, paullo grossificato, reflexo suffultus, indehiscens pulposus, pulpa succosa dulcamara, viridiuscula foetus, laevissimus, lucidus, primo viridis, dissepimento albido ac seminibus diaphanis, dein (ut dicunt niger) atro-violaceus,

pisiformis, diametro 0,35 poll., bilocnlatus; *septum* tenerrimum receptaculum (placentam) subglobosum, crassum, viride, centrale, semina ubique gerens sustinens; *semina* plurima receptaculo huic ubique inserta, horizontalia et erecta, et imo pendula, in pulpa nidulantia, complanata, obovata, basi attenuata, albida, albuminosa; *embryo* intra albumen sub-periphericum curvatus, hemicyclicus; *cotyledones* semi-teretes, applicativae. — Per totum annum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

CONVOLVULACEAE CHOIS.

385. ANISEIA BRACTEATA Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 275. Comm. 182. 15. Endl. Gen. 3802. *Calystegia* R. Br. Prdr. I. 339 valde ad nostram accedit, ast fructum non vidi. *Ipomoea* Chois. vix nisi stigmatibus globosis et calycis laciniis subaequalibus diversa.

Char. Spec. *Ipomoea* Vhl. Bl. Bijdr. 711, a Chois. Convlv. p. 486 ad *Schuteriam* suam *bicolorem* varietatis instar ducta, sed genus hocce bracteis minutis, germine uniloculato diversum cf. *Palmia* Endl. Gen. 3799. Msn. Gen. l. c. Comm. 181. 11.

Descrpt. Herbae perennes, prope *Bidara-tjina* ad viae margines vulgares; *caulis* procumbens, nunc in sepibus volubilis adscendens; *rami* e basi caulis valde incrassata, nodosa, radiatim procumbentes, dichotomi, 5—8 ped. longi, tenues teretes cum petiolis pedunculisque dense, sed minute puberuli, nunc hirti, juveniles virides, prima juventute pube sublanata subincani, dein luride atro-sanguinei; *internodia* 1,0—6,0 poll. longa, 0,05—0,10 poll. crassa; *petioli* secundi (in procumbentibus), erecti, verticales teretes, virides, superne rubentes, 1,5—3,5 poll. longi, subflexuosi; *folia* horizontalia, subrotundo-ovata, ovata s. ovato-oblonga, basi sinu lato cordata, lobis rotundatis, acuta aut breviter acuminata, 1,5—4,5 poll. longa, 1,5—3,5 poll. lata, 3—5-nervia, nunc 5-plinervia, nervis adscendentibus intra marginem reticulato-conniventibus, dichotomis, integerrima, undulata, supra atro-viridia, tactu mollia, pilis raris albidis obsessa, dein glabrata, subtus glauca, eleganter viridi-reticulata, nervis eorumque ramis

flavescenti-viridibus, pilis persistentibus copiosioribus subhirta, sat rigida, dein flaccida; *pedunculi* axillares solitarii, erecti, uniflori, petiolis breviores et tenuiores, rubescenti-virides, 1,0—2,5 poll. longi, apice 2-bracteati; *bracteae* foliaceae erectae, ovatae, acutae, basi attenuatae, oppositae, 3-nerviae, 0,5 poll. longae, 0,3 poll. latae, uti et calyx supra virides, subtus glaucae, pilis sparsis albidis conspersae, persistentes; *pedicelli* breves, 0,2 poll. longi, pedunculo paullo crassiores; *calyx* 5-partitus, foliaceus subpatens; *laciniae* 2—3 externae bracteiformes, bracteis autem majores, margine subrevolutae, externa 0,6 poll. longa, 0,5 poll. lata, basi pallide viridi vix attenuata, interiores sensim angustiores et minores altiusque insertae, interna quinta oblongo-lanceolata, acuta, 0,4 poll. longa, 0,15 poll. lata, basi subconcava, magis attenuata; *corolla* gamopetala, sulfurea, extus tota pubera, in alabastro juvenili oviformi viridis, dense sericea, intus fauce atro-purpurea, glaberrima, lucidula, 0,8 poll. alta, in praefloratione complicato-valvata, dein infundibuliformi-campanulata, transverse 1,0 poll. lata; *limbus* leviter 5-lobus; *lobi* emarginati et muriculo brevi viridi in sinu praediti, sat lati, laciniis rotundatis; *stamina* 5 subaequalia inclusa, corollae tubo inserta, ejusque lobis alterna; *filamenta* erecta, sub-conniventia, ima basi tubo corollae toto adnata, latiuscula, dein libera subflexuosa, atro-purpurea, apice subulato-albida, inclusa, 0,3 poll. longa; *antherae* introrsae oblongae, basi bilobae, apice acuto, subrecurvo, versatiles, infra medium insertae effoetae, subrevolutae; *pollen* albidum, globosum, glabrum, sat magnum, admissa aqua celeriter fovillam copiosam emittens; *germen* ovatum, minutum, villis erectis, sericantibus, hyalinis, acutissimis, inarticulatis, corpuscula minuta continentibus, germine ipso longioribus, totum obtectum, 0,1 poll. longum, biloculatum; *gemmulae* in loculo quoque binae; *stylus* albus, teres, filiformis, 0,35 poll. longus, rectus, strictus, persistens, dein ab apice emarcidus, basi persistente fructum coronans; *stigma* capitato-bilobum candidum; *lobi* divergentes crassiusculi, ovati, subreflexi, papillosi, papillis oblongis, ellipticis aut subteretibus,

hyalinis, corpusculis minutis foetis; *fructus* calycis laciniis vegetis, grossificatis inclusus, subglobosus, 2?-loculatus, 2-valvis, loculi 2-spermi.

386. ANISEIA EMARGINATA Hsskl.

Char. Spec. cf. Hsskl. Catal. 650. 3. *Convolvulus* Vhl. Wld. Sp. pl. I. 847 excl. Brm. — *Ipomoea uniflora* Bl. (nec Brm.) Bijdr. 721. — Ab : *A. uniflora* Chois. Convolv, 483 differt: *caule* scandente volubili, *foliis* 2—4 poll. longis, 0,75—2,25 poll. latis, oblongo-lanceolatis, aut ovato-oblongis, omnibus emarginatis, mucronatis; *internodiis* folio brevioribus aut longioribus, hinc minute retrorso-strigosis; *pedunculis* minutissime albido-puberulis, fructiferis pendulis, supra medium articulatis et bracteolatis; *pedicello* complanato; *corolla* candida pilis extus albidis; *fructibus* intus sericeis; *seminibus* ciliatis. — Icon Rhedii l. c. differt solummodo: foliis apice subacutis et pedunculis apice haud articulatis fructibusque acutis, qui in nostris semper depressi sunt. — Brm. Ind. 47 t. 41.2. *Convolvulus uniflorus* differt: foliis multo angustioribus acutis, pedunculis brevioribus. — An D. Pyrohi *Conv. uniflorus alter* hujus loci? folio oblongo, cordato, pedunculis folio longioribus? cf. Brm. l. c.

387. CONVOLVULUS TURPETHUM L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3803. Msn. Gen. 275. Comm. 181. 14.

Char. Spec. cf. *Ipomoea* Chois. Conv. 450. *I. anceps* Bl. Bijdr. 714. *I. triquetra* Vhl. Roem. et Schlt. XIV. 231. 74. — *Convolvulus* Wld. Sp. pl. I. 858.

Descrpt. *Caulis* volubilis; rami elongati, trialati; alae sanguineae aut virides crispatulae marcescentes; *folia* (cf. R. et S. l. c.) 3,0—4,5 poll. longa, 2,5—3,2 poll. lata, cordato-oblonga, acuta aut acuminata, senilia grabriuscula, juniora pilis minutis obsessa; petioli 1—3 poll. longi; *pedunculi* petiolis aequilongi aut longiores, cum floribus folia aequantes, 3—5-flori (cf. R. et S.); *bracteae* et *sepala* externa apice rubentes mucronulatae (cf. R. et S.); *corollae* tubus 0,25 poll. longus, limbus campanulato-infundibuliformis, 1,5 poll. altus, candidus; *filamenta* basi dilatata, corollae tubo adnata a fauce libera complanata, subulata, adscendentia, albida, 0,5 poll. longa; *antherae* albidae, emarginatae, oblongae, spiraliter tortae; *germen* stipite tetragono suffultum, tetragono-subglo-

bosum, minutum; *stylus* filiformis, albidus; *stigma* capitatum subdidymum, papillosum; *fructus* calyce emarcido conniventi inclusi, dein patenti exserti, membranacei, tenuissimi, irregulariter rumpentes; *semina* subglobosa a lateribus binis interioribus subcompressa, nigra, umbilico suborbiculari; *integumentum* osseum, *albumen* siccum corneum. — Nomen sundense: *Aroy jütton béner.*

388. CONVOLVULUS ANGULARIS L.

Char. Spec. cf. *Ipomoea* Chois. 454 et 455. *I. vitifolia* Bl. Bijdr. 709, nec Sw. *C. pilosus* Noronh. Verhandl. Bat. Gen. V. 71.

Descrpt. *Caulis* volubilis basi lignosus; rami teretes, *ramuli*, petioli et pedunculi densissime patenti- et albido-hirsuti, virides, dein rubentes, glabrati; *folia* subrotundo-cordata aut sinuato-5—7-loba, utrinque hirta, dein glabriuscula, 5—7-nervia, nervis rubentibus, 3—6 poll. longa et 3,5—6,5 poll. lata; lobi acuminati, crenato-serrati aut sinuati; *petioli* teretes 2—6 poll. longi; pedunculi 2—7 poll. longi; *flores* racemosi subumbellati, secundi; *sepala* aequalia, aequilonga, exteriora hirsuta, interiora glabra, ovato-oblonga, acutiuscula, interiora ad 0,75 poll. longa; *corolla* sulfurea, luteo-aurantiaca, 2 poll. alta; tubus inflatus, limbus dilatatus, utrinque glaberrimus, in diametro transversali 2 poll. latus, 5-lobus; lobi rotundati in medio sulcis 5 parallelis notati; *filamenta* basi dilatata, tubi basi adnata, dein libera incrassata, conica, supra filiformia, adscendentia; *antherae* oblongae, acuminatae, basi emarginatae, dein tortae; *germen* subglobosum, minutum; *stylus* filiformis, tenuis, *stigma* didymum, papilloso-albidum. — Nomen sundense: *Aroy kawoïang.*

389. CONVOLVULUS (IPOMOEA Jcq. Chois.) OBSCURUS Vhl.

Char. Spec. cf. R. et S. Syst. Veg. IV. 236. 88, descrpt. Vhl. optim., Chois. Convolv. 464 sub *Ipomoea*; *I. insuavis* Bl. Bijdr. 716, ubi corolla albida pro sulfurea.

Descrpt. Herbae in ruderatis decumbentes aut in sepibus scandentes, prope *Bidara-tjina*, *Bataviam*, *Bogor* et

foresan in totius *Javae occidentalis* locis haud nimis elatis vulgatissimae et ab Sundensibus *Aroy túli kéntjir* dictae, graciles; *rami* decumbentes, 3—6 ped. longi, e basi caulis radiatim dispersi, dichotomi, teretes aut subangulati, pilosi, sublanati, nunc glabrati, basi lurido-sanguinei, versus apicem virides, pilis patentibus, sat longis, albidis, nunc secundis; *internodia* 1,5—4,5 poll. longa, 0,07 poll. crassa; *stipulae* nullae; *petioli* alterni secundi, omnes coelum versus flexi, verticales teretes, antice leviter canaliculati, versus apicem paullo attenuati, pallide virides, in evolutione antice patenti-ciliati aut toti puberuli, dein glabrati, 1,5—4,0 poll. longi; *folia* petiolis subpeltatim inserta, horizontalia, subrotunda, profunde cordata, lobis rotundatis, acuta aut breviter et abruptim acuminata, 7—9-nervia, diametro 1,5—3,0 poll., nunc transversim paullo latiora, glabra, margine integerrima, minutissime ciliolata, in praefoliatione complicativa, supra sat viridia, subtus glaucescentia et eleganter reticulata, nervis utrinque paullo prominulis, subcurvatim marginem versus procurrentibus, dichotomo-ramosis et ante marginem confluentibus; ramis transverse reticulatis; *pedunculi* solitarii tenues graciles plerumque petiolis breviores, nunc (ad apicem ramorum, sed rarissime) iis paullo longiores, plerumque 1-flori, apice bracteati, nunc ex axillis bractearum floriferis 3-flori, 1,0—3,0 poll. longi, in anthesi erecti, dein cum ramo et petiolo angulum acutum formantes, erecto-patentes; *bracteae* minutae, lineari-oblongae, acuminatae, pedicello adpressae, 0,1 poll. longae, pilosiusculae virides, margine luride purpurascentes; *pedicelli* floris solitarii aut centrales pedunculi 3-flori pedunculo articulatim inserti et eo multo crassiores, versus apicem subclavati, angulati, 0,5—0,7 poll. longi, in anthesi erecti (in eadem cum pedunculo planitie), dein post anthesin sub angulo recto cum eo deflexi, laterales nunc breviores, nunc pedicello centrali aequilongi, medio bracteolis binis, bracteis consimilibus adpressis minoribus instructi; *calyx* profunde 5-partitus, basi sub-5-gonus, in praefloratione imbricatus, in anthesi corollae tubo arcte adpressus, dein germen conniventi-

obtegens et postremo fructum sustinens; *laciniae* ovatae, acuminatae, verticillatim insertae, subaequales, 0,2 poll. longae, 0,15 poll. latae, virides, margine tenuiores, membranaceae, persistentes vegetae; *corolla* gamopetala, horis matutinis patens, sole adscendente decidua; *tubus* brevis 0,2 poll. longus, subpentagonus; *limbus* campanulato-infundibuliformis, 0,7—1,0 poll. altus, diametro transversali 1,0—1,3 poll., vineus, dein sulfureus, fauci atro-purpureus, in praefloratione complicato-subconvolutus, obsolete 5-lobus, apertus in peripheria 5-angularis, lobis truncatis medio e nervo medio muricato apiculatis, dein involuto-marcescens; *stamina* 5 inaequalia, nunc 3 majora, 2 minora, nunc 2 majora, 2 intermedia et quintum minus, omnia erecto-conniventia; *filamenta* basi dilatata, complanata, tubo corollae toto adnata, a fauce libera, ibique purpureo-tincta et patenti-puberula; *pilis* hyalinis, basi crassioribus, medio tenuioribus et versus apicem subclavato-incrassatis, succo hyalino et corpusculis minutissimis (succi motum mihi haud praebentibus) foetis, dein a medio in basin suam quasi in vaginam retractis (cf. Schld. l. c. I. p. 270 fig. 89. [a] et [b]); *vaginae membrana* e cellulis longitudinalibus truncatis composita, dum pars retracta, membranam cellularem, sat crassam, sed continuam simplicem ostendit; *filamenta* supra basin teretia, candida, apice subulata, 0,15—0,20 poll. longa; *antherae* ante et in pollinis effoetione oblongo-ovatae, basi cordatae, lobis rotundatis, dein oblongo-lineares, basi sub-sagittatae, apice connectivo sat lato filamento continuo, prominulo acutae, 0,07 poll. longae, 0,04 poll. latae, candidae, introrsae 2-loculatae; *loculi* paralleli, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* copiosum, candidum, globosum, undique muriculatum, nunc sat magnum, nunc mediocre in eodem loculo, muricibus acutis, sat magnis diaphanis, poro unico fovillam emittens sat copiosam, sub aqua serpentine flexuosam; *germen* basi annulo brevi glanduloso flavescenti cinctum, oblongum, albescenti-viride, glaberrimum, biloculare; *gemmulae* in loculis binae erectae, fundo loculorum insertae; *stylus* basi crassus, in germen continuus sensim attenuatus, supra medium cy-

lindricus, candidus, strictus, 0,3 poll. longus, apice antheras longiores superans, corolla decidua persistens; *stigma* globosum, papillosum, candidum, bipartibile aut potius bina hemisphaerica arcte adpressa, lobulata, lobis parallelis, hyalinis, cylindricis, apice paullo incrassatis, densis, apices pilorum staminum simulantibus tecta; *fructus* globoso-ovati, styli baseos rudimento viridi apiculati, primo pallide virides, subalbescentes, linea saturatiore a vertice ad basin e septi insertione notati, biloculati, 2-valves; *loculi* 2-spermi; *semina* angulata, glabra; *cotyledones* virides corrugato-plicatae; *radicula* infera brevis cylindrica, lucida, acuta, sub apice paullo incrassata. — Per totum fere annum flores fructusque gerit. — 1846.

390. CALONYCTION SPECIOSUM Chois. β. MURICATUM Chois.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3805. Msn. Gen. 275. Comm. 182. 17.
Char. Spec. cf. Conv. 441. *Ipomoea aculeata* Bl. Bijdr. 715.

Descrpt. Ramuli elongati teretes, retrorsum muricati, glabri, folia cordata, reniformia et subrotunda, aut ovata, obtusa, acuta aut breviter acuminata, integra aut trilobo-sinuata, lobis obtusis, rotundatis, 3—6 poll. longa, 3,0—5,5 poll. lata; petioli teretes, supra leviter canaliculati, 4—9 poll. longi, flexuosi; pedunculi axillares 1—5-flori, petiolis breviores, 2—5 poll. longi, teretes, glaberrimi; calycis sepala externa bina aequalia, elliptica, carinata, sanguineo-marginata, apice dorso mucrone recurvo sanguineo-viridi; tertium eadem forma sed longius, interna bina longiora, tenuiora, subrotundo-ovata, viridi-carinata, apice mucrone erecto subuliformi; corollae tubus 4 poll. longus, viridis, cylindricus, limbus 2 poll. altus, candidus, extus (pars alabastri haud plicata) viridi-striatus, glaberrimus, 5-lobus; lobi rotundati, mucronulati, 1,5 poll. lati; filamenta corollae tubo adnata, infra faucem dein libera filiformia, albida, subaequalia, apice subulata; antherae oblongae, basi cordato-emarginatae, albidae; stylus filiformis elongatus; stigma capitatum, bilobum, squamuloso-imbricatum, *fructus* ovati, acuti, apiculati, glaberrimi, nigrescentes, 4-valves, biloculati, membranis pericarpii dein secedentibus; *semina* obsolete

trigono-ovata, glaberrima, brunnea, ossea. — Nomen sundense: *Téreng kóri bóddus.*

Obs. Huic speciei affines brevibus describam verbis: *a*) *Calonyction longiflorum* Hsskl. Catal. 653. 2. (*Ipomoea* R. Br. Prdr. I. 340.) — Ab antecedente hisce differt: *ramuli* angulati, tuberculati; *folia* nunc integerrima, nunc angulata, s. plerumque triloba, subtus glaucescentia; lobi saepe pariter sinuato-angulati, acuminati; *petioli* 2—3 poll. longi, ad apicem biglandulosi; *pedunculi* atro-virides, plerumque abbreviati, 0,2—0,7 poll. longi, 1—3-flori, cum pedicellis apice incrassatis petiolis breviores; *sepala* obtusa, vix mucronulata, inaequalia, exteriora 0,5 poll. longa, interna bina aequalia, 1,2 poll. longa; *corollae* tubus extus lutescens glaber, intus versus basin pilosiusculus; *filamenta* barbata; *antherae* basi emarginatae, recurvae; *fructus* maximi, basi calyce persistente emarcido patente cincti. — Nomen sundense: *T. k. bürrüm*, i. e. rubrum, s. *Ároy kutjubùng*, i. e. Datura scandens.

b) *Calonyction diversifolium* Hsskl. Wlp. Rprt. VI. 531. 6. *Fructus* sepalis persistentibus emarcidis, patentibus suffulti, globoso-conici, maximi, plerumque in pedunculo solitarii, semi-4-valves; *pericarpium* apice operculatim dehiscens, membranaceum; *mesocarpium* pergamaceum fragile hygroscopicum; *endocarpium* membranaceum, tenuissimum solubile; *semina* in loculis bina erecta, subglobosa, badia, tomentosa, in linea peripherica splendenti badia ciliata; ciliae simplices, longitudine diametri seminis 0,2—0,3 poll. — Nomen sundense et sequenti commune: *Ároy wàt gúling*.


c) *Calonyction trichospermum* Chois. Conv. 442. (*Ipomoea* Bl. Bijdr. 710.) — Differt a *C. longifloro*: *foliis* (nec hastatis, sed) exciso-cordatis, lobo intermedio, basi vix attenuato, medio rotundato, dein apice acuminato, lateralibus longius attenuatis; *pedunculis* longioribus viridibus; *sepalis* exterioribus submuticis, interioribus mucronulatis; *fructibus* dehiscentibus magis inflatis, loculis plerumque 3—4-spermis aut saltem gemmulis 3—4 in loculo quoque germinis; *seminibus* longe ciliatis et brunneo-tomentosis.

391. LEPISTEMON RENIFORMIS Hsskl.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 275. Comm. 182. 16. Endl. Gen. 3804. — *Palmia* b. *Skinneria* Chois. solummodo germine 1-loculato diversa. Endl. Gen. 3799. — *Convolvulus* L. d. *Ipomoea* Jcq. differt stigmatibus 2 capitato-globosis, nec unico bilobo; — *Aniseia* Chois. Endl. Gen. 3802 differt calycis foliolis exterioribus decurrentibus profundius insertis. — Mea opinione genera Convolvulacearum a monographo clbrr. nimis artificialiter sejuncta sunt et forsan ad pauca tantum reducenda erint.

Char. Spec. An *Convolvulus* (*Ipomoea*) *reniformis* Chois. l. c. p. 447? caule repente, foliis reniformibus obtusis brevibus, pedunculis brevissimis 1-floris, foliolis calycis minimis subrotundis! — Affinis *I. carnosa* R. Br. Prdr. I. 341. 14 — nec confundenda! An *C. hepaticifolius* Sprg. Syst. Veg. I. 594 hujus loci?

Descrpt. Herbae longe prorepentes supra vias publicas prov. *Bataviae*, vulgo *Padattie-wegen* dictas, has *totas* obtegentes iisque quasi adglutinatae, ramosissimae, glaberrimae tristes; *caulis* teres, viridis subangulatus, 2—4 poll. longus, ad quemque nodum radices emittens, solo arcte adpressus et saepe semi-immersus; *rami* juveniles sub-adscendentes cum foliis sanguinei, pilis patentissimis raris caducis obsessi, sublucidi, 2—3 poll. longi, dein procumbentes, 4—8 poll. longi et radicantes, magis luride virides glabrati; *petioli* alterni erecti aut adscendenti-erecti, subflexuosi, 0,2—1,5 poll. longi, subteretes, supra canaliculati, ad margines canalis, utrinque ciliis longis, deciduis obsessi, rigidi, primo sanguinei, dein virides; *folia* in praefoliatione complicata, sanguinea, lucida, dein luride viridia, opaca, postremo viridia, reniformia aut subcordata, obtusa aut rotundata, rarius acutiuscula, margine erecto undulata, subrepanda, sinu baseos lato et lobis rotundatis, 3—5-nervia, sat rigida, suborbiculato-cucullata, diametro 0,5—1,4 poll., seniora plerumque ab insectis erosa; *pedunculi* axillares brevissimi, in fructu paullo incrassati virides, 0,05 poll. longi, ad basin cicatricibus florum deciduorum, abortivorum, binorum notati; *bracteae* ad basin calycis lineares virides, calyci arcte adpressae, persistentes vegetae, in fructifero 0,07 poll. longae; *calyx* 5-phyllus; *foliola* inaequalia, in praefloratione imbricata, concava, suborbiculata, exteriora minora lurida, subcompressa, sub apice



mucronulata, mucrone viridi patente carnoso, interiora multo longiora et latiora, margine pulchre ciliata et longius mucronulata, omnia conniventia, corollae tubum sustinentia, vegeta, in fructifero viridia, margine rubentia, ciliata, 0,15 poll. longa, eique arcte adpressa, fructuum verticem tantum haud obtegentia; *corolla* campanulato-subrotata, ante anthesin plicata, aurea, subrubescens exserta, 0,3 poll. longa, receptaculo inserta; *tubus* apice paullo constrictus rubens; *limbus* patens sub-5-lobatus, plicatus, undulatus, lobis post anthesin inflexis, truncatis, apice 0,2 poll. latis; *stamina* 5, corollae tubo ima basi inserta inter squamulas hyalinas, minutas, fimbriatas, subconniventes, lobis corollae alterna; *filamenta* tubi corollae fere longitudine, albescentia, erecta, 0,15 poll. longa, filiformia, apice subulata; *antherae* erectae, introrsae, ovatae, dein oblongae, basi subcordatae, supra basin apice insertae, acutae, albidae, biloculatae, *loculi* paralleli, contigui, longitudinaliter dehiscentes; *pollen* albidum, globosum? — —; *germen* basi annulo tenuissimo, nectarifero cinctum, oblongo-conicum, pallide viride, bi-loculatum; *gemmulae* in loculo quoque binae; *stylus* filiformis albidus, 0,15 poll. longus; *stigma* capitatum, papillosum, albidum, subdidymum; fructus calyce vegeto et bractea suffulti, depresso-globosi, versus basin sub-pentagoni, biloculati, bivalves; *semina* in loculo quoque bina, aut nunc abortu tantum solitaria, albuminosa; *albumen* periphericum tenue; *embryo* curvatus; *cotyledones* foliaceae corrugatae. — Mensibus Februario et Martio flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

GOODENIACEAE ENDL.

392. SCAEVOLA KOENIGII Vhl.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 3038. Msn. Gen. 239. Comm. 146. 1.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VII. 505. 1 et 2 *S. Taccada* Rxb., quae solummodo foliis integerrimis, nec apice subrepandis diversa dicitur. — Hsskl. Cat. Sppl. p. 307. 472. *S. Koenigii* et *Plumieri* Bl. Bijdr. 731 nec Vhl. — *S. Plumieri* Hsskl. Cat. 472. 1, nec Vhl. — folia ramorum uberiorum repando-dentata, adultiorum subintegerrima eya-

dunt; Rumph. amb. IV. 116 t. 54, folia autem in icone descriptionem haud quadrant!

Descrpt. Arbor alta; *rami* crassiusculi, glaberrimi; *stipulae* nullae; *folia* ad apicem ramulorum congesta, obovato-cuneata, obtusa, sessilia, nunc subintegerrima, nunc repando-dentata, glaberrima, carnoso-coriacea, utrinque lucida; *pedunculi* breves pauciflori (5—9-flori), dein lapsu foliorum laterales; *calycis* tubus subglobosus, a latere subcompressus, subsulcatus, limbi laciniae lineari-lanceolatae, acutae, persistentes; *corollae* laciniae margine alato-inflexae; filamenta libera, basi tubi corollae inserta, plana, apice dilatata; *antherarum* loculi marginales distincti; *connexivum* apice prominulum; *gemmula* in loculo quoque germinis unica; *stylus* filiformis, crassiusculus, apice clavatus; *stigma* capitatum viride; indusium stigmatis membranaceum, lacerum, elegantissimum. — Nomen sundense: *Gagábusan* a verbo *Gábus*, piscium specie derivatum.

COMPOSITAE VAILL.

393. VERNONIA (TEPHRODES) CINEREA Less. β. ROTUNDIFOLIA Wght.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 176. Comm. 123. 16. DC. Prdr. V. 15 et 24. Endl. Gen. 2204. ε., pappus autem exterior nullus! — in var. ζ. *parviflora* Rnwdt. capitulum multiflorum (nec pauciflorum), receptaculum nudum; pappi series externa brevissima paleacea, paleae e setis brevissimis, basi coadunatis, apice liberis formatae. — Pappus potius calycis limbus appellandus!

Char. Spec. et *Var.* cf. DC. Prdr. V. 24. 52. Wght. Cntrb. 6. 5. β.

Descrpt. *Suffrutices* in pratis et apricis prope *Bataviam* vulgatissimi; *caulis* humilis 2—3 ped. altus cinerascens, totus pilis adpressis canescentibus plus minus densis tectus; *rami* atro-sanguinei, divaricati, subteretes; *ramuli* subtetragoni; *folia* alterna; *caulina inferiora* ovata, acuta, basi in *petiolum* cuneato-attenuata, cum hoc 3,0—4,5 poll. longa, 1,5—2,5 poll. lata, repando-dentata, basi integerrima, ramea et suprema ovato-oblonga aut oblongo-lanceolata, acuta, basi cuneata, 1,5 poll. longa, 0,8 poll. lata, supra dein gla-

brata, subtus cinereo-glaucescentia, pilis adpressis, longiusculis, subintricatis tecta; *capitula* terminalia, pedunculata, bina, altero breviter, altero longius pedicellato, rami axillaris excrescentis ope dein lateralia; *pedunculi* 0,5—1,3 poll. longi, teretes, apice furcati; *bracteola* ad ramificationem lineari-subulata, 0,2 poll. longa, adpressa; *pedicelli* (bifurcatione rami et ramuli) 0,1—0,3 poll. longi, teretes, adpresse tomentosi; *capitula* multiflora ante anthesin ovata, acuta, 0,3 poll. longa, erecta; *involucrum* polyphyllum (bracteolae plurimae subverticillatim sub floribus congestae); *foliola* imbricata, multiseriata, lineari-subulata, interiora (superiora) lineari-lanceolata, acuminata, exterioribus latiora et longiora, margine membranacea, extus intricato-puberula, post anthesin conniventia, fructifera patenti-reflexa; *receptaculum* (axis inflorescentiae abbreviatissima in planitiem tenuem) planum scrobiculatum epalaceum (bracteolis propriis florum nullis); *flores* omnes hermaphrodite *corollae* lilacinae, tubulosae, exsertae, plurimae 5-fidae; *tubus* albidus, basi curvatus, apice inflatus, infundibuliformis; *laciniae* lineares obtusiusculae patulae, tubo subaequilongae; *filamenta* tenerrima, hyalina, capillaria; *antherarum* tubus lutescens tenuis, supra basin filamentis insertus, apice 5-dentatus, basi 5-fidus; *stylus* longus, basi albidus, apice lilacinus, bifidus; *laciniae* revolutae, extus pilis simplicibus hirtae, intus papillosae, stigmatosae, acuminato-subulatae; *fructus* 4-goni, basi attenuati, angulis acutis, nunc membranaceis, punctulati, dein subcylindrici, calycis limbo (pappo) uniseriato persistente coronati, huc dein caduco calvi et solummodo disco epigyno magno prominulo, angustato terminati, monospermi indehiscentes; calycis limbus hic uniseriatus e pilis constans longis hirsutiusculis ope pilorum minutorum adpresso-erectorum acutissimorum, dein caducus.

ζ. PARVIFLORA Rnwdt.

Quoad variet. vid. l. l. spr. citt. — Rmph. amb. VI t. 14. 1., icon huc citata, si vere huc referenda, pessima, descriptio speciei secundae forsan melius quadrat.

Descrpt. Herbae annuae, cum praecedente obviae et

ad altitudinem 5 millium ped. adscendentes, vilissimae; *caulis* erectus, strictus, 12—18 poll. longus; *rami* striato-sulcati, pilis minutis haud densis scabriusculi; *ramuli florigeri* fastigiati, paniculato-corymbosi; *folia inferiora* obovata, obtusa s. ovata, acuta, basi in *petiolum* 1,0 poll. longum, attenuata, repando-dentata, 1,5 poll. longa, 1,2 poll. lata, *superiora* ovato-oblonga et oblongo-lanceolata, acuta, basi attenuata, *summa* lineari-lanceolata, acuta, subrepanda, *omnia* glabriuscula et *summa* tantum vix puberula; *corymbus* terminalis dichotomus, 10—14-cephalus; *pedunculi* erecti patentes, 0,2 poll. longi; *involucrum* ovatum, 0,12 poll. longum; *foliola* lanceolato-linearia, cuspidata, acuminata, 1-nervia; *fructus* subangulati, minute adpresse pilosi, 0,06 poll. longi, calycis *limbo* persistente coronati; *calycis limbus* biseriatus, *externus* brevissimus persistens fructus coronulam fingens, paleaceus, paleis e setis brevissimis, basi coadunatis, apice liberis formatis, *internus* multo longior 0,1 poll. longus, fructibus ipsis longior albidus, deciduus, tenuis, e pilis constans tenuissimis denticulatis. — Per totum annum flores fructusque gerit. — 1846.

394. ECLIPTA (EUECLIPTA) ALBA Hsskl. *a.* ERECTA L.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2446.* DC. Prdr. V. 489. I. Msn. Gen. 183. Comm. 125. 114, paleae autem (bracteolae) fructibus junioribus (germinibus) multo, senioribus paullo longioribus et flores disci campanulati.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. V. 490. 1. Wght. Cntrb. 177, pedunculi longitudo relativa autem ad capitulum in eodem caule maxime variabilis et inde ad signum distinctionis vix adhibenda erit; mea opinione affines (DC. l. c.) plurimae species (inclusa specie Wlp. Rprt. II. 602. 1) formae tantum speciei unius soli indole aut humiditate majore aut minore ortae videntur et omnes in se invicem transeunt cf. Wght. l. c., ubi e verbis Roxburghii eadem opinio offertur; cf. Flora Bot. Zeit. 1847 p. 533 not.

Descrpt. Herbae in ruderatis, siccis et paludosis, ad margines lacuum plus minus immersae prope *Weltevreden*, *Bogor* et forsan totius *Javae* haud nimis elatae; *caulis* erectus, in siccis debilis, 6—9 poll. longus, in uberioribus paludosis 12—18 poll. altus, dichotome ramosus, tuberculis apice pilum strigosum gerentibus asper; *internodia* in paludosis

magis elongata et medio nunc tumida, inflata, spongiosa; *folia* opposita, sessilia, *inferiora* in siccis obovata aut oblongo-lanceolata, acuta, basi attenuata, 1,4—0,7 poll. longa, 0,6—0,4 poll. lata, internodio superiore breviora; *superiora* et speciminum paludosorum oblongo-, aut elliptico-lanceolata, utrinque attenuata, 1,5—1,8 poll. longa, 0,6 poll. lata, internodio superiori aequilonga; *summa* basi obtusiuscula, subcordata, ad latera subreflexa, lineari-lanceolata, 0,4 poll. lata, 1,4 poll. longa, *internodium* superius longe superantia; *omnia* obsolete serrata, utrinque et praeprimis subtus strigoso-aspera; *capitula* radiata, homochroma, pedunculata, aut axillaria, aut plerumque terminale et axillare unicum longius pedunculatum collateralia; axilla altera ramulum novum proferens; *pedunculi* 0,3—1,5 poll. longi, stricti, erecto-patentes, teneri, strigoso-asperi, apice subincrassati; *involucrum* foliaceum imbricatum, ante anthesin oviforme, dein basi cylindricum, limbo patenti; *foliola* basi connata, biserialia, plerumque 9, additis hinc inde 1—2 accessoriis minutis, ovato-lanceolata, acuminata, 3-nervia, dorso et margine strigoso-hirta, supra glaberrima, lucida, in et post anthesin patentia; *flores* radii lingulati, uniseriales candidi, foliolis involucri vix aequilongi, iisque incumbentes, plurimi patentes, pistilligeri; lingula a basi patentissima, linearis, versus basin subconvoluta, angustissima, versus apicem latior, obtusa, 0,1 poll. longa; *tubus* angustus brevis candidus, apice ligulae obverso pilis 3, quartam tubi partem longis, patenti-erectis, hyalinis praeditus; *germen* subangulato-teres, subcurvatum, albidum, glabrum, apice annulo viridi elevato, subpaleaceo coronatum; *stylus* erectus ligulam dimidiam attingens, albus, apice bifidus; *laciniae* subreflexae, patenti-divaricatae, obtusiusculae, semi-teretes, facie interiore papillosae; *flores* disci robustiores tubulosi albidi; *corolla* basi angustata, teres, dein campanulata, apice breviter 4-dentata, 0,06 poll. longa; *dentes* breves erecti, apice subreflexi, ovati, acutiusculi; *filamenta* tenera albida; *antherae* intra faucem corollae subexsertae, cohaerentes, oblongae, basi 2-fidae; *connectivum* versus apicem incrassatum, truncatum; *lobi* baseos

acuti, paralleli; *pollen* albidum; *germen* complanato-subpyramidatum, basi angustatum, versus apicem strigosum, pilis erectis, hyalinis, apice paleis, plus minus fimbriato-laceris, basi in annulum connatis coronatum; *stylus* et *stigmata* radii; *receptaculum* convexo-planum, tessellatum; *paleae* (bracteolae) inter germina filiformes longae, eaque excedentes, pilis brevibus hyalinis, 3-articulatis, ciliato-hirtae, virides acuminatae, fructibus jam dein deciduis persistentes; *fructus* subaequales pyramidati, *radii* triquetri, *disci* complanato-tetraëdri; *epicarpium* membranaceum, candidum, spongiosum, tuberculatum, diaphanum, in angulos acutos protractum, rugulosum, calycis limbo vix elevato viridi, coronaeformi coronatum; *limbus* hic denticulis 4 vix prominulis notatus; *vertex* fructus mammaeformis, hinc setula una alterave rudimentaria coronatns; *semen* unicum fructum implens; *testa* rigida, coriacea, nigra.

β. Forma: *E. longifolia* DC. l. c. 2 differt a praecedente solummodo: *foliis* oblongo-lanceolatis, acuminatis, basi attenuatis, 1,5—2,5 poll. longis, 0,5—0,7 poll. latis; *pedunculis* 1—3, nunc, 4 pseudo-axillaribus, inaequilongis, erectis, 0,7—2,0 poll. longis. — Ab hac forma: *E. prostrata* L. solummodo caule prostrato aut adscendente diversa: an sufficienter? — Cum forma *praecedente* obviam venit Januario 1846. *In eodem loco initio mensis Martii specimina* vidi erecta, 18—24 poll. longa, dichotome patentim ramosa, tota adpresse strigosa; *internodia* ad apicem paullo incrassata, 1,5—4,0 poll. longa, 0,1—0,15 poll. crassa; *folia* brevissime petiolata, versus basin attenuata, basi obtusa, subcordata, semi-amplexicaulia, oblongo-lanceolata, acuminata, 2,0—3,5 poll. longa, 0,4—1,2 poll. lata, utrinque adpresse strigosa; *pedunculi* 1—4, ex eadem axilla inaequilongi, 0,8—1,5 poll. longi; — an ad eandem formam pertinet?

γ. Forma: *E. Zippeliana* Bl. *Caulis* basi adpresse strigosus, apice patenti-hirtus; *folia* nunc obovato-cuneata, obtusa, nunc ovali-lanceolata, acuta, nunc oblongo-obovata, acuta, nunc oblongo-lanceolata, acuminata, nunc elliptico-lanceolata, nunc integerrima, plana, nunc subserrata, margineque subun-

dulata, 0,8 poll. longa, 0,02 poll. lata, ad 2,4 poll. longa, 1,0 poll. lata in eodem caule; *pedunculi* pseudo-axillares 1—3 erecti, 0,15—0,5 poll. longi, hirsuti; *capitula* iis formae α paullo minora. — Eodem cum praecedentibus loco reperienda. — 1846.

395. XANTHIUM (EUXANTHIUM) INAEQUILATERUM DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2480.[a] Msn. Gen. 198. Comm. 130. 322.
Char. Spec. cf. DC. Prdr. V. 523. 4. Wlp. Rprt. VI. 150. 5.

Descrpt. Herbae annuae, in ruderatis prope *Bogor* et *Bataviam* sat vulgatae, ibique *Pomporútan*, i. e. Triumfetta, dictae, inermes ramosissimae, erectae; *rami* virides, striis atro-purpureis notati, pilis minutis, substrigosis, pariter ac petioli foliorumque nervi, subtus asperrimi; *petioli* subteretes, 0,2—0,5 poll. longi, supra canaliculati, patentes; *folia* ovata aut subrotunda, 2—4 poll. longa et lata, saepe latiora quam longa, angulata, triloba, repando-duplicato-serrata, basi inaequali-attenuata, saepe cuneata, utrinque pubera; *inflorescentia* axillaris aut terminalis, pistilligeros flores exhibens sessilis, staminigeros pedunculata; *flores staminigeri:* (paleae) *bracteae* propriae lineari-spathulatae, 0,1—0,2 poll. longae; *corolla* viridis, basi albido-diaphana; limbi *laciniae* conniventes; *stamina* exserta; *tubus filamentorum* connatorum corollam excedens hyalinus liber; *antherae* basi subconglutinatae, apice divaricatae; — *flores pistilligeri: involucrum* glabriusculum, extus foliolis liberis linearibus acuminatis, hirsutis cinctum; *corolla* tubuloso-conica; *limbus* inaequaliter 2-dentatus; *dens* alter minutus, alter productus subulatus; *germen* ovoideum, glaberrimum, lucidum; *stigmata* exserta divaricata, apice reflexa, dein subinflexa, complanata; *involucrum* bilobum; *lobi* subulato-acuminati, divaricati; *foliola* cingentia, *interna* involucro, adnata, apice reflexa et inde involucrum echinato-hispidum (muricato-aculeatum Bl. Bijdr. 915); *externa* libera; *fructus* stylo et stigmate emarcidis coronati, obverse oviformes, altero latere complanati, altero con-

vexi nigrescentes; *semen* oblongum, cylindricum, 0,2 poll. longum; *embryo* conformis; *radicula* obtusiuscula.

396. HARPEPHORA ASPERRIMA Hsskl.

Char. Famil., Ordin. et Gen. Ob epicarpium tenue, calycis limbi aristam in plerisque praesentem etsi solitariam, et calycis limbum vaginaeformem (pappum) inter *Senecionideas* ad *Verbesineas*, nec ad *Heliopsideas* referenda planta, ibique generi: *Oligogyne* DC. Prdr. V. 629. Endl. Gen. 2558. Msn. Gen. 199 (ubi erroneë flores disci 68 loco, 6—8 laudantur), magis autem *Harpephorae* Endl. Sppl. I. 2558/1 affinis, cui differt tantum floribus radii plerumque fertilibus, nec neutris (involucri series interna = bracteolae (paleae) externae magis foliaceae), corollae limbi dentibus subconniventibus, nec subrevolutis; fructibus radii inde saepe haud abortivis 1- (nec 2-)aristatis. — Si inter *Heliopsideas* quaeramus, ob fructus difformes (radii 3-, disci 4-gonos) ad *Pascaliam* Ort. Msn. Gen. 201 referenda esset nostra, quae solummodo fructibus seta nulla coronatis diversa videtur; *Jaegeria* Hmb. Knth. differt tantum involucri foliolis fructus disci involventibus; *Wedelia* Jcq. et *Wollastonia* DC. involucro 2—3-seriali, prior tandem calycis limbo esetoso diversae.

Observ. Genera non solum, sed divisiones familiae nimis artificialiter distinctae sunt et forsan genus totum: *Wollastonia* DC. cum *Harpephora* conjungendum aut ad *Verbesineas* reducendum erit.

Char. Spec. E fructu calvo aut uniaristato, involucri foliolis et pedunculis plerumque geminis ad *Verbesinam bifloram* L. (*Wollastoniam* DC. Prdr. V. 546. 1) pertineret, ni folia in hac ovata et subtus glabriuscula essent; e caulis foliorumque forma ac scabritie ad *Verbes. urticaefoliam* Bl. (*Wedeliam* DC. Prdr. V. 539. 10. *Wollastoniam* Hsskl. Cat. 453. 3) ducenda, ni fructus calvi opponerent involucri foliola 2-serilia in utraque forsan erroneë pro involucro 1-seriali et bracteolis (paleis) extremis foliaceis sumta. — *Wollastonia asperrima* Decaisn. DC. Prdr. V. 547. 2 differt: pedunculis solitariis; — forsan *W. biflorae* varietas tantum et certe huc referenda; — an *W. montana* DC. Prdr. V. 547. 4. Zolling. Arch. II. 253. 3 solis pedunculis, quam folia longioribus sufficienter diversa? — cf. Wlp. VI. 170.

Descrpt. Herbae perennes asperae, in sepibus prope *Bidara-tjina* vulgares; *caulis* erectus debilis subscandens, apice nutans aut pendulus, teres aut subtetragonus, laete viridis maculis sanguineis, crebris, magnis confluentibus et tum subreticulatis coloratus, pilis minutis, albidis, antrorsum adpressis tectus et asper subscaber, ramosissimus, 6—7 ped. altus; *internodia* 4—7 poll. longa, *summa* viridia, maculata,

pilis densioribus subcana; *rami* divaricati, cruciati, summi dichotomi, fastigiati, pariter ac caulis viridi- et sanguineo-maculati, maculis sanguineis, saepe colorem viridem superantibus, ad foliorum insertionem nodosi, subincrassati; *internodia* plurima 3—4 poll. longa; *folia* opposita in petiolum brevem 0,2—1,0 poll. longum, basi dilatatum, cum opposito amplexicaulem, supra planum rubentem, hirto-ciliatum et adpresse pilosum, asperum plus minus attenuata, ovato-, *summa* oblongo-lanceolata, acuminata, serrato-dentata, aut adpresse serrulata; *inferiora* basi acuta aut imo breviter acuminata, subinaequalia. *summa* basi rotundata nunc subcordata, vix inaequilatera; infima et summa minora, intermedia maxima, 2,0—5,5 poll. longa, 0,9—3,0 poll. lata, triplinervia, nervis superioribus suboppositis, in axillis nervorum inferiorum et saepe superiorum aut eorum divisionum glandulosa, glandulis subrotundis, supra prominulis pallide viridibus, subtus concavis, tota utrinque strigosa e pilis patenti-erectis, brevibus albidis, firmis, basi elevato-incrassatis, 3—4-articulatis, verruculosis, acutissimis, supra atro-viridia, subtus pallidiora; *pedunculi* terminales, in dichotomiae axi plerumque terminalis brevior, axillaris longior, collaterales aut axillares erecti, stricti, virides, teneri, teretes, subangulati aut subsulcati; cum involucro strigoso-asperi, 0,5—3,0 poll. longi, summo apice paullo incrassati, monocephali; *capitula* homochroma, radiata; *involucrum* campanulatum uniseriale, in anthesi patens; *foliola* persistentia 5 foliacea, viridia, lineari-oblonga, 1-nervia, acutissima, apice patentia, ante anthesin valvatim conniventia, interna obtegentia, 0,3 poll. longa, 0,1 poll. lata, minute strigulosa; *bracteolae* (paleae) florum singulorum foliaceae, *exteriores* involucri foliolis consimiles, sed tenuiores et angustiores planae, fructus haud involventes et versus centrum capituli magis concavae subcarinatae, fructus foventes; *internae* membranaceo-chartaceae, flavescenti-virides, acutissimae, concavae, strigulosae et ciliolatae, germinibus et fructibus cum calycis limbo longiores, 0,2 poll. longae persistentes, longe vegetae, dein marcescentes; *flores* radii pauci, 5—6, aurei pistilligeri;

calyx germini totus adnatus, obverse pyramidatus, dorso convexus, antice angulis 2 prominulis, basi albidus, vertice viridis, totus puberulus; *limbus* minutissime 3—4-denticulatus, obsoletus, nunc non semper denticulo uno interno in setam persistentem continuato; *corolla* gamopetala secunda, 1-labiata, lingulata; tubus brevis 0,05 poll. longus, oblique truncatus, in limbum ovali-oblongum, binervium, apice subemarginatum aut leviter bifidum, 0,25 poll. longum, 0,15 poll. latum, patentem expansus; *germen* tubo calycis conforme uniloculatum; *gemmula* unica; *stylus* erectus, capillaris, tubum corollae vix superans, bifidus; *laciniae* circinato-revolutae, acutae, intus papillosae, dein divaricatae; *flores disci* 15—10 *tubulosi; calyx* rhomboideo-tetragonus, germini totus adnatus, 0,1 poll. longus; *limbus* obsoletus, subtruncatus, minutissime 4-denticulatus, dente unico interno setiformi persistente, 0,07 poll. longo; *corolla* tubuloso-campanulata, 0,17 poll. longa; *tubus* angustior erectus cylindricus, pallide flavescens, 0,05 poll. longus; *limbus* paullo inflatus erectus, apice 5-dentatus, flavus extus glaber, intus puberulus; *dentes* crassiusculi, erecti, subconniventes lanceolati, acuti, in floribus exterioribus antheras obtegentes, in interioribus iis semi-exsertis adpressi; *stamina* 5, corollae fauci inserta, erecta; *filamenta* pallide flava, linearia, tenuissima, minuta, vix dimidias antheras longa; *antherae* nigrescentes, inter se in tubum 0,1 poll. longum conglutinnatae, basi et apice tantum paullo liberae, connectivo albido tenui; *loculi* paralleli lineares, ima basi liberi indeque antheram quamque basi subsagittatam, nec bicaudatam repraesentantes, apice lutescente conniventes; *pollen* albidum, globosum, parvum, muriculatum; *stylus* et *stigmata* antheras excedentia, revoluta, plane floris pistilligeri; *conus* stigmatum terminalis acutus, papillis longioribus munitus; *fructus* radii 3-, disci 4-angulares, subcuneiformes, basi attenuati, apice subconvexi, tomentosi, vertice calycis limbo truncato, cyindrico (pappo vaginaeformi), paullo elevato 1-setoso, coronati et intra limbum cicatrice stylari albido, subrotundo notati; *seta*, in radio nunc nulla, sat rigida, pallide viridis, strigoso-setulosa, persistens,

dein marcescens; *epicarpium* tenue membranaceum, semini arcte adhaerens; *semen* oblongum; *testa* crustacea, glabra, nigra. — Mensibus Januario ad Majum flores fructusque gerentem vidi. — 1846.

397. GYNURA SARMENTOSA DC.

Char. Gen. cf. Endl. Gen. 2792, sed involucri foliola 2-serialia!

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VI. 298. 2. Hsskl. Pugill. 5. Zoll. in Flor. 1847. p. 536.

Descrpt. Herba perennis, glaberrima, foetens; *rami* procumbentes aut ad frutices vicinos adscendentes, 4—6 ped. longi, nec vere scandentes, nec volubiles, nec radicantes (inde et haud sarmentosi sensu Bisch. Termin. p. 252 §. 106. 3. a.) gulati, leviter torti, ad insertionem foliorum purpureo-maculati, caeterum laete virides (dum *G. aurantiaca* DC. l. c. 300. 13 ramos et folia pilis purpureis tectos habet!); *stipulae* aut eorum rudimenta nulla; petioli semi-teretes, saepe torti, patentes s. erecti, 0,4—1,3 poll. longi; *folia* ramorum primordialium oblonga s. elliptica, acuminata s. acuta, basi rotundata aut attenuata, ± inaequalia, 3—4 poll. longa, 1,5—2,2 poll. lata; ramulorum ovalia, obovata, oblonga imoque oblongo-lanceolata, obtusa, acuta s. acuminata, basi attenuata, nunc valde inaequalia, rarius rotundata, 1,0—2,5 poll. longa, 0,7—1,3 poll. lata, carnosula, flaccida, laete viridia, repando-dentata; dentes subaristati; paniculae terminales aut in ramis, ramulisque adscendentibus terminales, laxae; rami 2—6-flori; *bracteae* ad insertionem pedunculorum lineares, subulatae, pedunculis adpressae, laete virentes, 0,4—0,2 poll. longae; pedunculi 0,6—1,0 poll. longi, ante anthesin virides, in anthesi plus minus purpureo-colorati; involucrum 0,5—0,6 poll. longum, basi viride, bracteolis 7—8 linearibus, viridibus calyculatum, supra basin cylindricum, pupureum, lucidulum; *foliola* 8—10 anguste linearia, 2-serialia, interiora in margine membranaceo discolori exterioribus alternantibus tecta et conglutinata, involucrum gamophyllum referentia, post anthesin soluta, reflexo-patentissima; *receptaculum* planum, diametro 0,1 poll., alveolatum; alveolorum margines brevissimi; *calycis*

cum germine connati limbus liber niveus sericans, in pilos minutissime serrulato-asperos solutus; *corollae* involucrum 0,1—0,2 poll. excedentes, primo aurantiaceae, dein defloratae, croceae, imoque sanguineae, 0,5—0,6 poll. longae, basi tenuiores, virescenti-flavae, apice infundibuliformes, 5-dentatae; dentes vix patentes; *antherae* in fauce corollae *filamentis* tenuissimis insidentes, lineares, basi ecaudatae, apice cuspidatae, ad apicem fere inter se conglutinatae; *styli* rami exserti, in appendicem 0,15 poll. longum, intus glaberrimum, extus hispidulum producti; *fructus* monospermi, calyci adnati, teretes, striati, nigrescentes, erostres. — In sylvaticis humilioribus ad margines et in vicis frequens, nomine, toti generi communi: *Djóngê* s. *Jóngê* nota.

398. EMILIA SONCHIFOLIA DC.

Char. Gen. cf. Msn. Gen. 214. Comm. 136. 567. Endl. Gen. 2793. DC. Prdr. VI. 301; stigmatis conus subnullus, stigmata enim subtruncata leviter penicillata.

Char. Spec. cf. DC. VI. 302. 1. Rmph. amb. V. 297 t. 103 f. 1. Wght. Cntrb. 24. 1.

Descrpt. Herbae annuae, in ruderatis et graminosis *Javae occidentalis* ad 5 millium altitudinem obviae; *radix* palaris, fibrillis ubique tecta; *caulis* a basi ramosus; *rami* 3—5 adscendenti-erecti, teretes, inferiore parte patenti-hirti, superiore sparse puberi aut glabriusculi, 9—15 poll. alti ramosi; *folia infima* petiolata, obovata, basin versus lyrato-incisa, obsolete dentata; *superiora* obovata, lyrata (lamina ad basin et ultra basin percurrente) 3,0—4,0 poll. longa, 1,0—1,5 poll. lata, semiamplexicaulia, plus minus grosse dentato-incisa, lobis binis plerumque majoribus, margine superiore sinuato-dentata; *altiora* basi cordato-amplexicaulia, auriculis obtusis, quadratis, imoque acutis, conniventibus; *floralia* (ad ramos primos floriferos) e basi lata cordato-amplexicauli, conniventi, oblongo-lanceolata, acuminata, subintegerrima, 3 poll. longa, 1 poll. lata; *juvenilia* sublanata, *seniora* subhirta, *adulta* in nervo medio subtus tantum pilis singulis patentibus obsita; *corymbi* oligocephali, ante anthesin nutantes, puberuli, dein erecti, gla-

briusculi; *bracteae* (folia floralia minuta, abortiva) ad pedunculorum insertionem anguste lineares; *pedunculi* graciles, teretes, 1—2 poll. longi, glabriusculi; *capitula* basi crassiora, versus apicem attenuata; *involucrum* cylindricum, 0,4 poll. longum, puberulum, corollarum limbum attingens; *foliola* singula linearia, ad apicem cohaerentia, demum reflexa, apice haud scariosa; *receptaculum* in anthesi concavum, post anthesin planum imoque convexiusculum; *corollae limbi* lilacini aut potius kermesini (nec purpurei in vivis); *laciniae* lineari-oblongae, acutiusculae, reflexae; *fructus* 5-angulares (nec pentagoni) utrinque angustiores; *stigmata* subtruncata, leviter penicillata. — Per totum annum flores fructusque profert! — 1846.

399. EMILIA SAGITTATA DC.

Char. Spec. cf. DC. Prdr. VI. 302. 3. Rheed. X t. 68; a praecedente differt: foliis basi haud lyratis subintegris, caeterumque habitu multo robustiore.

Descrpt. Herba annua erecta; *folia* inferiora obovato-oblonga s. oblongo-lanceolata; folia caulina, sagittata, lobis rotundatis, oblongo-lanceolata, 5 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata, integra aut obsolete denticulata, glabra, subcarnosa, in nervo medio subrubente subtus saepe una cum caule pilosa; *capitula* subcorymbosa, terminalia, subterna; *flores* aurantiaco-purpurei, tubulosi, hermaphroditi; *calycis* limbus sericeo-pilosus; *corollae* limbus 5-fidus, erectus; laciniae lineares acutae; antherae inclusae, basi subnudae; *stylus* filiformis, laciniae lineares, apice appendiculo hirsuto; *fructus* fusci, angulati.

INDEX ALPHABETICUS

ORDINUM, GENERUM AC SPECIERUM, PARITER AFFINIUM ET SYNONYMORUM.

(*Numeri adjectis literis* p. *paginam*, *caeteri numerum descriptionum percurrentem indicant.*)

ERRATA TYPOGRAPHICA.

---

p. 7 lin. 11 desuper legas sundense pro: sudense.
— 16 — 20 ab imo — Varietates — Variates.
— 23 — 5 — — dilatatae — dilatae.
— 27 — 12 — — aegyptiacum pro: aegyqtiacum.
— 29 — 15 desuper — similes pro: simile.
— 33 — 7 — — Leptochloa pro: Leptoehloa.
— — — 2 ab imo — vaginantes — vaginante.
— 34 — 1 desuper — junctae — juncta.
— 40 — 4 — — ortus — ortus.
— 42 lineis diversis loco: *valvulae* lege: *bracteae et bracteolae.*
— 45 lin. 4 ab imo lege: hyalino- pro: hyalino.
— 52 erroneë 54 dicta; ibique lin. 2 desup. lege: *Á*'lang et *Ó*ri loco *A*lang et *E*urü.
— 52 lin. 18 ab imo lege: Rúmput pro: Rumput.
— 53 — 11 — } lege: silicii pro: siliciae.
— 54 — 10 et 16 desuper } lege: silicii pro: siliciae.
— 55 — 9 desuper lege: medium pro: medio.
— — — 15 — — roseo — roseis.
— 58 — 3 — — *eaedem ac* floris pro: floris.
— 68 — 6 — — Trichelostylis — Trictelostylis.
— 90 — 1 — — Commelynaceae Brtl. pro: Commelynacear Baetl.
— 104 — 4 — — guyanensis pro: guanyaensis.
— 154 — 14 ab imo — pygmaeum — pugmaeum.
— 166 — 1 desuper — Dicotyledoneae pro: Dicotyledonae.

Berolini, typis Johannis Friderici Starckii.

HN 01010 LBW 1HASSKARL J 01

FON | PL–NR | EXP | KL. | DPN | R|O | HOOFDWOORD | VOLUME | JAAR | NUMMER | DL

CENTRALE BIBLIOTHEEK RUG VOORLOPIGE BOEKKAART

BIJ HET BOEK LATEN A.U.B.

RUG – IBM BELGIUM N.V. – N 220 B/Recto

VOORLOPIGE BOEKKAART

OPGELET

Deze boekkaart moet het boek steeds vergezellen.
Gelieve haar in de omslag te laten.
Elke beschadiging of verlies dient vergoed te worden.



